
/13



ULRICI HUBERI

JCti & Antecessoris Franequerani

OPERA MINORA

ET

RARIORA,

JURIS PUBLICI ET PRIVATI.

Edidit suisque Animadversionibus Illustravit

ABRAHAMUS WIELING,

JCtus & Antecessor Trajectinus.

TOMUS PRIMUS.





TRAJECTI AD RHENUM,

Sumtibus J. H. VONK VAN LYNDEN,

M. D. CC. XLVI.

BENEVOLO LECTORI,

S. P. D.

BIBLIOPOLA.



Uae Tecum communico ULRICI HUBERI Opera Minora hoc comprehensa volumine varii, sed praecipue Juridici, argumenti, quorum syllabus post hanc praefationem exhibetur, nulla videntur indigere commendatione: Tanta enim Huberiani nominis, est existimatio & apud omnes eruditos receptae auctoritatis, ut hoc solo nomine sperem hanc collectionem Tibi gratam fore. Accedit erudita cura, quam illis colligendis, suisque animadversionibus ornandis impendit Vir Celeberrimus ABRAHAMUS WIELINGIUS, quem nunc Academia Trajectina cum orbe literario luget. Coeperat Vir meritis in omne literarum genus clarus ea prelo subjicere Franequerae. Ex quo vero nostrae Academiae ornamentum factus fuit, quae Franequerae fere ad dimidiam partem typis erant impressa, redemi, & vivente adhuc celeberrimo Editore, totum volumen, uti nunc prodit in pu-

 blicum,

blicum, ad finem perduxi, jamtum indicis etiam facto initio. In se itaque si spectetur opus, perfectum id est, quamvis dolendum sit valde, per fata non licuisse WIELINGIO laudatissimo adjicere dissertationem, quam meditabatur, *de Jure Amelandiae*, cujus nunc Dominus est Serenissimus Princeps Arausionensis. Quae quidem ideo praemonenda duxi, quia, Humanissime Lector! & Tua & mea interest, ne hoc opus aut in postumorum aut imperfectorum numero habeatur. Denique jure inscriptio Tibi promittit RARIORA Opera HUBERI, quia etiam his in oris in paucorum manibus eruditorum erant, & multis ne visa quidem fuisse compertum habeo. Vale, & studiorum incrementis, meisque conatibus fave.

Dabam Traj. ad Rhen.
die 7. Febr. 1746.

SYL-

SYLLABUS OPUSCULORUM.

n.) Ora-

n.) Oratio XII. de natalibus, vita, studiis & exitu Guil. Cup Antecessoris Franequerani.
o.) Collatio Juris Frisici cum Jure Rom. II.

V. Ulr. Huberi Institutiones Juris Frisici.

VI. —— —— Vindiciae Amelandicae primae & alterae cum aliorum Opusculis ejusdem argumenti.

a.) Deductie voor den Welgebooren Heer Franciscus Duco van Camminga, Vry en Erf-Heer van Ameland.
b. Vindiciae secundum libertatem Amelandiae.
c.) Jura Caesaris & Imperii in Amelandiam, feudum Regale, & Imperii Dominium.
d.) Manifest door Sicco Renghers, tegens Watzo van Camminga, rakende de Heerlykheid van Ameland.

No-

Nobilissimis & Amplissimis

VIRIS,

JARICHIO AB OCKINGA,

Senatori Supremæ Curiæ.

WILHELMO AB HAÏREN,

Prætori Biltano, Quæstori Domaniorum Generali, multisque legationibus illustri.

JOHANNI A RHALA,

Senatori Curiæ Supremæ.

GERLICHIO A DOYS,

Ejusdem Curiæ Exsenatori.

Academiæ Franekeranæ Curatoribus Dignissimis, Gravissimis.



Uem vobis nupero festo Jubilæo, Viri *Nobilissimi atque Amplissimi*, offerre librum animus erat, si per impedimenta solennitatis & pompæ licuisset, hic jam per literas aditum ad Vos facilem atque benevolum quærit. Non est, fateor, ejus valoris, ut magnificorum nominum vestrorum inscriptione decorari mereatur, sed nostis antiquam religionem, ad homines magnates sine munere donoque viam

* affectan-

affectandi. Optabam ad Jubilæi celebritatem aliquid ut conferre liceret, cumque nihil quam hoc studiosæ juventutis adjuvandæ specimen ad manus esset, eo quasi xeniolo defungi posse cupiebam. Sed isti quidem Festo sine hac oblatione, sua constitit integritas & magnificentia. Cujus præcipua & excellentissima pars fuit, *Principis* & Procerum ille venerabilis, nec minus profecto blandus & amabilis adspectus. Illustrissimum *Heroëm* & suprema Patriæ juxta ac Academiæ *Collegia* non per Legatos, sed ipsis *Corporibus* suis literariæ pompæ non modo interesse verum etiam præesse videre, sane res erat, quâ nulla notabilius argumentum ejus, quod in futurum pro literis studiorum sperare fas sit, præbere poterat: nisi jam res ipsa certius & evidentius aliud exhiberet; CURAM videlicet Patrum Patriæ & Academiæ in augendis ornandisque Musarum sacris, etiam ultra vicinorum exempla, claris Antistitibus & divinarum humanarumque rerum egregiè intelligentibus. Adeò, ut quod præcipuum Jubilæi munus esse debet, collapsa restituere, corrupta reformare, & ad proximæ antiquitatis formam redigere, Docentium quidem respectu in Academiâ supervacuum, aut minus saltem necessarium esse videatur. Sed est alia Reipubl. nostræ pars literariæ, ad vestram quoque *Viri Nobilissimi* CURAM pertinens; parvus ille populus,

seges.

ſeges Eccleſiæ atque Reipublicæ, in ſcholis inferioribus, Patriæ non ut decet habitus atque eductus ad ſpem, in quam natus & altus eſt. Nihil attinet dicere, quod Vobis, omnium optime conſtat *Ampliſſimi Viri*, hanc eſſe præcipuam imminutæ ſtudiorum gloriæ cauſam, quæ feſtinationi crudiſque juncta parentum votis, juventutem non niſi plebejæ eruditionis capacem, & doctrinam ſacræ civiliſque diſciplinæ repentem humi, nec Autoribus ſuis noſcendam exhibet. Cauſam tanti mali harum rerum gnari atque periti, quales in ipſis Scholis non deſunt, haud minus in præceptis quam in Præceptoribus eſſe ſitas animadvertunt. Inculcantur tenellis ætatulis Scripta veterum ævique recentioris, graviſſimarum plena rerum, & res æquantia dictis; è quibus nec ullus ad eos fructus, tempore non ſuo redundat, & quos deinde, quia pueros ſe vexatos potius quam inſtitutos in illis eſſe meminerunt, odiſſe vel faſtidire ſolent. Qui norunt iniri poſſe rationem, quâ in ſcholis ante quintum vel ſextum decimum adoleſcentiæ annum, notabilis trium linguarum proſa vorsâque, nec non hiſtoriæ ſacræ atque profanæ ſcientia, præter elementa quædam philoſophiæ, percipi ac in animis convaleſcere poſſit, hi non deſperant, aliquando futurum, Viri ſpectatiſſimi, ut conſilia pro tanto bono conſequendo

à vobis ineantur, capiantur, valideque, ubi res jubeat, promoveantur. Verum enimvero sive hæc spes in vestro, *Domini*, erga literas amore, *Procerumque* generositate fundata, sive pium & irritum mei studii votum esse videatur, ego ita existimabam, Jubilæi novissimi significationem recordationemque non modo ad Academiam, sed etiam ad primæ ætatis institutionem, Scholasque humiliores esse referendam: Quod, utcumque de successu existimabitis, vos equidem, *Viri Nobilissimi*, ut ab optimo profectum animo, cui nulla quam discendi docendique major est voluptas, facile probabitis. Etiam spero præsentis libelli dedicationem, in quo me nihil sane laudis, quam bonæ mentis studiique producendi juventam & doctrinæ quadam varietate Juris scientiam ornandi affectare, si quis affirmanti non credat, res ipsa, ni fallor, abunde loquetur. Vobis denique, Nobilissimi Viri, hoc obsequii reverentiæque monumentum constituere, meaque studia commendata, Deumque rogatum volui, uti vos omnibus animi fortunæque bonis augeat, auctosque, sicut estis, ita tueatur. Sic vovet,

Amplissimi Nobilissimique Viri,

Vester omni obsequio & reverentia

ULRICUS HUBER.

ULRICUS HUBER
AUDITORIBUS SUIS.
S. D.

*Abebit hujus libri inscriptio*, lectissimi Auditores, πολὺ τὸ ἀπροσδόκητον, *quod qui philosophiæ nunquam valide operam dare visus sum, nescio quod tamen ejus specimen in his paginis edere velle videor. Ego verò sic velim existimetis, non tam me Philosophum in hoc libro, quam studendi sive discendi magistrum agere voluisse; dum eam viam, quâ me non improspere, ut est mea facultas, in veteribus legendis, artibusque percipiendis, progressum esse noram, & quam me sæpe alias studiosis adolescentibus privatim commendare memineram, hanc vobis aliquo insigni exemplo publicè præirem. Date operam, sultis, ut quæ super hac ratione laborandi vobiscum habeo communicanda, primo quidem; dein quare in philosophiâ Civili hujus methodi specimen maxime publicandum crediderim, benevole audiatis. Cum* Abrahamo de Grau *Matheseos heic Professore non ita pridem doctissimo, à teneris, quod ajunt, ungviculis, multum mihi amicitiæ commercium, familiarisque consuetudo & in scholis inferioribus supremisque studiorum communicatio fuit, quod ad literas scilicet græcas & latinas variamque & humaniorem doctrinam attineret. Huic enim ille maximam vitæ suæ partem intentiore affectu diligentiâque, cum in Mathesi* ὀψιμαθέστερος *esset, impenderat. Tradiderat sese in hujus partis disciplinam Viro Clarissimo* Joachimo Borgesio, *Eloquentiæ & Historiarum in Academiâ* Groningana *Professori dignissimo*,

ſimo, eumque imitatus ad nos deinde Franekeram *tractandi libros rationem ſane quam notabilem atque ſuſpiciendam, adtulerat; cujus alios quoque ſectatores auctoreſque laudabat, inter alios* Tobiam Andreæ, *literarum Græcarum in eadem Groningenſi Academiâ Profeſſorem Clariſſimum. Erant in hac ſententiâ Viri egregiè cordati, ſcripta Veterum inæſtimabili & inexhauſto eſſe referta fructu, quem qui non collegiſſet, eum pro vere docto haberi non poſſe; duntaxat in arte ſuâ neminem eſſe videri perfectum, niſi qui omnem ejus diſciplinæ, cui ſe dedidiſſet, vetuſtatem ita exploraſſet, ut ex his quæ primi ſcientiæ ſuæ conditores tradidiſſent haud facile quicquam eum lateret. Intelligebant autem, non poſſe id adſequi ſeſe, ne quicquam ipſos fugeret, niſi cuncta veterum ſcriptorum egregia, dicta, ſententias, phraſes, exempla, doctrinas in accuratos indices retuliſſent. Operæ pretium eſt audire, heic loci, quo pacto in illis* Indicibus *componendis diligentiſſimi homines verſati fuerint. Primo totum Auctorem, quem aggreſſi erant, cum attentione ſummâ legebant; notabilia quæ videbantur, ea lineis metiebantur, in iis autem verba* Thematum *ſive radicalia, quæ ſubjectam cujuſque ſententiæ materiam arguerent, craſſius & pinguius diſtinguebant, ſæpe quemadmodum res ferebat, unius dicti plures radices ſeu verba capitalia curioſe denotantes. Quoniam autem ſcripta Veterum ſic eis placebant, ut nihil in eis prætereundum videretur, hinc ita eveniebat, ut integros fere libros adnotarent, nec imperare ſibi poſſent, ut quicquam pene relinquerent intactum. Deinde refertum lituris librum ſuâ vel conductâ manu deſcribebant, ſingula videlicet excerpta, toties, quot in illis verba pinguioribus inſignia lineis extabant. Unde fiebat, ut abſolutus index ipſo Autore ſuo longe major & ſpiſſior evaderet, ipſique inter ſeſe & apud alios hoc poſtulatum tenerent, nullius valoris in-*

dicem

dicem videri, qui non ipso scriptore longior & copiosior esset. Descripto in eum modum auctoque libro in chartis ὀπισθογράφοις, id est, ab alterâ parte conscriptis, singula dicta sententiasve scindebant in totidem fragmenta tabellarum, quæ secundum ordinem literarum initialium in tot saccos, vel loculos, quot sunt elementa literarum secernebant. Tunc eadem fragmenta numero infinita ordine lexicographico disposita, chartis aliis illinebant, atque deinceps iterum, quia sic erant deformia nec satis tuto hærebant, describenda locabant, & compacta suis in bibliothecis seponebant, ut eò quoties usus veniret, tanquam ad thesauros inexhaustos se reciperent, auroque gemmisque Veterum inde collectis sua scripta commentariosque locupletarent. Eo modo defuncti aliquo scriptore, ad alium renovato studio se conferebant, easdemque occupationes denuo concatenabant, aliquanto pluribus in excerptis suis componendis, usi laborum vicibus, quam qui vinum, plantando, putando, decerpendo, convehendo, exprimendo, convasando purgandoque; vel qui linum serendo, secando, putrefaciendo, molliendo, pectendo, nendo, rotando, texendo lavandoque parant & conficiunt. Noster Gravius *ita in animum induxerat suum, ita à Præceptoribus auctoribusque suis erat persuasus, ubi omnes, saltem celebriores antiquitatis Auctores eo modo exhausisset atque digessisset, fore ut invidenda beatissimaque studiorum conditione frueretur. Verum quia propositum hoc suum immenso labore neque modica constare videbat impensa, id agebat, ut diligentiæ sumptuumque socios inveniret, eaque de re pro necessitudine amicitiaque nostra sæpe me interpellabat.* Respondi, *me conatus illos plusquam heroicos, invictamque animi constantiam in immani tædio, quod in tot tantisque faciendis indicibus inesse deberet, devorando, summopere mirari; sed, ne dolo dicerem, stupere me ad conspectum nimis improbi laboris, in*

quo

quo sustinendo, etsi nunquam otii plus æquo cupidus fuissem, attamen ipse mihi diffiderem, nec adeo temere suscipiendum videri, cui deinde, ne succumberem, metuendum foret. Ille vero sibi plurimum deberi existimare, quod tanti secreti initiorum me participem facere voluisset, nec satis mirari se posse, dictitabat amicis in aurem, me, non absurdi hominem ingenii, ut ipsi videbatur, nolle, cum lacte plueret, traditis & inculcatis uti cochlearibus. Ego vero interdum id operæ dabam, uti non tam verbis & rationibus, quam re ipsa mihi ipsique fidem facerem, posse rationem iniri, qua longe minori opera impendioque non minus & forte majus operæ pretium conficeretur. Scriptores, quos ille toties subactos atque contritos in indices enormes congesserat, diligenter legebam & ex iis meo more quædam Excerpta, *duplici potissimum modo, collectum ibam. Aut enim præcipua, quæque meam in rem potissimum facere judicarem describebam, inque certum ordinem vel juxta argumentorum capita vel secundum seriem literarum redacta, quandoque etiam, ita ut erant, in usus meos segregabam, vel juxta ipsos auctores collocata custodiebam; nonnulla quoque in libros locorum cunctis auctoribus communium redigebam. Alter* excerpendi *modus, in quo plus artis, addam & utilitatis, inesse comperi, talis fuit. Si quem Auctorem, in succum sanguinemque, totum, quod ajunt, redigere vellem, ex eo notatu dignissima sic colligebam, ut omnia conjungerem unoque contextu atque stylo ita connecterem, ut nihil prope deesse videretur;* αὐτολέξει *tamen, ipsis Auctorum verbis ubique custoditis, neque de meo, nisi paucissimis aliquando particulis ad transitus versuum adjuvandos, adtemperatis. Si vultis, ut rem dicam, non erat hæc alia quam bonos auctores contrahendi inque* Compendium *redigendi ratio; quod etsi contemptui obnoxium & quibusdam utilibus speciosa*

præ-

præferentibus exosum verbum, mihi tamen neutiquam pœnitendum & efficacissimæ institutionis plenum heic publice præ me ferre non erubesco. Sæpius accidit, ut ubi Gravius *meus scriptorem aliquem suo molestissimo sumptuosoque, & ego inter alias occupationes meo brevi obvioque more absolvissemus, deinde super ejus operis argumento sermonibus inter nos contenderemus, ita evidenter animadverterem, per nimiam rerum dictorumque multitudinem, quæ Viri diligentissimi adnotabant, per nimiam animi attentionem, quam ad imprimendas pinguiores lineas insignioribus verbis adferebant, per multiplicem particularum excerptarum separationem secundum literas, sine ullâ connexione rerum, fieri, ut totius argumenti universæque consecutionis, in quâ vis cujusque scripti consisteret, parum meminissent, neque tantum judicii, verum etiam memoriæ confusio ex illis indicibus oriretur. Præterquam quod res erat manifesta, vitæ humanæ spatia, quæ tam immani corporis animique intentione contrahi minuique deberent (ut proh dolor! illis accidit) nequaquam suffectura componendis omnium Auctorum indicibus, quos illi parandos & congerendos, antequam in hoc mundo rivos stupendæ eruditionis inde deducerent, existimabant.* (*) *Quæ res autem inprimis in eorum ratione mihi displicebat, hæc fuit, quod dum toti erant in adnotandis exscribendisque aliorum dictis, omne tempus occasionemque cogitandi & inveniendi res memorabiles amittebant, scripturasque suas infinitis allegationibus & recitationibus auctoritatum onerarent magis quam exornarent. Sed* indices *quidem ejus generis mittamus, in meâ methodo, inprimis illâ contrahendi faciendique* compendia *videamus, ne haud multò minus insectandum carpendumque reperiatur. Nam hæc* ὑπόθεσις *hominum, magnitudine doctrinæque severitate supra vulgus excellentium celebratur, nihil esse vilius atque pernitiosius literarum*

** rum

(*) *Decessit* Abr. de Grau, *anno* 1683. *laudatore funeris* Iac. Perizonio.

rum artiumque studiis, quam institutum redigendi in compendia bonos libros eruditasque disciplinas. Enimvero de Compendiis Artium, *quibus in privatis institutionibus utimur, copiose nuper, in Dialogo* de ratione juris docendi atque discendi, *disputavimus. Heic ea species, quæ in bonis Auctoribus contrahendis versatur, examinanda, & quemadmodum mea fert ratio, defendenda fuerit; nisi potius ita statuendum sit, quam in juventute rationem ego perquam utilem efficacemque, pro meo captu, expertus esse videar, hanc ut hominibus nobilitate studiorum venerandis improbatam, soloque contemptu dignam, omni conatu supprimendam esse naviterque dissimulandam; nisi contentus sim, videlicet, adire periculum, qualemcunque doctrinæ opinionem apud homines gravitatem scientiamque professos amittendi, studiorumque meorum secreta ludibrio exponendi. Verum mea sic est opinio*, Auditores Ornatissimi, *non esse vobis aliud adeundi mei consilium, quam ut ea quæ didici qualiacumque vobiscum familiariter communicentur; quod profectò melius facere non possum, quam eâ ratione, quâ mihi ipsi à primis annis, quæ scire videar, hæsisse recordor; neque vero id nunquam egi, ut doctior, quam mihi conscientia tenuitatis meæ dictaret, esse videri vellem. Quare igitur dissimulem, aut cur, quod mihi præ cæteris olim profuisse sentio, quodque jam sæpe amicis discipulisque commendando præjudicavi, agnoscere publiceque præferre timeam? Non equidem de publicandis edendisque bonorum Auctorum compendiis adhuc loquor, nec omnibus hanc meam rationem, ne privatim quidem sine discrimine probatam volo. Non his, qui complexionem universæ doctrinæ suo loco relinquentes, id incontinenti uniceque satagunt, ut varias editiones scripturasque veterum librorum inter se conferant & judiciarias inde conjecturas notationesque concinnent; nec iis qui hunc suæ lectionis*

ctionis fructum sibi proponunt, ut quamplurimas de verborum significationibus, phrasiumque proprietatibus observationes colligant; quod utrumque utilissimum institutum esse jam satis constat. Denique nec hanc ingrediar disputationem, quâ, separandæ ne sint hæ partes viæque studiorum, ac utra alteri præmittenda præferendaque sit, ambigi posse videtur. Ego nihil quam de vestris Studiosi Juris, qui nunc sitis aut fututuri estis, commodorum rationibus disserere atque conjicere institui; Vobis id inprimis consentaneum est, historias gentium, sententias de moribus & de Republicâ philosophorum, totamque vetustæ eruditionis varietatem cognoscere. Jam vero me aut omnia fallunt, aut omnigenæ lectionis memoria desinit in compendiariam rerum dictorumque notabilium, quæ legendo andiendoque percurrimus, intelligentiam. *Quæ si meditando ruminandoque subacta deinde scripto comprehensa, verbisque suorum Auctorum expressa consignataque fuerint, quæ pressior efficaciorque proficiendi animoque res pulcherrimas imprimendi methodus excogitari possit, non animadverto. Etiam verò judicium, quod in omni rerum humanarum doctrinæque genere longe maximi scimus esse momenti, hoc modo acerrime validissimeque exercetur & constabilitur. Quid etiam qui à se lecta perceptaque aliis tradere & inculcare cupiunt, si, quæ memoria intellectu complectuntur, ea in compendium dictionis redigere, suisque auditoribus succinctè ob oculos exhibere non possint; ni quoque discipuli audita secum ipsi colligere & contracta recolere animoque recondere queant, neutri unquam res easdem latius explicare & ad usus applicare poterunt:* Adeoque si qui in eo præceptores auditoresque gloriam ponunt, quod Compendiarii non sunt, eadem operâ licet, ad docendum discendumque ineptos se fateantur. *Ego quidem nihil prius studiosis, qui valide peremptorieque, ut ita loquar, di-*

scere volunt, auctor sum, quam Compendia facere scriptorum, qui pleniore manu res ipsis scitu necessarias tractant. Horatius, *si unquam aliter homo quisquam sapiens rationem putavit, idem monet,* Quicquid præcipies, esto brevis, *inquit, nec metuit doctrinæ sterilitatem; Namque ubi* cito dicta *perceperint* animi dociles, *tunc* omne supervacuum pleno de pectore manat, *ut idem adseverat. Quin doctissimos homines, maximos esse Compendiarios, neque majores ullos, quam qui* βιβλιοθῆκαι ἔμψυχοι, bibliothecæ ambulantes *vocantur, oportet, argumentumque præstantiæ hujus instituti vel maxime præbet, quod ab omni antiquitate, quanto quisque minus ineptus sapientiæque videtur esse consummatioris, tanto majorem in dicendo scribendoque Compendii habet rationem, ut olim* Lacones *&* Homericus Nestor, *qui* παῦρα μὲν ἀλλὰ μάλα λιγέως, *compendio sed efficacissimo orationis utebatur. Quid mirum igitur,* Auditores, *si quod ipsum me ab ineunte studiorum cursu fuisse non pœnitet, neque pudet, id ut vos esse velitis suadeo, & hortor, exemploque præcipere non dubito. Denique in hisce paginis duo vobis specimina præsto sunt, alterum à me olim factum, alterum à* Filio (†) *ex instituti mei ratione pro viribus elaboratum. Hoc quidem ex* Ovidii *Metamorphoseon libris, quos ut pandecten historiæ fabulosæ adolescentibus in genere poëtico exercere se volentibus commendare solemus. Non est equidem mea sic ratio, id agendum esse patribus aut præceptoribus, alumnos suos severa lege producere volentibus, ut enixe poëticas operationes illis injungant; siquidem parum abest, quin ita sentiam, ut* Muretus *olim, aut eximium aut plane non oportere esse poëtam, & egregium evadere difficilius esse, quam ut à studiosis, gravioribus occupatis laboribus, effici*

(†) Zach. Hubero, *cujus in præfatione hujus Operis meminimus.*

fici atque præstari possit. Verum ut in omnibus aliquid in uno præcipuam capitalemque operam puto esse collocandam, ita Poësin tenerioribus annis tentandam, primoribusque duntaxat labris esse delibandam, nemo negaverit. De meis Excerptis Aristotelicis *primo omnium scire vos & credere velim, hanc mihi rationem ea publicandi inprimis constare, quo ad similem diligentiam exempli auctoritate vos impellerem, & cohortarer; neque vos ineptis hominum clamoribus contra quicquid* Compendii *nomen aut similitudinem habet, averti sineretis; non etiam quo spem facerem plura me id genus sive Compendia sive Excerpta posthac in lucem editurum; neque enim mihi illud honori futurum autumo, neque vos ab æmulatione similia in usus privatos componendi abducere in animum induxi. Nolo etiam me obnoxium præbere devotionibus eorum, qui ab ejusmodi* Epitomis, *qualis hæc est, insigniorum aliquot scriptorum clades lacunasque summo cum detrimento orbis literati, causam accepisse queruntur. Mirum est equidem, hanc rationem non modo non deterruisse veteres, à compendiis ejusmodi faciendis & publicandis, sed eosdem etiam tot seculorum experientiâ talem inde pestem oriri non fuisse convictos. Nam ut aliarum artium historiarumque Epitomatores antiquos silentio prætereram, inter Jurisconsultos, ipsosque gravissimæ sapientiæ conditores, non modo* Hermogenianum *Epitomas scripsisse constat; verum etiam* Paulum, *inter auctores Pandectarum antesignanum,* Alfeni Vari *quadraginta libros* Digestorum *in epitomen redegisse; idemque* Javolenum *fecisse de libris decem Labeonis Posteriorum, inscriptiones excerptorum in Digestis loquuntur; quæ tamen ipsa opera principalia, postquam erant excerpta, nihilominus salva integraque ad ætatem usque* Justiniani, *qui omnia suppressit, per annos quadringentos & amplius, ex iisdem titulis capitum in Pandectis, remansisse videmus. Quanquam*

si authenticis scriptoribus Compendiorum instituto præjudicari poterat, id ab ejusmodi metuendum fuisset Epitomatoribus, qui doctrinâ laudisque universa opinione veteres illos prolixioresque auctores, quos contrahebant, omnium hominum reputatione superabant. Ego vero nihil errare me putem, si Labeonis, *&* Alfeni Vari, *scripta ab usu temporum* Pauli *&* Javoleni *remotiora, ex quo à tantis viris contracta in oculos hominum reducta sunt, frequentius libentiusque à studiosis, quam prius, lecta fuisse dixero.* Vulgaria quidem ingenia solis Epitomis ut contenta fuerint, *neminem tamen, cui studia ad animum pertinerent, extitisse credo, qui non è lectione Compendiorum ad ipsa veterum illorum majoraque scripta videnda & exploranda inflammaretur. Neque scio numquid inepte mihi blandiar, si præsumpsero, inter vos etiam fore, qui per hoc* Ethices Aristotelicæ *compendium, ejusque lectionem, ad ipsum Auctorem investigandum atque tractandum, licet alioqui* de Moralibus Aristotelis *forte ne per somnium quidem cogitassent, excitabuntur; maximè, si, ut animus est, antequam ad Institutionem* Juris Publici *vos deducam, prælectionibus aliquot,* quis & quantus Aristotelicæ hujus doctrinæ in Jurisprudentia sit usus, *approbare vobis instituam, quod inferius in hac ipsa præfatione uno alteroque specimine demonstrabitur. Neque sane quod* Hilligerus *&* Vinnius Donellum, *alius* Thuanum, *seipsum* Mezerayus, *aliique multi alios hodieque contraxerunt, ullum adhuc periculum imaginari possum, quo ipsi Auctores illi è manibus hominum doctorum excutiantur, minorisque pretii quam alias unquam habeantur. Quin si quem id genus scriptorum Compendia, discendi voluptate afficiunt, aliter evenire non potest, quam ut, qui præstantiam operum illorum, quasi per transennam viderint, in ipsa usque penetralia, intimosque recessus & latifundia, progredi & exspatiari velint.*

Cæte-

Cæterum, quod inter antiquos aliquot præcipui scriptores, quorum adhuc integra Compendia extant; (Jus *heic excipio) grave detrimentum passi sunt, id ipsis epitomis accepto ferendum esse credam, ubi quæ causa populos omnes nationesque in Europâ sedibus suis excivit, urbesque & regiones ita evertit ac immutavit, ut plerumque ne nomina quidem supersint, hanc ad libros manuscriptos abolendos minuendosque apud gentes barbaricas, jure belli in humana divinaque omnia grassantes, non suffecisse cognovero; aut si alii auctores, quorum nulla fuere Compendia, clementius habitos esse, magisque integros ad nos pervenisse, compertum est; sive eadem belli clade cuncta fuerint involuta, sive* Christiani veteres religiose infesti gentilis sapientiæ monumentis, quod belli incendium invaserat, id imprudenti zelo piaque intemperie supprimendum perdendumque putaverint. (*) *Quicquid autem de hoc genere Compendiorum sit existimandum, mihi duplex in hujus speciminis editione ratio constat, ea primo, quam dixi, ut exemplum, valido cum fructu bonos tractandi libros ederem; Dein ut gustum veteris doctrinæ moralis, & lectionis Aristotelicæ, vobis darem, atque salivam, quod ajunt, moverem. Quem conatum à consuetudine seculi, & Juris studiosorum opinionibus vehementer alienum, sic rigidi censores Epitomarum probare poterunt, quemadmodum facturos esse dubitare nolim, sperare debeo, posthac clementius de Compendiis opinaturos, si per ea fieri posse, quod alii magnis ad* Aristotelem *commentariis notisque* *pon-*

(*) De Gregorio M. Papa *hoc testatur* Io. Sarisberiensis *in Policrat. lib. II. cap. 26. Ceterum hic furor omni aevo inter omnes sectas, ubivis terrarum grassatus est. Et nota sunt dudum aliis notata de Periergis, ad Actor. cap. XIX. vers. 19. & de libris Mathematicorum ad l. ult. C. Th. de Mathem. aliisque improbatae lectionis compluribus: quasi vero ignibus extingui vel error possit, vel veritas.*

ponderosis incassum tentarunt, experiantur. Eruditionis laudem gloriamque, stultus equidem erit, quicunque non magnis potius voluminibus, aut propriis inventionibus, quam hujusmodi institutionum opellis affectaverit; at nobis in hoc conatu satis erit, id adsequi si poterimus, ut ad studia vestra, Auditores, *aliquid inde commodi luminisque redundet. Quod facultatem habere videtur, si paucis, inquam, lectionibus, antequam* Juris Publici *explicationem aggrediamur*, quem usum præsens Aristotelis doctrina in Jure nostro habeat atque præstet, *demonstraverim. Proinde non est quod hanc operam ante suum tempus occupemus; sed unum de his Excerptis argumentum, quod in principio libri tertii extat, facere non possum, quin cum* Jurisprudentia *conferendum vobis repræsentem. Intelligetis ex eo, Juris-Consultos, etiam ubi id minime expectes, agere Philosophos, ac interim, quod artis est maxime, diligenter artem tegere. Antequam vero locum* Aristotelis *educam, audiamus quid Juris conditores de his, quæ dolo metuque aguntur, contrahuntur, tradiderint, & deinceps quomodo ad doctrinæ Philosophicæ amussim ea conformata sint, videamus.* Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo; *ait* Prætor. *Supponit igitur, ea quæ per metum gesta, contracta sunt, in se ipsis valere, sed opere beneficioque Prætoriæ jurisdictionis, eum qui coactus fuit, in integrum esse restituendum, quod ipsum totius capitis* de eo, quod metus causa gestum sit, *institutum esse constat. Docere videlicet, quo pacto illa Prætoris rescissio committenda sit. Adversus homines varios & dolosos Prætor etiam Edictum proposuit, ne vel illis malitia sit lucrosa, vel deceptis simplicitas sua damnosa. Nihil quidem Prætor edicit aliud, quam se judicium de his, quæ dolo malo facta esse dicentur, non esse daturum; sed Juris-con-*

consulti ab his quæ Prætor se resciffurum pollicetur ob dolum, distinguunt ea quæ ratione doli mali ipso Jure nullius momenti sunt, atque ita fere docent, ea negotia, quibus fraus dolusque malus causam dederit, hæc quidem esse nulla, τῶν μὴ ὄντων; reliquis causæ cognitionem adhibendam & tantisper valida ac obligatoria censeri; cujusmodi separationem in his quae per metum gesta sunt, nunquam instituisse leguntur; verum illa cuncta, sive metus ab initio sit adhibitus, causamque negotio dederit, sive inciderit in contractum ex eo quod postea supervenit, nusquam actus ipso jure nullus, sed per actionem exceptionemve rescindendus, & quamdiu hoc factum non est, valere dicitur. Non est hic locus verba legum, quibus id probatur, adducere. Nemo Juris studio initiatus negat aut ignorat, opinor, hoc discrimen inter ea quæ vi doloque gesta, contracta fuere, Jure Civili esse constitutum; sed ratio parum liquet; siquidem vis metusque non minus consensui inimicæ res sunt, quam dolus & deceptio; primoque auditu Aristoteles idem dictare videtur, quando invitum ait esse duplex, per vim & per ignorantiam: posterius fere cum dolo coincidit. Etenim qui decipitur, in hoc ipso quod contrahit, is manifestò per suam ignorantiam in fraudem adducitur, ac ita invitus agit, quia nullo modo in id, quod ab alio deceptus aliter habere putat, consentit. Talia igitur non est mirum ipso Jure nulla censeri, quia nusquam decepta voluntas dicitur esse voluntas, secus ac coacta voluntas. Hujus differentiæ a Juris Auctoribus exactè servatæ ratio ab illis dissimulatur, ab Aristotele πραγματικῶς exponitur: docet enim, non esse invitum, quod per metum majoris mali perpetratur; ut si tyrannus aut latro aliquem metu mortis, suæ suorumve, cogat aliquid triste vel turpe facere vel pati; siquidem tum, quando fiunt, per electionem fiunt, initiumque movendi membra servientia in ejusmodi actionibus, est in ipso agen-

agente, cujusmodi actiones reverà spontaneas esse demonstrat Aristoteles. *Mixtas quidem è spontaneo & invito esse non negat, propius tamen ad voluntarias accedere quam ad inviti notas, eo solo probat, quod qui per talem metum aliquid agit, prævià deliberatione, mâlitne ferre malum quod instat, an abstinere facto, in actionem consentit. Quod in rebus & civilibus & sacris esse verissimum evidentia rerum & conscientia generis humani testatum facit. Nec enim dubitatur, eum qui metu naufragii merces ejicit, hoc sua sponte volentemque facere; rursus, qui metu vel impatientià mortis aut vexationum sacra facit idolis, eum id æque volentem facere censeri. Contra, qui* ignorans τὰ καθ' ἕκαστα, *singularia facti, inprimis ea, in quibus actio versatur, & propter quæ instituitur, agit, quemadmodum qui Patrem in acie adversa ignotum interficit, hunc secutâ pœnitentià minime volentem, sed invitum agere, non minus ratio communis, quam Philosophia docet. Quare qui* dolo *deceptus in actionem per ignorantiam incidit, eum invitum agere; proinde quod ex ejusmodi ignorantià doloque causam cepit & peractum est, id ipso Jure nullum censeri, recte statuunt Jurisconsulti. Idem de* metu, *qui contractibus negotiisque causam dederit, in proclivi fuisset iis existimare, nisi Philosophiæ, quam Aristoteles exponit, rationem habuissent accuratissimam.* Invitum *scilicet, aliud esse per vim, aliud per ignorantiam. Per vim id demum censeri invitum esse, cujus initium agendi sit extra agentem, ita ut hic nihil ad actionis principium conferat, cujusmodi exemplum ponit* Aristoteles, εἰ πνεῦμα κομίσαιτο ποῖ, ἢ ἄνθρωποι, κύριοι ὄντες, siquidem ventus aliquò, aut homo validior impulerit. *Qualia profecto nullam adversus eum, qui sic agere coactus est, fori actionem producunt; quemadmodum nec ea, quibus ignorantia causam dedit, ut jam dicere occupavimus. Per* metum *autem actiones initæ, cum magis voluntariæ quam invitæ sint,*

ipsa

ipso jure valere dicuntur ; sed per exceptionem actionemve rescinduntur ; cujus equidem differentia nulla, nisi ex istius loci philosophiâ, ratio reddi potest. Ex eodem capite primo libri tertii videbitis Excerptum, de his quæ per iram & cupiditatem *fiunt, locum ; & quæsitum, rectene talia pro invitis habeantur,* καὶ τῦτο μὲν ἐ καλῶς λέγεται, *inquit Philosophus*, nequaquam belle dicitur ; *ejusmodi actiones esse invitas, quia tum pleraque facinora pro invitis habenda forent, siquidem magna pars actionum humanarum ab irâ, vel à cupiditate proficiscuntur,* ἄτοπον δὴ, τὸ τιθέναι ἀκέσια ταῦτα, *subjungit ; Absurdum est igitur talia statuere invita ; nec ideò absurdum, quod Juris conditores statuunt, eos qui ferro per iram cædes committunt, tanquam voluntarios homicidas summo adficiendos esse supplicio, quod obiter velim memineritis, ubi usus venerit, sicut in Arte magna usu venire necesse erit.* (†) *At verò si* Moralis scientiæ utilitatem in Jurisprudentiâ *demonstrare vellem, tota librorum decas recensenda foret ; nam* Aristoteles *ubique, & à principio, & in fine, passimque, legum atque morum disciplinam aut conjungit, aut alteram alteri subsidio esse demonstrat.* Interpretes Scholastici *aliam deinde viam inierunt, non tam hoc agendo, uti Jurisprudentiæ, quam ut Theologiæ conveniret. Ex quo studio factum est, ut illorum Ethica toto cælo ab Aristotelica discrepet. Cæterum, rectene factum sit ab illis, quod* Ethicam & Theologiam *conjungere voluerunt, non disputo: id facile tuebor, nihil esse quod nos ab Aristotelis, aut Platonis, lectione deterreat hominum quorundam gravissimorum sententia, qui* Gentilium Ethicam *Christianis vitandam, nec aliud quam veræ pietatis corruptelam esse reputant. Eadem operâ* Jurisprudentiam, *licet, illi proscribant ; siquidem nihil est aliud illa, quam* Ethica evoluta, & explicata, & applicata civili hominum societati ; *Auctores*

(†) Grotius *lib. II. cap. XI. §. 6. & 7.* & Gundling. *de efficientia metus.*

resque ejus præcipui Christianæ religionis non ignari, sed inimici; qui tamen profecto, si quid nobis judicii, in plerisque Christianos legum conditores longe post se reliquerunt. Quid devotam Christo animam moralia veterum monita, sæpe ejusmodi, ut aliunde in mentem ventura non sint, in usus suos convertere, veràque fide Domini meritis subnixa imbuere; quæ vero Christianæ pietati adversantur, ea segregare & amovere vetet, ego quidem non intelligo. Verum est, eos non scivisse veram τοῦ ἀπαθανατίζειν *rationem, quo pacto studenda sit* immortalitas; *attamen quæ ipsi in hanc rem præcipiunt, ut à nostro sub finem horum librorum fit, inflammandis ad hoc studium animis luculenter equidem conducere possunt. Huic compendio* Ethicæ Aristotelicæ, *non absurde facturum me putavi, si librum* Cartesii de Affectibus, *sive* de Passionibus Animæ *subjungerem, eo quod virtus ferme nihil aliud quam moderatio sit affectuum, quas vulgò* passiones, *imitatione Græcorum, appellant. Ex quo singularum virtutum naturam sine affectuum notitiâ non satis perspectam haberi posse manifesto liquet. Praeterea, negandum non est,* Cartesium *mentis & corporis operationes clarius omnino, quàm Aristoteli in mentem venit, distinxisse; præter quod motus internos singulis affectibus peculiares more quodam mechanico demonstratos videre jucundum, & ad inculcandam virtutem, utile ac opportunum videtur. Etiam vero illud operae pretium erit examinare, cum ingens affectuum, quos* Cartesius *explicat, sit abundantia, an exiguus ille virtutum, Aristoteli cognitarum, numerus illos omnes gubernet, quod heic disputare longum & tædiosum foret. Hoc interim pro se quisque animadvertat, verumne sit an secus, quod alter ex famosis illis philosophis altero veritates simplicius & clarius aperiat, alter varietate doctrinæ, dictionis elegantiâ, gravitate & acumine sententiarum cum altero non sit comparandus. Sed enim* Cartesium, *sicut erat, integrum reliquimus.*

mus. (‡) *In nos ipsos aliquanto plus juris usurpandum credidimus; siquidem libros* de Jure Civitatis *superiori anno novæ luci datos, in compendium redegimus; exiguâ jacturâ, si per illud ipse liber ut evilescat, evenerit. Quis vero*, dices, *ineptus ille Compendiorum amor, ut minimæ molis libros, quemadmodum isti de Civitate scripti sunt, adhuc contrahendos putaveris? Scilicet hoc quod exhibeo, totum in vestram*, Auditores, *gratiam usumque comparatum est. Subcisivis horis, quâque septimanâ binis*, Publici Juris *interpretationem frequentamus. Eam vero sic instituimus, ut nullam temere positionem intactam omittamus. Quæ ratio per tres illos majores libros servata, copiam absolvendæ explicationis intra anni Academici spatium, iis horis, ut experti sumus, non relinquebat: hoc autem præsenti modo res facultatem habitura videtur. Enimvero fuit etiam occasio nonnihil in hac ipsâ Epitome occupandi, quod argumentis quibusdam editorum* de Civitate *librorum objectum fuisse intelleximus. Exempla duo commemorabimus, quorum prius hoc est: Imperio simpliciter summo in Civitate constituto ita disputavimus, in libro primò capite nono & sequentibus de Jure Civitatis, ejusmodi Imperium esse absolutum, populoque nihil quam obsequii gloriam esse relictum, idque vi consensionis indubitatæ.* Excepimus *duos casus, ad quos ille consensus sanâ ratione produci non posset. Erat nobis consilium nescio quid conari, ad determinandum* medium *inter duas opiniones extremas, quarum altera potestatem Imperantium infinitam, altera Regnantes ut universo populo semper inferiores, ejusque ministros considerat. Hæc ratio, si me fallit, uti aliquando longe sapientioribus accidit, eo tamen argumento non videtur refelli, quod populus semper ex illis casibus alterum esse commissum queri & contendere possit. Nam profecto tam vali-*

(‡) *Omissi utriusque Excerpti*, Aristotelici & Cartesiani, *itemque* Ovidianorum, *in præfatione rationem reddidimus.*

validam non habemus philoſophiam, quâ poſitiones noſtræ omni praetextu inanium objectionum cavillorumque liberentur, voceſque ſeditioſæ & χρεοφύγετα excludantur; quod neſcio, an ulla unquam demonſtratio in quavis parte doctrinæ adſecuta ſit, aut præſtare potuerit. Qui ſententias ſuas ita collocat, ut à veris ſolidiſque objectionibus eas vindicare veritatemque conſtabilire & adſerere queat, eum diligentis rectique præceptoris officium implevisse, tametſi, ne cavilla & oppoſitionum facta jactitentur, impedire non potuerit, exiſtimamus. Alterum, *quod ſcrupulum moviſſe percipio, eſt, id quod poſueram in libro tertio cap. nono poſit.* 19. *Metum alienæ potentiae, bellumque à rege populove prævalido ſuſceptum, cujus victoria nobis ob eventum viciniæ ſit formidabilis, non videri per ſe juſtificam eſſe belli à nobis adverſus ipſum movendi rationem. Videndum enim, ne non hæc poſitio ἀναθεώρησιν habeat periculoſam, Patriæque Juri commodiſque adverſam. Ego vero in hac ſententiâ, ſicut olim poſita, & in hac Epitome ſectione tertia cap.* 9. *n.* 9. *repoſita eſt, libenter eſſe atque manere cupio.* Exceptiones *autem, ſive cautiones, quas ut in Jure Civili amat fieri, aliquot ſubjecimus, Patriae noſtræ rationes, ni fallor, ſatis extra cenſuræ conſpectum removent; ſi modo in univerſâ diſciplinâ bonis Profeſſoribus eo ſpectare regulaſque artis ad officium boni civis redigere fas eſt. Nam ſi fœderis antea percuſſi obligatio, ſi facultas auxilii innocentibus ferendi, cauſæ noſtræ cauſam circumdare non poſſit, is ego non ſum, qui cuiquam mortalium auctor eſſe velim, arma vimque aliis inferendi propterea, quod res indubitate ſuas vel injurias ſibi ſuiſve illatas (nam ejuſmodi aliquid ſupponitur) vindicare inſtituerunt, idque nullâ aliâ cauſâ, quam ob incertam mali nobis eventuri expectationem; nec enim minus in Publici quam in Privati Juris æſtimatione veriſſimum eſt, alienum jus alterius incommodo non mutari, vel impediri. Sed hæc aliaque dicendi materiam aliàs ſuppeditabunt. Hæc Vobis in anteceſſum exponenda judicavi.* Valete.

IN-

INSTITVTIONIS REIPVBLICAE

LIBER SINGVLARIS.

INSTITUTIONIS REIPUBLICÆ

SECT. I. CAP. I.

Quid sit Respublica, quid Civitas?

RESPUBLICA definitur τάξις πόλεως, *ordo civitatis*, consistens in regimine summæ potestatis, & subjectione reliquorum, per medios Magistratus. *Aristoteles lib.* 3. *polit. cap.* 6. (a)

2. Unde liquet, Rempublicam differre à Civitate, vel ut concentum à chordis, vel ut animam à corpore. *Plut. de trib. form. Reip. p.* 109 *ed. Steph. tom.* 3. *Sen. lib. I. de Clem. cap.* 4. & *Isocrates*, *in Panathen. p.* 516. *ed. Wolf.* ubi ὥσπερ ἐν σώματι φρόνησις. (b)

3. CIVITAS definiatur, *Cœtus perfectus familiarum*, *juris fruendi*, *vitæque felicis gratia*, *sub eodem summo imperio sociatus. Dixi lib.* 1. *Digress. cap.* 13. (c)

4. *Cœtum* dicimus *perfectum*, non cui nihil desit, sed qui numero & facultatibus satis sit validus, ad defensionem, communemque utilitatem. (d)

5. *Familiarum*: quoniam ex his proximè componitur Civitas, ita sicut *Aristoteles* civitatem vocat, κοινωνίαν ταῖς οἰκίαις καὶ τοῖς γένεσι. *Vid. lib.* 3. *politic. c.* 6. (e)

6. *Juris fruendi*: hic enim finis præcipuus est eorum, qui civitatem constituunt, ut bonis vitâque suâ, beneficio tutelâque Juris, quod alioqui bellis injuriisque turbatur, frui possint. (f)

7. *Vitæque felicis gratia*: id rursus ex *Aristotele d. loc.* ζωῆς τελείας χάριν καὶ αὐτάρκους, vitæ perfectæ, sibique sufficientis, qualis extra civitatem in solitudine haberi nequit. (g)

8. Beatitudo illa civilis est du-

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. de Jure Civil. lib. 1. Sect* II. *cap. II.* §. 17. (b) *Ibid.* §. 18. (c) *d. l.* §. 1.

(d) *Ibid.* §. 2. (e) *Ibid.* §. 4. (f) *d. l.* §. 6. (g) *Ibid.* §. 7.

plex, quam *Cicero* utramque describit: ut *civitas opibus firma, copiis locuples, gloria ampla*, denique *virtute honesta sit*, *lib.* 8. *ad Att. epist.* 11. (h)

9. Ex eadem αὐταρκείᾳ colligit *Aristoteles*, servos ad communionem civitatis non pertinere; quia τό δῦλον ὐκ αὐτάρκες, servilis conditio minime beata, sed omnino pœnitendæ conditionis est. (i)

10. Quod tamen non impedit, quominus despotica imperia, in quibus herili potestati homines subjiciuntur, rectè Civitates dicantur, ut disputavimus contra Grotium, *lib.* 1. *Digress. cap.* 15. (k)

11. Denique est in definitione; *summo imperio:* quale si non sit, nec civitas per se, sed alterius civitatis pars constituitur, etsi forte conformationem distinctam habere videatur. (l)

12. Ubicunque igitur tale imperium est, ibi civitas existit; æque ac corpus, ubicunque anima est. Ubi plures ejusmodi ordines, ibi & plures civitates, ac Respublicæ, intelliguntur. (m)

13. Proinde *Helvetiorum*, atque *Belgarum*, per me licet addas, *Germanorum*, Imperia, non singulas sed plures constituunt civitates. (n)

14. Porro neque una est Civitas, ubi unum quidem caput, sed non unum corpus; penes unum quidem est summa potestas, sed non eadem subordinatio potestatum inferiorum. (o)

15. Hinc *Hispaniarum*, & *Magnæ Britanniæ*, Imperia non una, sed mutiplicia habenda sunt. (p)

(h) *d. l.* §. 8. (i) *d. l.* §. 9. (k) *d. l.* pup. (l) *Ibid.* §. 16. (m) *Ibid.* §. 19. (n) *Ibid.* §. 20. (o) *d. l.* §. 24. (p) *d. l.* §. 25.

CAP. II.

De fundamento & efficacia Imperii, quæ ex origine Civitatis, & è naturâ status Democratici, indagatur.

Ex definitione REIPUBLICÆ liquet, ordinem *Civitatis*, adeoque totam *Juris Publici* disciplinam consistere in jure imperantium, atque eorum qui subjecti sunt. (a)

2. Quæ

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. d. l. cap. III.* §. 1.

2. Quæ cujusmodi ſint, & quomodo pariter conſiſtere debeant, plena ſemper difficultatis viſa fuit, & eſt diſquiſitio. (b)

3. Dum *alii* poteſtatem imperantium in infinitum extendentes, genus humanum libidini paucorum ut mancipia, imo ut bruta animalia, (neque enim ſecus loquuntur) tanquam jure ſubjiciunt. *Hobbeſius de Cive cap.* 12. *in pr. & paſſ.* (c)

4. *Alii*, Imperantes nihil fere aliud quam miniſtros populorum (ſic etiam loquuntur) reputantes, in hoc ſunt, ut leviſſimo momento ſtatus civitatum, ordinesque, inter ſe periculoſe committant.(d)

5. Paucis curæ fuit ita rationes inire, ut inter abruptam civium contumaciam, & effrenem dominandi licentiam, medium iter periculis utrinque vacuum, aut minus infeſtum, reperiatur. (e)

6. In ſummâ autem, prima Imperiorum differentia eſt, quod *voluntaria* ſint, aut *involuntaria*. (f)

7. Hæc aut invitis imponuntur bello, aut volentibus quidem, ſed neceſſitate aliquâ majore ſubactis, cujusmodi *actiones* philoſophi *mixtas* appellant. (g)

8. Sic olim Campani à Samnitibus ad extrema redacti, ſe, urbem, agros, divina humanaque omnia, in S. P. Q. R. ditionem tradiderunt. *Livius lib.* 7. *c.* 33. (h)

9. *Voluntaria* Imperia ex conſenſu multitudinis originem habuere. Naſci enim illa immediatè à Deo, ut in rebus humanis nihil ſit, quod vel ſecundæ cauſæ ferre queat nomen, quomodo noviſſime *Graswinkelius* operoſe disputat, incondita ſententia eſt, *in tract. de Jur. Maj. c.* 1. & 2. *nec non vernac. tract. de ſummâ poteſt. Ordd. Holl.* (i)

10. Ratio nimis manifeſta in contrarium eſt, ut ex ſuprà dictis intelligi potuit. Etiam hoc, ſi non quemque res ipſa convincit, quod populus, ſi velit, imperii facultatem ipſe retineat, nec in unum vel paucos conferre cogatur. (k)

11. Sed contulit ideo, quia ſine ordine certo non poterat confuſio evitari, nec commoda univerſorum aliter invicem communicabantur. (l)

12. Maxime, cum ob feritatem, pravitatemque hominum, dictata rationis negligerentur, tantumque omnes valere vellent,

(b) *Ibid.* §. 2. (c) *d. l.* §. 4. *ſeqq.* (d) *d. l.* §. 9. Conf. Auctoris *diſſert. de Jure Imp.* *cap.* I. *ſeqq.* & *in Op. Mai. lib.* I. *Sect.* X. (e) *d. l.* §. 10. (f) *d. l.* §. 11. *junc. lib.* I. *Sect.* II. *cap.* I. §. 24. (g) *d. lib.* I. *Sect.* II. *cap.* I. §. 25.

(h) *d. l.* §. 26. (i) *d. l.* §. 27. (k) *d. l.* §. 28. (l) *Ibid. cap.* I. §. 3.

quantum viribus possent: palam est, opus fuisse, ad bella evitanda, conjunctione multorum. (m)

13. Neque vero tamen consensio in fœdus, ad tollendam confusionem sufficiebat. (n)

14. Necessaria fuit ejusmodi ratio, & modus, per quem omnium voluntas una fieret. (o)

15. Neque enim aliter communium actionum exitus ad concordiam obtineri poterat. (p)

16. Hæc est unio illa, quam vocamus REMPUBLICAM. Et multitudo hoc modo unita CIVITAS dicitur. (q)

17. Voluntas autem una ista nihil aliud est, quam IMPERIUM *Civitatis*. (r)

18. *Consensu* tali priscos populos à dissipatione generis humani, saltem aliquos, in unum coaluisse, dubium non est. (s)

19. Complures tamen *vi bellicâ* sub Imperium aliorum fuisse redactos, sacræ literæ, & experientia rerum humanarum, docent. (t)

20. Poteratque hæc *origo Civitatis* esse justa, si, qui hac gratiâ invaserant alios, vincerentur. (v)

21. Imò occidi poterant, si qui alios prius occidissent, aut morte quicquam dignum admisissent. (x)

22. Proinde & rebus suis, omnique jure, privari poterant; quia quos honestum est occidere, eos spoliare non potest esse inhonestum. *Cicero lib.* 3. *off. cap.* 6. (y)

23. Sed ut potentior imbecilliores, nulla aliâ causâ, ad obsequium cogeret, id naturalis *facti* non *juris* habendum, secus ac *Hobbes* voluit. (z)

24. Intelligimus inde *Civitatis constitutionem* nihil aliud esse, quam recessum à statu naturali; neque aliam ejus causam esse post Deum, quam voluntatem singulorum, omniumque conventionem; quod præter *Graswinkelium* negare neminem recordor. (a)

25. Unde liquere videtur, in cujusque populi potestate fuisse (loquimur de imperiis *non violentis*) modum statuere, quatenus à naturalibus recedere vellent. (b)

26. Tantumque juris in Imperantes fuisse translatum, quantum populus in eos transferre voluit. (c)

27. At *Hobbes* ex eodem principio colligit, cives tantum juris transtulisse in Imperantes, quantum potuerunt, ut nihil exemerint, *de Cive, cap.* 6. §. 13. (d)

28. Nec quidem potuerint eximere;

(m) *Ibid.* §. 4. (n) *Ibid.* §. 5. (o) *Ibid.* §. 6. (p) *Ibid.* §. 7. (q) *Ibid.* §. 8. (r) *Ibid.* §. 9. (s) *Ibid.* §. 13. (t) *Ibid.* §. 14. (v) *Ibid.* §. 15.

(x) *Ibid.* §. 16. (y) *Ibid.* §. 17. (z) *Ibid.* §. 20. (a) *d. lib.* I. *Sect.* II. *cap.* III. §. 17. (b) *d. l.* §. 18. (c) *d. l.* §. 19. (d) *d. l.* §. 21.

mere; eò quod per unionem imperii omnium voluntas una ſit facta. (e)

29. Et quia populus, imperio ad unum hominem, vel concilium delato, nihil, quam ſinguli, & diſſoluta eſt multitudo. Unde nec ullum jus, quod eſt qualitas perſonæ competens, populo poſt imperium tranſlatum tribui poſſit, *d. cap. 6. pr. & in not.* (f)

30. Nos, ut fundamentum naturamque hujus rei clare detegamus, primo ſtatum Imperii qui minime à Naturali recedat, conſiderabimus; qui eſt *Democraticus*, in quo jus imperandi penes populum eſt univerſum. (g)

31. *Forma* ejus eſt, fœdus omnium cum omnibus, cujus ſumma ſit, *ut quæ conſenſu majoris partis ſtatuuntur, ea cunctos obligent.* Idque in perpetuum, quia norunt, quo tempore ab Imperio cummuni receſſerint, neminem ſalutis ſuæ fore certum, omniaque peſſum itura, quod eos minime velle manifeſtum eſt. (h)

32. *Plurium ſuffragiorum* prærogativa ideo neceſſaria eſt, quod alioqui publicis conſiliis exitus nullus dari poſſet. Scilicet ita, ut quod plures voluerint, hoc omnes & ſinguli velle cenſeantur; neque minus id ipſum totius populi voluntas eſt. (i)

33. In ejusmodi conſenſionem democraticam populi facile deſcendunt, ſiquidem omnium in eo fœdere conditio, ſpes, & ratio, par eſt; nec quisquam magis ſe ſuperatum iri, quam alios ſuperaturum præſumere poteſt. (k)

34. Neque dubium, quin fœderati, ſuum illum conſenſum de omnibus rebus, quæ ad ſalutem utilitatemque communem ullo modo pertinent, intellectum velint: etiamſi contingat, ut ſaluti commodisque paucorum aliquid adverſetur; ſalva enim res communis eſſe non poſſet, ſi ratio ejus non vinceret utilitatem privatam. (l)

35. Adeo, ut ne vitæ quidem, rebusque ſingulorum propriis, boni communis causâ, parci velle videantur. In hoc enim pulcherrima conſenſio generis humani relucet; ut tanto quisque melior civis reputetur, quanto libentius vitam opesque pro patriâ ſua exponit. *Vid. Grotium lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 7. (m)

36. Proinde tali caſu eveniente, tum ei, in quem ſors incumbit, non fit injuria, quod absque ſuo merito patiatur malum; in hoc enim

(e) *d. l.* §. 22. (f) *d. l.* §. 23. (g) *d. l.* §. 25. (h) *d. l.* §. 27.

(i) *d. l.* §. 28. (k) *d. l.* §. 31. (l) *d. l.* §. 32. (m) *d. l.* §. 33.

cum aliis consensit. Proinde nec resistere illi (i) populo per plura consentienti licebit. (n)

37. Nec quicquam refert, quod ad vim obligandi attineat, utrum rectius an pejus major pars sentiat; alioqui lis super hoc judicio rem identidem ad primam reduceret confusionem, quam ut omnium malorum maximum cives super omnia vitare voluerunt. (o)

38. Quod si tamen, coitione facta, *pars major* palam id ageret, ut reliquos non modo superarent semper (quod in rebus mediis ferendum) sed etiam *vita bonisque* pro lubitu exuerent, dicendum videretur, pauciores separare se posse; proinde & resistere. (p)

39. Neque enim consenserunt in id, quod scopum societatis institutæ penitus everteret. (q)

40. Immo fortean nec singuli plane, si qui ad mortem manifestâ injuria vocarentur, vi primæ consensionis ad ferendum tenerentur. (r)

41. Enimvero ingentis boni communis causa, posse extendi obligationem expressam usque ad *mortis patientiam*, ratio juris idonea, quæ prohibeat, nulla profertur. (s)

42. Sed cum à morte homines efficacissime abhorreant, non potest dici, quod primi conditores civitatis, commune fœdus, quo pars minor populi tenetur eo quod plures volunt, ad mortem sine ullâ causâ ferendam durare voluerint. *Vid. Grotius d. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 7. (t)

43. Concludimus igitur, in *Democratia*, sive populari Imperio, singulos teneri ad ferendas injurias totius populi, exceptis hisce *duobus casibus*, qui commemorati sunt, §. 38. (v)

44. Tu dices: *pars minor semper contendere potest, aliquem ex his casibus esse commissum, & sic vis illius fœderis enervabitur.* Quasi non *vana in omnes opiniones versari possint*, ut Livius ait. Hoc agimus, ut sano judicio termini statuantur, non ut detorsiones ineptæ evitentur, quod nulla ratio præstare potest. (x)

45. Plane ex his sequitur, *Civitatem*, id est, majorem populi partem, adversus singulos fieri posse ream injuriæ. (y)

46. Quod enim mentem fidemque pacti egreditur, non potest non injurium censeri; Respublica autem per conventionem de vitâ bo-

(n) *d. l.* §. 34. (o) *d. l.* §. 35. (p) *d. l.* §. 39. (q) *d. l.* §. 40. (r) *d. l.* §. 42. (s) *d. l.* §. 43.

(t) *d. l.* §. 44. (v) *d. l.* §. 46. (x) *d. l.* §. 47. (y) *Ibid. lib. I. Sect. II. cap. IV.* §. 1.

bonisque omnium defendendis constituitur, quæ conventio tam violari, quam servari potest. (z)

47. *Hobbes* dicit, non esse pactum inter pauciores & plures, quatenus hi corpus constituunt; *sed inter singulos cum singulis*: ideoque plures, cum singuli non sint, sed jus omnium prærogativa suffragiorum nacti, haudquaquam ex pacto teneri. *Hobbes de Cive cap.* 5. §. 7. & *cap.* 7. §. 7. & §. 12. Ad hæc, nostra sic ratio est: (a)

48. Non est dubium, quin omnes in reciprocâ stipulatione ac sponsione, eum imprimis casum spectaverint, quo unice obligationis usus erat futurus, nempe, *quo ad suffragia de rebus communibus multitudo vocaretur.* (b)

49. Dum itur ad suffragia, nemo in superiore numero est, qui non ex pacto reliquis teneatur, & quidem in eum maxime eventum, *si ex plurium numero ipsum esse contingat.* (c)

50. Ubi nemo obligationis est expers, ibi universos obligari oportet; vinculum enim personale fidei, quo omnes obstricti sunt, prætextu universitatis eludi nulla juris ratio permittit. (d)

51. Quod si nulla fœderis ratio inter plures, qui consentiunt, & reliquos esset, scire cuperem, quid impediret, *quominus major pars suo consensu dissolvere posset Rempublicam.* Atqui non esse hoc in eorum potestate, docet ipse *Hobbesius*, idque vi fœderis primitivi, *cap.* 6. §. 20. (e)

52. Ex his palam fit, eos qui prætextu numeri prævalentis latrocinium exercent, rectè perfidos injuriosque in *democratiâ* dici. (f)

53. Tamen extra *duas* illas *species* supra collocatas nullum aliud exceptionis specimen agnoscere possunt, qui nolunt *populum in eandem confusionem recidere*, quam vitare voluerunt. (g)

54. Nisi quod de *rebus divinis* propria consideratio est, de quâ suo loco agetur. (h)

55. Nisi & diserte initio constitutæ Reipublicæ *aliæ sint res expressæ*, in quibus prærogativa suffragiorum non obtineat. Quod tamen in *democratico statu* raro solet fieri. (i)

CAP.

(z) *Ibid.* §. 4. (a) *Ibid.* §. 6. (b) *Ibid.* §. 11. (c) *Ibid.* §. 12.

(d) *Ibid.* §. 13. (e) *Ibid.* §. 18. (f) *Ibid.* §. 20. (g) *Ibid.* §. 21. (h) *Ibid.* §. 22. (i) *Ibid.* §. 23.

CAP. III.

Quo probatur, idem quod pars major poteſt in Democratiâ, etiam poſſe Reges, & Optimates.

SEd *Popularia Imperia*, imprimis majora, omnibus ſeculis plena confuſionis & turbarum fuere. Quas ut evitarent, pleræque gentes jus imperii certis hominibus, iisque vel ſingulis, vel paucis, concedere maluerunt. Unde *Ariſtocratiæ*, aut plerumque *Monarchiæ*. (a)

2. Pertaeſus, inquam, diſcordiarum populus deſinit velle certare ſuffragiis. Proinde Imperium ita defert aliis, ut *multitudo de ſummâ Republicâ amplius non arbitretur*. (b)

3. Quod argumento eſt, *illum abdicaſſe ſemet Imperio*, amiſſâ ratione unicâ exercendi juris ſui. (c)

4. Hoc jus amiſſum non eſt, nec poteſt alibi eſſe, quam penes eos, quibus id populus datum voluit, expreſſe vel tacite, videndo ſcilicet atque experiendo. (d)

5. Nec omnino illud jus, aut minus, aut majus eſſe poteſt, quam fuit apud *multitudinem*, prærogativâ ſuffragiorum, ad imperii vim diſcretam. (e)

6. Unde liquet falſum eſſe, *quod populus univerſus ſemper ſuis Principibus ſuperior ſit*; aut Rex ſit quidem ſingulis major, at minor univerſis. (f)

7. Nam ut *pars major* populi nullam ſuprà ſe poteſtatem agnoſcit, ita *Principes* (ſub quibus & *Optimates* comprehendo) ſimpliciter recepti nihil habent ſuperius. (g)

8. Ejusmodi vim Imperii, qua & ſinguli & univerſi conſtringantur, in *Democratiâ* nemo recuſat. Nec videas illam homines negare, in ejusmodi civitatibus *Ariſtocraticis*, ubi ingens numerus Imperantium habetur, velut hodie *Venetiis*, & in *Friſiis*. (h)

9. Nemo dubitat, quin magnus Patriciorum Senatus *Venetiis* idem jus habeat, quod olim pars major populi, cum civitas demo-

cra-

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. lib. I. Sect. II. cap V.* §. 1. (b) *d. l.* §. 8. (c) *d. l.* §. 9. (d) *d. l.* § 15.

(e) *d. l.* §. 16. (f) *d. l.* §. 24. (g) *d. l.* §. 25. (h) *d l.* §. 36.

cratice regeretur, habebat; idemque in omnibus Aristocratiis laxioribus animadvertas. (i)

10. Sed qui summam rerum pauci admodum, vel singuli tenent, hi controversiam patiuntur. Quod argumento est, *invidiâ insolentiâque parendi magis, quam juris ratione, plerosque hominum agitari in contrarium.* (k)

11. Quippe vinculum obligationis in omni genere civitatis, quæ simpliciter instituta est, eodem modo se habere, ratio validissimè evincit. (l)

12. Prorsus enim quod fœdus in *Democratia* singuli cum singulis ineunt cives, quo se parti majori spondent parituros, id in diversis formis super placitis *Principum & Optimatium* fieri palam est. (m)

13. Multi, pauci, an singuli sint, quibus se parituros spondent, nihil ad summam obligationis conferre, vel ex eâ detrahere potest. (n)

14. Ex eodem fundamento sententia illorum evertitur, qui *mutuam subjectionem* inter populum & Imperantes existere volunt. Ita, ut populus universus *rectè* imperantibus parere debeat; principes autem *male* imperantes populo subjiciantur, ut in castris ad Trojam:

Καὶ τοῖς Ἀτρείδαις ἢν μὲν ἡγῶνται καλῶς
Πεισόμεθ', ὅταν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πεισόμεθα.

id est, eodem metro,

Et nos Atridis, si quidem bene imperent,
Parebimus; sin minus, non parebimus.

Euripides Iphigen. in Aul. v. 927. quod omnis confusionis initium & fundamentum sit oportet. Vid. *Grotius, lib.* 1. *c.* 3. §. 9. (o)

(i) *d. l.* §. 37. (k) *d. l.* §. 39. (l) *d. l.* §. 40. (m) *d. l.* §. 41.

(n) *d. l.* §. 43. (o) *d. l.* §. 50. *seqq.*

CAPUT IV.

Quo rationes contrariæ examinantur.

ARgumentum I. quo dissentientes utuntur, *quod is qui alium constituit, superior sit constituto, neutiquam universale est.* Fallit enim in his, *quæ primo voluntatis, postea sunt necessitatis;* ut in eo, qui se domino sponte mancipat, omnique die in matrimonio videmus, quo mulier eligens virum non desinit inferior esse electo, idemque in adolescentibus curatores suos eligentibus *l.* 2.

§. 4. & *sequ.* *ff.* *de His qui pet. tut.* & *curat.* (a)

2. Nec firmiorem II. illud habet sequelam, *Reges sunt propter subditos, ergo hi sunt superiores*, *Brutus in Vind. contr. tyr. qu.* 3. quod vel pupilli & tutoris exemplo apparet, ex eorum genere esse, quæ sæpe, non quæ semper obtinent, utcunque Apostolus eo quoque utatur *Ep.* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *Nempe iis, de quorum subjectione jam constat, hæc ratio bene inculcatur*; non ut inde subjectio dubia probetur. (b)

3. Tertium argumentum: *Potestas imperantium pendet atque profecta est à voluntate populi, quae non præsumitur hæc esse, ut universi unius imperio subiciantur. Brutus d. tract.* & *quæst.* 3. Resp. voluntas è verbis colligi debet; hæc ubi indefinita sunt, voluntatem quoque universalem oportet accipiamus: populus transtulit omne jus suum; non potest igitur quæri, an fecerit, quod factum esse videmus.(c)

4. Quod autem IV. aliqui volunt, *mandati* obligationem inter populum & Imperantes intercedere, est injurium in summas potestates; quin si electio & prima constitutio regis mandatum inferat necessario, quid ni & maritalis, & Curatoria protestas, ad naturam mandati exigantur? (d)

5. Plus valoris inesse videtur petito *è sacris literis* argumento, ubi fœderis longe alia, quam nos collocavimus, ratio tradatur. (e)

6. Fœdus esse (narrat ita Junius Brutus in *quæst.* 2.) *inter Deum, populum, & Regem, quod futuri sint populus Dei.* Cujus sanctio sit: *si perseveraveritis in malitiâ, tam vos, quam Rex vester peribitis, lib.* 2. *Reg. cap.* XI. *v.* 17. & 2 *Chron.* XXIII. *v.* 16. & *lib.* 1 *Sam. c.* 12. *v.* 16, 17. & *ult.* (f)

7. *Duos* hic esse volunt *reos* promittendi, qui in solidum singuli obligentur, Regem & populum; uti de duobus reis nota Juris est doctrina, *tit.* *ff.* & *Inst. de duobus reis*, nempe universitate hominum unius personæ vicem sustinente. (g)

8. Regem igitur, si populus legem Dei violet, teneri ad hanc promissionem integre præstandam. Proinde ad cogendum quoque populum, uti stet promisso, puniendumque, si qui fidem rumpere sint ausi. (h)

9. Sic populum quoque, deficientem Regem quasi e fugâ re-

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. d. lib.* I. *Sect. II. cap VI.* §. 5. *seqq.* (b) *ibid.* §. 7. (c) *ibid.* §. 9.

(d) *Ibid.* §. 12. (e) *Ibid.* §. 29. (f) *Ibid.* §. 30. (g) *Ibid.* §. 31. (h) *Ibid.* §. 32.

retrahere, & coërcere debere. (i)

10. Ni faciat, fore ut populus delicta Regis luat, ut, exempla sunt in *lib.* 2. *Samuel. cap.* 8. *&* *ult.* Absurdum fore, si populus ad præstanda luendaque Regis facinora teneatur, & impedire illa non possit; *cum ultra id quod potest nemo teneatur.* (k)

11. Ad hæc nos ita: verum est, populum vi fœderis cum Deo pacti, non debuisse Regibus obedientiam; in tantum *ut contra leges Ipsius delinquerent.* Sed nihil profertur, quare populus debendi reus in solidum fuisse dicendus sit. (l)

12. Quippe in delictis, contra leges admissis, obligatio ad pœnam non egreditur personas delinquentium. Quæ tam juris divini, quam naturalis, & civilis, notissima regula est. *Deuteron. c.* 24. *v.* 16. *Ezech. c.* 18. *v.* 20. *lib.* 11. *Reg. c.* 14. *v.* 6. *lib.* 11. *Chron. c.* 15. *v.* 5. (m)

13. In juris quoque disciplinâ inauditum est, *duos reos* in maleficiis per conventionem expressam constitui; accidit quidem, ut plures ex eodem delicto in solidum teneantur, sed hoc singuli suo facto, non paciscendo, vel promittendo, contrahere solent, aut possunt. (n)

14. Populum utique insontem ob peccata Regum fuisse punitum, nuquam probatur. Nam vix est, ut in exemplis modo projectis, & si quæ alia publicæ administrationis delicta in plebem expiata sunt, subjecti se non participes etiam committendo fecerint. *Grotius lib.* 1. *c.* 2. §. 10. *in fin.* (o)

15. Nihil etiam vetat respondere, pestem atque famem fuisse mala, quibus Deo placuit ad populum suum visitare, propter alia peccata, quorum materia non defuit; ut necesse non sit, dicere, populum Israelis luisse meritum Regis, quod is maleficio personali suo contraxerat. (p)

(i) *Ibid.* §. 34. (k) *Ibid.* §. 35. (l) *Ibid.* §. 37. *seqq.* (m) *Ibid.* §. 39.

(n) *Ibid.* §. 40. (o) *Ibid.* § 48. (p) *Ibid.* §. 50.

CAP. V.

Quo superior sententia confirmatur ex Jure Romano, & Literis Sacris.

PLacet his rationibus, ex sana philosophia petitis, subjungere probationem sententiæ superioris, ex Jure Romano, & è Sacrâ Scripturâ; quæ sunt duæ præcipuæ auctoritates, quibus in hoc genere liceat uti. (a)

2. Summa probationis ex Jure Romano petita, est in verbis Ulpiani *l.* 1. *π. de Constitutt. Princ.* unde ita colligimus: *Princeps Romanus tantum potestatis habuit in populum, & res imperii, quantum populus ipsemet antea tenuit, & exercuit; atqui populus Romanus, ante translatum in Cæsares imperium, habuit liberam nullique subjectam potestatem; proinde non potest fieri, quin etiam princeps æque postea liberam, & absolutam, nullique subjectam potestatem habuerit.* Prima positio in verbis Ulpiani: *populus ei & in eum omne suum imperium & potestatem contulit*, (b)

3. Altera positio superioris argumenti est, quod *populus antea liberam & absolutam potestatem habuerit*, tam evidens est, ut probationis non indigeat. (c)

4. Nec est in mundo, qui actiones *liberi populi* (nam talem ponimus nullius alterius potestati subjectum) impedire vel coarctare possit. Proinde nihil est, quod conclusionem impedire queat: *princeps Romanus habuit liberam, & absolutam, nullique subjectam potestatem.* (d)

5. Hæ rationes ex Jure Romano, rectaque ratione, propositæ, Sacris etiam Literis conveniunt; passim enim in Veteri Novoque Testamento sparsa videmus monita de obsequio regibus, & potestatibus præstando, non tantum bonis & æquis, sed etiam duris & difficilibus, *Petri Epist.* 1. *cap.* 2. *vers.* 18. nec usquam limitationes occurrunt, aut exceptiones, quibus liceat civibus se opponere dictatis regnantium. (e)

6. Quin imo Principes simpliciter constitutos habere *jus*, id est, potestatem, singulos cives, juris

(a) *d. lib.* 1. *Sect. II. cap. VII.* §. 1. (b) *d. l.* §. 2. (c) *d. l.* §. 8. (d) *d. l.* §. 9. (e) *d. l.* §. 10.

juris prætextu, vitâ bonisque spoliandi, ex autoritate sacrâ probari posse videtur; non ut injuriæ ac insolentiæ principum, bonæ justæque fiant; sed quia cives obligantur ad patientiam, nec ideo se principum imperio subducere, vel iisdem vi resistere possint. (f)

7. Probatio petatur è *lib.* 1. *Sam. cap.* 8. *vers.* 9. & 11. ex loco illo celebri Samuelis. Populus Israëlis, qui adhuc gubernatus erat manu divina per Prophetas & Judices, cœperat insolescere, & aversari illud invisibile sceptrum, quod mente solâ venerari poterant; regem petere vicinarum gentium exemplo in animum induxerunt. Hac occasione Propheta jussu Dei proposuit universo populo, quæ potestas regis, quem sibi postulabant, esset futura; *hoc erit* inquit Samuel, *jus regis*, *qui vobis imperitabit*, *eripiet vobis filias*, & *agros vestros, ac dabit servis suis*, ac ita porro. (g)

8. Jam dixi, quale *jus* ibi sit intelligendum, non æqui piique regis officium, quod longè aliter describitur in Deuteronomio, *Cap.* 17. *v.* 14. & *seq.* sed *consuetudo* dominationis, quæ tamen juris effectum haberet in subjectos imperio, quatenus eos obligaret, ut diximus, ad patientiæ legem. (h)

9. Nam alterutrum necesse est; aut Samuel hanc regis potestatem exposuit, ut populus sciret quid patiendum foret; aut hac mente fuit, ut animaret, ac instrueret eos ad oppositionem. (i)

10. Sed posterius a scopo, quem in hoc textu habuit, alienum est; id enim egit, ut populum, si potis esset, a rege petendo absterreret, quod assequi non poterat, si præmonuisset eum, quid a rege non esset ferendum; sed ad illum finem pertinebat, docere, quid patiendum foret. (k)

11. Satis constat, esse non paucos interpretes, qui hunc locum aliter reddiderint, quam vetus interpres Latinus, Germanicus, & Belgicus post τοὺς ό. (l)

12. Nam Tremellius vertit: *ratio Regis*, Scaliger 1. *epist.* 15. *modus Regis*. Belgæ recentes, de wyse des Konings/ ut etiam Piscator, des königs weise. Sed forte nihil opus est, à celebriori significatione vocis משפט, quæ *jus* significat, recedere, eo quo dictum sensu. (m)

13. Hinc liquet, nullius momenti esse objectionem, quæ ab exemplo Achabi adversus Nabothum, similibusque desumitur.

(f) *d. l.* §. 11. (g) *d. l.* §. 12.

(h) *d. l.* §. 13. (i) *d. l.* §. 14. (k) *d. l.* §. 15. (l) *d. l.* §. 16. (m) *d. l.* §. 20.

Quippe jus illud Regium non tollit impietatem diritatemque facientium injurias, sed tantum *obligat ad patientiam* cives; ut scirent, non modo parendum esse τοῖς ἀγαθοῖς καὶ ἐπιείκεσι, ἀλλὰ καὶ τοῖς σκολιοῖς, *non tantum bonis & æquis, sed etiam iniquis*, ut Petrus *Epist.* 1. *cap.* 2. *v.* 18.

Bonus & æquus ad exemplum Ulyssis, in *Odyss.* δ. *vs.* 689. *sqq.*

> Οἷος Ὀδυσσεὺς ἔσκε μεθ' ὑμετέροισι τοκεῦσιν·
> Οὔτέ τινα ῥέξας ἐξαίσιον οὔτέ τι εἰπὼν
> Ἐν δήμῳ ἥτ' ἐστὶ δίκη θείων βασιλήων.
>
> *Qualis apud veteres divus regnabat Ulysses,*
> *Qui nulli civi, dicto, factove, nocebat:*
> *Scilicet hoc Regem Dis immortalibus aequat.* (n)

(n) *d. l.* §. 25. *&* 29.

CAP. VI.

De Summæ Potestatis definitione, & differentiâ.

SUMMA POTESTAS *est Facultas moralis regendi civitatem, cujus acta nullius humanæ voluntatis arbitrio infirmari possunt. Grotius lib.* 1. *cap.* 3. §. 6. *in pr.* (a)

2. Differentiæ hujus argumento, pleraque difficilia quæstionum, circa hoc caput moveri solita, suis quæque locis conficiemus. (b)

3. Dividitur à multis in Majestatem *Realem* atque *Personalem*; quarum illa universo corpori civitatis, hæc paucis vel uni Imperantibus conveniat. (c)

4. Sed vitiosam hanc esse divisionem putamus, quoniam si Majestas sit jus summum, fieri nequit, ut duplex sit, non magis quam in una linea dentur duæ summitates. (d)

5. Potest quidem fieri, ut optimatibus, aut principi, aliquid detractum, vel circumscriptum, ordinique diverso datum sit; verum hoc inquam ad divisionem *Majestatis Personalis* referendum. (e)

6. Nihilo melior est distinctio Majestatis in *Delegantem* & *Delegatam*: nam si illi, qui delegant Im-

(a) *d. lib. 1. Sect. III. cap. 1.* §. 8. (b) *Ibid.* §. 9. (c) *Ibid.* §. 11.

(d) *Ibid.* §. 12 (e) *Ibid.* §. 13.

Imperantes, horum acta possunt infirmare, planum est, quod delegantes non transtulerint, sed retinuerint summam potestatem, legatosque habeant, ut ministros. (f)

7. Si infirmare illa nequeant, palam est, quod delegantes potestatem summam habere desierint; proinde, quod transtulerunt, hoc ipsis non recte amplius adscribitur. (g)

8. Scilicet, auctores harum divisionum tenent, in populo universo semper residere summam potestatem: quod cum ratione modò improbavimus, adeoque & divisiones illas rejici consentaneum est. (h)

(f) *Ibid.* §. 17.

(g) *Ibid.* §. 18. (h) *Ibid.* §. 20.

CAP. VII.

Continens Monita de aliis Imperii differentiis.

SUnt, qui ex aliis quoque rebus differentiam *summæ potestatis* colligunt. Primo interesse putant plurimum; quâ *forma* Reipubl. civitas gubernetur, monarchiâ, vel plurium imperio? & in *monarchiâ*, sit ne despoticum, an civile Regnum? (a)

2. Sit ne patrimoniale, an quasi fructuarium? populoque volente, an invito constitutum? (b)

3. Utrum *eligantur*, an *successione* gaudeant Imperantes? temporalis, an perpetua sit potestas? (c)

4. Nonnullis quoque parvitate, vel magnitudine civitatum, jus summi imperii visum fuit variari; denique, nominum titulorumque species hominum judicia sæpe præstringit. (d)

5. Nos ex illis omnibus nihil ad *summitatem Imperii* tollendam, augendam, vel minuendam facere putamus. (e)

6. Nam quod ad *formam* regiminis attinet, hoc superius satis refutatum est. (f)

7. Plus discriminis inter heriles sive Despoticas, & civiliores monarchias; ut & patrimoniales atque fructurias, consistere videtur. (g)

8. Sed tenendum, in hoc capite non quæri, de majori minorique

(a) *d. lib. I. Sect. III. cap. II.* §. 1. & 2.
(b) *d. l.* §. 3. (c) *d. l.* §. 4.
(d) *d. l.* §. 5. (e) *d. l.* §. 6. (f) *d. l.* §. 7. (g) *d. l.* §. 10.

rique efficaciâ imperii; verum, an unum præ altero magis minusve *summum* sit imperium, quod heic negatur. (h)

9. Dabimus, loco rationis exexplum: patris in liberos poteſtas Jure Gentium, & Civili aliquantò minor habetur, quam dominorum ſuper ſervos; Patria tamen poteſtas æquè eſt ſumma & abſoluta, quam Dominica poteſtas. (i)

10. Præterea, nec electionis, ſucceſſionisque differentiâ, juris rationem, reſpectu ſummæ poteſtatis, mutari, *ſuprà dictis* conſentaneum eſt, & facile probatur. (k)

11. Etenim *Succeſſiva* Imperia, quæ quidem voluntaria ſunt, initium ab electione habuere. Nec plane aliud eſt ſucceſſio, quam juris initio ab eligentibus ſtatuti continuatio. (l)

12. Quidam in definitione Majeſtatis requirunt, ut *perpetua* ſit poteſtas; quaſi temporarium Imperium non eſſet ſummum; ſed hoc à philoſophiâ, & à juris ratione, alienum putamus. (m)

13. Quippe natura rerum moralium, non à *tempore*, ſed ab *effectis* æſtimatur, qui poſſunt iidem eſſe in brevi, ac in longiori tempore; quo facit, quod nec in Jure Civili temporis adjectio vim naturamque dominii, aut obligationis, alioqui mutat. *Dixi ad tit. ff. de eo quod cert. loc.* (n)

14. Æque igitur ſummam, abſolutamque poteſtatem, habent Rectores *annui* Civitatum, quam perpetui. (o)

15. *Magnitudinem* parvitatemque civitatum nihil facere ad diverſitatem ſummi Imperii, modo ſuperiorem non habeant, facilius intelligitur; niſi quod enormis quandoque differentia hominum judicia diſtrahit. (p)

16. Poſtremo, ſæpius evenire docent hiſtoriæ, ut *nomina* ſummae poteſtati conſueta tribuantur iis, qui rem nullo modo habent; quod de Regibus *Laconicis*, & *Germanis* olim; hodieque de *Polonis*, ipſisque, pene dixeram, *Cæſaribus*; ne de Venetorum, aut Genuenſium Ducibus loquar; adfirmari poteſt. (q)

17. Denique, ſummam poteſtatem evidenter aut tolli aut minui putant multi, cum in Regno conſtitutum eſt, ut decreta principis non aliter valeant, quam ſi in aliquo *Senatu* recognita, & approbata ſint. (r)

18. At hoc ejusmodi eſt. quod ſæpe fallit, cum plerumque magis

(h) *d. l.* §. 11. (i) *d. l.* §. 12. (k) *d. l.* §. 35. (l) *d. l.* §. 36. (m) *d. l.* §. 46. (n) *d. l.* §. 47. (o) *d. l.* §. 48. (p) *d. l.* §. 51. (q) *d. l.* §. 54. (r) *d. l.* §. 57.

gis id *prudentiæ*, quam juris sit institutum, non ut inde vis Imperii pendeat, sed ne Principes decipiantur à supplicantibus. Vid. *l. unic. C. Quando Imper. & Grotius*, *lib.* 1. *c.* 3. §. 18. (s)

(s) *d. l.* §. 58.

CAP. VIII.

Quatenus Summa Potestas per Fœdera mutetur.

Paritas civitatis adeò nihil detrahit juri summæ potestatis, ut non alibi magis doctrina ejus conspicua sit, quam ubi singulis urbibus Imperia terminantur. (a)

2. Sed per victorias, aut utilitate suadente, factum est, ut in majora corpora plures populi coalescerent, quod vel per *unionem* civitatis, vel per modum *fœderis arcti*, contingere solet. (b)

3. *Prior* ratio extinguit summam potestatem, ita ut qui prius imperabant, nunc imperata faciant; nam quæ antea fuerant civitates, jam membra majoris civitatis facta, nihil aliud, quam subjecti corporis partem, constituunt. (c)

4. *Fœderis arctioris*, ubi tamen non fiat *σύγχυσις πολιτείας*, variæ sunt species, quarum nulla summam potestatem lædit. (d)

5. In universum, est vel æquale, vel inæquale. *Fœdus æquale* non officere summæ potestati, per se patet; saltem restringit libertatem faciendi, quae velis in ea re, de quâ convenit, quod etiam in naturali, plenissimâque libertate, potest fieri. (e)

6. Exemplum præbet Respublica *Belgarum* unita, quæ fœdere Trajectino arctissime quidem est conjuncta, verum salvâ majestate singularum Provinciarum. (f)

7. De *fœdere inæquali* plus est dubii; inprimis distinguendum, utrum onus transitorium, an permanens, alterutri imponatur. (g)

8. Nam si qua *præstatio*, ratione sumptuum belli, redimendæve injuriæ, uni præ altero injungatur, id palam est, non officere juri Majestatis. (h)

9. Observandum est etiam, posse

(a) *d. lib.* I. *Sect.* III. *cap* III. §. 1. (b) *Ibid.* §. 5. (c) *Ibid.* §. 6. (d) *Ibid* §. 7. (e) *Ibid.* §. 8. (f) *Ibid.* §. 14. (g) *Ibid.* §. 21. (h) *Ibid.* §. 22.

se fieri, ut tales socii certo respectu se habeant ad instar *unius civitatis;* scilicet, in ejusmodi ditionibus, quas jure belli communiter partas per commune concilium regunt. (i)

10 Quin etiam *cogi*, & *plecti* potest socia civitas, quæ legibus fœderis satis non faciat; quæ res adeo non tollit jus summæ potestatis, ut ne quidem fœdus inæquale constituat. (k)

11. Quin etiam, qui bello victus cogitur victori solvere annuum *tributum*, etsi perpetuum; is eâ re non amittit summam potestamen: quia pecuniaria præstatio non impedit, quo minus is, qui tributum solvit, omnia imperandi acta libere in subjectos exerceat, neque desunt illustria præsentis & aliorum temporum exempla. (l)

12. Eâdem ratione dicendum, ne quidem *feudalia* Imperia, etsi habeant quem dominum appellent, cui servitia præstent, minime tamen jus summæ potestatis hoc ipso desinere habere; modo qui subditi sunt vasallo, jus provocandi ad dominum non habeant. (m)

(i) *Ibid.* §. 31. (k) *Ibid* §. 36.

(l) *Ibid.* §. 40. (m) *Ibid.* §. 41.

CAPUT IX.

De fundamento imminuendæ Majestatis, seu Summæ Potestatis.

PRobavimus pridem, in *Democratiâ* minorem populi partem non obligari ad patiendum illa duo extrema, quæ excepimus. *c. II.* §. 38. (a)

2. Verum in *Monarchiis* præsertim conspicuæ sunt leges, quibus principis potestati subinde non nihil eximatur. (b)

3. Nam in *Monarchiâ*, Imperantes ex pacto subditis fieri posse quodammodo obnoxios, ratio clarior, quam in *democratiâ*, docere potest. (c)

4. Nam in *populo universo* partes, fœdus contrahentes, in eodem ipso populo, penes quem est imperium, sunt quærendæ. (d)

5. At

(a) *d. lib. I. Sect. III. cap. IV.* §. 2. (b) *d. l.* §. 8.

(c) *d. l.* §. 13. (d) *d. l.* §. 14.

5. At in *regno*, pars una contrahentium è subjectis constat; alteram Imperans ipse constituit, ut apud Epirotas Reges jurabant *ἀντοὶ μὲν ἄρξειν κατὰ τοὺς νόμους, ἐκείνους δὲ τὴν Βασιλείαν διαφυλάξειν κατὰ τοὺς νόμους*, se juxta leges recturos; *populus* autem, se Regi juxta leges dicto audientes futuros. (e)

6. Sed *Hobbes* negat, subjectos ut unum quid posse considerari, ideoque ex pacto jus quod est personale habere non posse; non sunt unum, *ait*, quamdiu sunt congregati; multo minus, postquam dissoluti, quilibet ad sua dilapsi sunt; maximè, si nullum tempus, quo cives rursus conveniant, sit constitutum; sicut in *Angliâ* fit, ad quam ille tantum & ubique alludit. (f)

7. Sed ratio non valet ad probandum, *quod populus nullo modo faciat unitatem*; quippe delatio Imperii à populo in Regem fit uno actu. Nec enim à singulis ullus, opinor, Rex unquam immediatè fidem accepit. (g)

8. Populi decretum *Lex* appellatur. Legem nihil esse aliud quam communem Reipubl. sponsionem, *ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως*, fœdus universale, dixere sapientes, *l.* 1. *&* 2. *π de legib. ubi Demosthenes.* (h)

9. Qui vult, qui decernit, qui agit, qui jus transfert, numquid ille jus acquirere non possit? qui *totum* uno actu à sese alienat, an ille, quominus *partem* retineat, si res, de qua agitur, recipiat divisionem, impediri posset? (i)

10. Quid, si nunquam populus in unum conveniat, sed per oppida, territoria, per pagos dispersus Imperantes constituat, ut apud nos *annui Imperantes* eliguntur? nihilominus unum esse eum, ac jus personæ habere, statuendum est. (k)

11. Cum enim ex plurium consensu ubique concludatur, & omnium conclusiones in unum conjungantur, juris ratio nihil ex situ locorum mutatur. (l)

12. Quin etsi populus, post leges imperii dictas, resolute diffluxerit, adhuc tamen jus, quod in constitutione imperii populo quæsitum est, durare suoque effectu non carere putamus. (m)

13. Quamvis enim populus non sit uno loco congregatus, manet tamen communione juris & fœderis sociata multitudo, à quo nihil vetat aliquid juris retineri. (n)

14. Cui accedit, quod pactiones illæ, quibus imperium fuit limitatum, contractæ sunt in eum casum,

(e) *d. l.* §. 15. (f) *d. l.* §. 16. (g) *d. l.* §. 18. (h) *d. l.* §. 24.

(i) *d. l.* §. 25. (k) *d. l.* §. 27. (l) *d. l.* §. 28. (m) *d. l.* §. 30. & 33. (n) *d. l.* §. 35.

ſum, ut conventu populi diſſoluto, in regimine exercendo uſum effectumque haberent. (o)

15. Id evidentius illuſtratur ex ſpecimine *Democratiæ*, nam in popularibus imperiis, poſt habitum de publicis negotiis conventum, omnes dilabuntur, adminiſtratione rerum magiſtratibus commiſsâ, quibus nemo ex univerſo populo in iis, de quibus imperium habent, parere non debet. (p)

16. Quod ſi Imperium totum in eo ſtatu retineant, nihil eſt cauſæ, quare non æque partem, ſalvâ juris ratione, ſervare posſint. (q)

17. Verum inſtatur adhuc: *obligatio extinguitur, ubi perſona cui debetur, deficit; ubi nemo eſt, qui exerceat jus, parteſque exigendi occupet*: atqui tum evenit, quando populus ſtabilito Imperio diſſolvitur, abſque certo ordine redeundi in unum; neque enim ſingulis, vel paucis, facultas reſiſtendi Imperio ſummo, ſine ſumma confuſione, permiti poteſt. (r)

18. *Reſponſi* loco exemplum proponemus: Populus Romanus Decemviris ſummam Reipubl. poteſtatem ad annum dederat, legum ferendarum cauſâ, ſicut narrat Pomponius *in l.* 2. §. 24. *π. d. O. I.* Quæro, cum poteſtatem ſibi prorogarent, ut ipſi, & factio ſua, perpetuo Rempublicam occupatam retinerent; an tunc jure populus ei ſe oppoſuerit. Nulli, opinor, id dubium eſt; atqui populus erat ſeparatus, nemo præter Decemviros imperium, nemo jus populi convocandi habebat. Exercuit tamen plebs tota ſuum jus, & ſtatum Reipubl. amiſſum recuperavit. (s)

19. Ex his facile apparet, quam falſum ſit, quod tradit *Hobbes in d. cap.* 6. §. 17. *ſub fin.* populo ſine tempore locoque repetendi conventus digreſſo, ſi interea temporis det alicui poteſtatem puniendi eos, qui leges transgrediuntur, eam neceſſario eſſe abſolutam; ut vel ex *democraticis*, quæ modo adduximus, exemplis perſpicuè patet. (t)

20. Plane & *Grotius*, ſummæ poteſtatis acerrimus vindex, haud ſecus docet, quam Principem, partes Imperii non datas ſibi vindicantem, hactenus privatum eſſe, nec cives ei ad obſequium eſſe obſtrictos. (v)

21. Acquieſcamus igitur in hac *ἀληθεία Hobbeſiana*: Populum eſſe unum quid, eique jus aliquod rectè adſcribi, quamvis nec congregatus

(o) *d. l.* §. 36. (p) *d. l.* §. 39. (q) *d. l.* §. 41. (r) *d. l.* §. 45.

(s) *d. l.* §. 51. (t) *d. l.* §. 53 (v) *d. l.* §. 60.

gatus sit, neque sciat tempus futuri conventus. (x)

22. Instat Hobbes: *Si potestas Imperantium limitatur, necesse est, ut id fiat à majori potestate. Hæc vel sine limite est, vel iterum cohibetur ab aliâ majore. Et sic tandem ad potestatem sine limite devenietur.* (y)

23. *Respondeo*: limitationem aut arcessimus à conventione singulorum, per quam Civitas fundata est, ita ut limitatio præcesserit Rempublicam; aut si populus jam, pridem coactus in civitatem, imperium transtulerit, limitatio est ab illo populo, qui fuit major potestas, quam tunc erat is, cui imperium offerebant. Quem limitem si Rex manifesto egrediatur, eatenus non est Rex. (z)

24. Hinc liquet, non esse necesse, ut progrediamur ad ejusmodi potestatem in republ. infinitam, qualem sibi fingit *Hobbes*; siquidem causa limitans extra ordinem Reip. collocari potest ac debet. (aa)

25. Addamus exemplum: Rex constitutus est hac lege initio dictâ, *ne jus habeat indicendi tributa, nisi maximo populi comitio.* Hujusmodi Rex habet vere summam potestatem, sed non integram. Si tributa solus indicat, imperium ejus hac parte est ipso jure nullum, nec quisquam ei hactenus parere debet. (bb)

(x) *d. l.* §. 68. (y) *d. l.* §. 78.

(z) *d. l.* §. 79. (aa) *d. l.* §. 81. (bb) *d. l.* §. 82.

CAPUT X.

De Legibus Fundamentalibus.

PRincipem legibus esse solutum, est regula Juris Romani, *l.* 31. *ff. d. legibus*; quatenus habent δύναμιν ἀναγκαστικὴν, vim coactivam scilicet. (a)

2. Qui enim cogi potest, is vel superiorem, vel parem duntaxat, habeat oportet. Quorum neutrum de Principe simpliciter constituto prædicare licet, ut vox ipsa *summæ potestatis* loquitur. (b)

3. Nequidem excepimus leges Imperii *fundamentales*, quibus alioqui Principes teneri volunt.

 Non

(a) *d. lib.* I. *Sect.* III. *cap.* V. §. 1. *sqq.*

(b) *Ibid.* §. 10.

Non quod hoc negemus, sed quia in Principatu simpliciter constituto nullæ præsumi possunt. (c)

4. Nihil audimus jactari frequentius, nihil videmus intelligi rarius, quam *leges fundamentales*, ut non immeritò alicubi notat *Hobbes in Leviathane*, c. (d)

5. Ut sciamus quæ sint, præmittemus, *fundamenti* verbum id significare, quo tota structura nititur, & quod primo omnium ponitur, ut cuivis suopte planum est. (e)

6. Leges igitur fundamentales erunt proprie *Constitutiones, quæ in fundando Imperio, ante plenam ejus translationem stabiliuntur, ut juxta eas Respublica exerceatur.* (f)

7. Jus habere populum tales statuendi, copiosè demonstratum est *in cap. præced.* etiam Imperantes illis teneri, jam dubio caret.(g)

8. *Tollant* autem, vel *minuant*, leges fundamentales summam potestatem, an *arctius* duntaxat faciant ejus exercitium, ex qualitate sententiâque singularum est colligendum. (h)

9. *Tollitur*, si constitutum sit, *ut nihil possit in juribus imperandi maximis, sine assensu senatus, vel ordinum populi.* (i)

10. Species illa quidem est *societatis*, sed qui socium, is habet parem. Qui habet parem, ille summus esse desiit. (k)

11. Quod si de certis illud capitibus statutum fuerit, tum non tolli, sed *minui* summam potestatem dicendum est. (l)

12. Non ratiò contingit, Imperium Uni vel paucis sub hac conditione deferri, ut salvæ sint *leges fundamentales, nec tamen ullæ conditiones exprimantur*, cujus rei vel hæc *Frisia* dare possit exemplum. (m)

13. Talis *adjectio* fit, vel quando Respublica noviter fundatur, vel in civitate jam pridem constituta; si talia verba usurpentur in *fundatione* novæ civitatis, vix quicquam efficaciæ in illis esse videtur; nec enim apparet, quo pacto id genus adjectionis effectum habere queat, proinde nullius momenti, & ab initio, & in futurum esse oportet. (n)

14. Si quis tamen eo casu vim aliquam hisce verbis inesse velit, is per *leges fundamentales* intelligere posset ea, quæ in omnibus imperiis voluntariis *supra* diximus esse tacite excepta, c. II. §. 38.(o)

15. Verum si *pridem constituta* ci-

(c) *Ibid* §. 4. & 5. (d) *Ibid.* §. 12. (e) *Ibid.* §. 20. (f) *Ibid* §. 21. (g) *Ibid.* §. 22. (h) *ibid.* §. 23. (i) *Idid.* §. 24.

(k) *Ibid.* §. 25. (l) *Ibid* §. 27. (m) *Ibid.* §. 35. (n) *Ibid.* §. 36. (o) *Ibid.* §. 38.

civitas, novum alicui deferens imperium, ita ſtipuletur, quod crebrius accidit, non perinde nulla ac inutilis promiſſio videbitur. (p)

16. Intelligentur enim ea fundamenta civitatis, quæ tunc ſunt, integra & immota relictum iri. (q)

17. Item eas leges, quæ prioribus Imperantibus, aut expreſſe impoſitæ, aut ſine controverſiâ obſervatæ fuerunt. (r)

18. Partes civitatis *integrantes*, ut ita loquar, non *miniſtrantes*, eaque collegia, quæ exercitium ſubordinatum habent jurium Majeſtatis, fore inconcuſſa. (s)

16. Conventus ordinum, populi, magiſtratuum in urbibus, juriſdictionum in agris, minime ſubmotum iri. (t)

20. Exiſtimamus porrò & eas leges, quæ firmato pridem Imperio, per modum ſolennis conventionis, inter imperantes & ſubjectos legitimè ſtabilitæ ſunt, hac mente, ut pro *fundamentalibus* habeantur, utrimque eſſe obligatorias. (v)

21. Denique eandem vim habere putamus inſtituta Reipublicæ, ad ſummam Imperii, & jura Ordinum ſpectantia, quæ longo uſu, tacitoque conſenſu Imperantium & ſubjectorum, indubitatò recepta ſint. (x)

22. At cavendum, ne *privilegia*, quibusdam civibus, aut Reipubl. membris, liberaliter & ex gratiâ principum indulta, cum legibus Reipubl. fundamentalibus confundantur; ſi quidem in his nulla conventio vim obligationis utrimque firmat, ideoque ſolo honeſtatis, nullo neceſſitatis vinculo, largitorem obſtringunt. (y)

23. Quare monitos velim eos, qui de juſtitia armorum noſtratium adverſus *Hiſpanos* loquuntur, ne meritum cauſæ in violatione *privilegiorum*, ut loqui amant, ſtatuere velint. (z)

24. Niſi enim leges fundamentales *palam violatas* docere queamus, ſolâ poſſeſſione libertatis contenti eſſe deberemus. (aa)

25. Cæterum, conventiones non cum toto populo, verum certis hominum ordinibus initæ, minimè pro fundamentalibus habendæ ſunt; at hic articulus pertinet ad Caput *de promiſſis ſummarum poteſtatum*, de quibus *inferius*, *cap.* 24. (bb)

26. *Obligatio*, quæ ex fundamentalibus oritur legibus, haud alia

(p) *Ibid.* §. 39. (q) *Ibid.* §. 40. (r) *Ibid.* §. 41. (s) *Ibid.* §. 42. (t) *Ibid.* §. 43. (v) *Ibid.* §. 54.

(x) *Ibid* §. 56. (y) *Ibid.* §. 61. (z) *Ibid.* §. 63. (aa) *Ibid.* §. 64 (bb) *Ibid.* §. 69.

alia esse potest quam *naturalis*; siquidem in eos, qui habent summam potestatem, vis civilium sanctionum intendi non potest, *quoniam hæ ab summâ potestate subjectis præscribuntur.* In nostra autem specie duo contrahentes, hactenus pares, intelliguntur. (cc)

27. Sed naturalis obligatio est *duplex*, una efficax, altera inefficax; *Prior*, quæ non modo debitorem promissoreısve tenet, sed etiam creditori, seu stipulatori, jus exigendi exequendique tribuit; & talis oritur etiam ex legibus hujusmodi fundamentalibus, inter Regem populumque sancitis. (dd)

28. Obligatio *inefficax*, oritur è privilegiis & promissionibus, à summâ potestate factis & indultis; nam tales, etsi juratae, non dant exigendi exequendique jus iis, quibus aliquid concessum vel promissum est, exemplo servorum, liberorum, & uxorum, adversus dominos, patres, maritos. (ee)

29. Ejusdem generis sunt etiam *Pacta generalia* cum regnantibus, aut regnaturis; quæ nihil quam officium boni Rectoris exprimunt; leges, quæ fundamentales appellentur, debent esse *speciales*, & nominatim aliquid derogare de juribus Majestatis. (ff)

30. Quando autem ejusmodi sunt leges fundamentales, quæ *communicationem* summæ potestatis in quibusdam duntaxat juribus inferunt, tum Imperantes non desinunt habere summam potestatem. (gg)

31. Nam etsi populo jus ex iis legibus quæsitum affirmamus, non ideo superiorem principe constituimus. Possunt enim actus esse nulli *ipso jure*, ad quod superior alius non requiritur. (hh)

(cc) *Ibid.* §. 70. (dd) *Ibid.* §. 71. *sqq.*

(ee) *Ibid.* §. 73. (ff) *Ibid.* §. 74. (gg) *Ibid.* §. 79. (hh) *Ibid.* §. 80.

CAP. XI.

De Juribus Majestatis majoribus.

JURA POTESTATIS, id est, summæ potestatis, vulgo non male *in majora & minora* dividuntur: ab illis incipiemus. (a)

2. Prin-

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* I. *sect.* III. *cap.* VI. §. 3.

2. Principio certum eſt, ſine *gladii* poteſtate nullam haberi poſſe Rempublicam. (b)

3. Unde *duplex* jus Majeſtatis oritur. Primum *vitæ ac necis*, alterum *jus belli.* (c)

4. A priore diſcrepat *Merum Imperium*: quod eſt jus animadvertendi in facinoroſos, jure Magiſtratus, quod eſt miniſterium ſummæ poteſtatis, competens. (d)

5. Sed huic imperio non adeſt facultas dandi *veniam* reis, aut damnatis; quod ſub jure vitæ necisque omninò continetur. (e)

6. Porro ad jus vitæ necisque refertur conſtitutio locorum *aſylorum*, quibus ſupplices contra vim privatam publicamque proteguntur. (f)

7. Altera pars juris gladii adverſus *vim externam* comparata eſt. (g)

8. Cum enim univerſæ Civitatis motum & diſcrimen hæc res contineat, clarum eſt, non poſſe id ab alio quam à tota Civitate, hoc eſt, *eo qui jus totius habet*, exerceri. Quod omnium populorum juriumque conſenſu maximo traditur. (h)

9. Cujus eſt *bellum* decernere, ejusdem eſt ſine dubio, pactiones, quibus bellum finitur, id eſt, *pacem* contrahere. (i)

10. Paci adſimilantur *fœdera*, quæ ſunt reliquæ conventiones diverſorum populorum, principumve inter ſeſe. (k)

11. Hinc oritur differentia inter *ſponſiones* & *fœdera*, quorúm illæ ſunt conventiones, absque mandato, initæ à miniſtris ſummæ poteſtatis, de rebus ad ipſam pertinentibus, qualis *Caudina pax*, & *ſponſio Luctatiana*, quas ideo populus ratas non habuit. *Liv. lib.* 9. *à pr. Polyb. lib.* 3. *cap.* 5. (l)

12. Hiſce cohæret jus mittendi *legatos*, quorum miniſterio fœdera contrahuntur; quales cum hoc effectu, *ut jure Gentium ſancti habeantur*, nullis quam qui vere habent Majeſtatem, mittere licet. (m)

13. Atque hæc ad defenſionem civitatis ſpectant, quo etiam pertinet jus *tributa*, & *vectigalia* exigendi, quod multi inter *minora* Majeſtatis *jura* referunt. (n)

14. Adeò perperam, ut nullum in omni Republ. pluris faciendum ſit; nec aliud manifeſtius κριτήριον abſolutæ poteſtatis habeatur. (o)

(b) *d. l.* § 4. (c) *d. l.* §. 5. (d) *d. l.* § 6 (e) *d. l.* §. 7. (f) *d. l.* §. 15. (g) *d. l.* §. 17. (h) *d. l* §. 19.

(i) *d. l.* § 22. (k) *d. l.* §. 25. (l) *d. l.* §. 27. (m) *d. l.* §. 28. (n) *d. l.* §. 30. (o) *d. l. n.* 31.

15. Sunt qui dicunt: *nulli principum in terris licere ab invitis civibus exigere pecunias.* (p)

16. Habent hanc hypothesin, quod *proprietas* bonorum in Civilibus Imperiis relicta sit privatis, verum & Civitati aliquod dominium in bona civium tribuitur, quod non absurde *dominium eminens* vocatur. Cujus hæc vis est, *ut ad Imperantes* (verba Senecæ) *potestas omnium*, *ad singulos proprietas pertineat. Seneca lib.* 7. *de benefic. c.* 4. (q)

17. Idque merito in numero jurium Majestatis collocatur; fundamentum habens in *consensu eorum*, *qui constituunt civitatem*, & à nemine quam ab eo, qui summum habet imperium, potest exerceri. (r)

18. In quem singuli *ex pacto cum singulis* inito hoc jus transtulerunt, ut omnium atque singulorum rebus pro communi bono *invitis etiam singulis*, uteretur. (s)

19. Sic tamen ut Respublica, cum primum poterit, ad *restituendum* plerumque teneatur. (t)

20. Quia certum est, populum quam minimo singulorum damno illud eminens dominum fundare voluisse. (v)

21. Denique ex hac ratione defenduntur innumeræ leges, quæ duritiem & inquitatem *contra singulos utilitate publicâ rependunt.* (x)

22. Fuerunt jura, quæ ad tutelam Civitatis pertinent, aut illuc referuntur. Sequuntur, quæ ad *internam* administrationem requiruntur. (y)

23. Tale omnium primo jus est *legum condendarum*. Quibus cum tota Reipubl. conformatio insit, palam est, à nullo quam qui habet summam potestatem eas posse proficisci. (z)

24. Non igitur plebes olim Romæ, non Senatus, non Prætores, non JCti, auctores *legum* esse potuerunt. (aa)

25. Nisi quatenus summa potestas vim obligandi illis addere voluit, ut factum in *plebiscitis* lege Hortensiâ, in *Senatus Consultis* à principibus Romanis, *Dixi lib.* 1. *Digress. cap* 2. & 3. (bb)

26. *Municipia* quoque, id est, Civitates majori subjectæ imperio, nihil contra jus commune illius Imperii statuere possunt. (cc)

27. Nisi consensu *summæ potestatis*, atque ita, ut ejus voluntate semper abrogari possit. *l.* 9.

π. *ad*

(p) *d. l.* §. 35. (q) *d. l.* §. 36. (r) *d. l.* § 39. (s) *d. l.* § 42. (t) *d. l.* §. 44. (v) *d. l.* § 45.

(x) *d. l.* § 47. (y) *d. l* §. 54. (z) *d. l.* §. 55. (aa) *d. l.* §. 56. (bb) *d. l.* §. 58. (cc) *d. l.* §. 59.

π. ad *L. Rhod. l.* 3. §. 5. π. *de sepulchr. viol.* (dd)

28. Sed jura provinciarum, quæ superiorem non agnoscunt, etsi *municipalia* sæpius nuncupentur, vere tamen sunt leges. (ee)

29. *Legislatoria potestas* jus quoque leges mutandi continet, nisi sint fundamentales. Æquitas etiam illa, quæ est *mitigatio juris scripti, legum sanctionibus contraria*, solius est Majestatis; quia vim continet mutandi *l.* 1. *C. de Legib.* (ff)

30. Legum Ministri sunt *Magistratus*, per quos cum universus Reipubl. ordo exerceatur, non possunt aliunde Magistratus, quam à summa potestate proficisci. (gg)

31. *Judicia* pertinent quidem maxime ad jus privatum. Sed constitutio & ordinatio illorum sine dubio est juris publici, ac Majestatis. (hh)

32. Etsi vero pleraque judicia per *judices* ut ministros summæ potestatis expediantur, *summa* tamen *provocatio* salva semper est ad illam; sive appellandi, seu supplicationis, vel revisionis, aliove titulo. (ii)

33. Item, jus *avocandi* certas causas ad cognitionem Principis; quo quidem rarius utuntur boni Principes, separari tamen penitus à summâ potestate nequit. (kk)

34. Denique jus *Comitia* indicendi, solvendique, est in *monarchiâ* jus Majestatis. (ll)

35. In *plurium Imperio* jus comitia indicendi summæ potestatis esse nequit; quoniam ibi in comitiis ipsa potestas summa residet. (mm)

36. Ideoque nil ibi quam *ministerium* est; etsi per artes politicas fiat *magisterium*; At de his non agimus. (nn)

37. Quæ plura de hisce juribus, eorumque œconomia, dicenda sunt, ad partem operis ultimam reservantur, *Sect. III.* (oo)

(dd) *d. l.* §. 60. (ee) *d. l.* §. 61. (ff) *d. l.* §. 65. (gg) *d. l.* §. 69. (hh) *d. l.* §. 74. (ii) *d. l.* §. 76. (kk) *d. l.* §. 77. (ll) *d. l.* §. 78. (mm) *d. l.* §. 80. (nn) *d. l.* §. 81. (oo) *d. l.* §. 82.

CAP. XII.

De Juribus Majestatis Minoribus.

MInora Majestatis *jura* ita dispertimur, ut vel ad *potestatem*, aut ad *utilitatem* Imperantium spectent. (a)

 2. Quæ

(a) *Auctor in Op. Mai. lib. 1. Sect. III. cap. VII.* §. 1.

2. Quæ prioris ſunt generis, ea vel in conferendis *honoribus*, juribusque publicis, aut in privatis diſpoſitionibus conſiſtunt. (b)

3. Ad primam claſſem referamus primo, jus creandi *Magiſtratus minores*, qui per oppida & agros juri dicundo præſint, item Jus creandi Patricios, *Nobiles*, Equiteſque. (c)

4. Largiri facultatem *docendi Artes* ſtudiorum, publicèque exercendi, id ubique etiam ſummæ poteſtatis habetur: atque hoc reſpectu jus condendi *Academias* huic numero adjicimus. (d)

5. Præterea homines conſtituere, qui *legitimare* natos contra præcepta legum, & creare *Tabelliones*, aliaque juſſu ſummæ poteſtatis facere poſſint, quales in Germania *Palatini Comites* dicuntur, id haud dubiè Majeſtatis eſt. (e)

6. Nec ideo tamen minus ipſum jus ordinandi *ſcribas*, quorum fide inſtrumenta pro publicis à populo judicibuſque habeantur (*Notarios* vocant) ad poteſtatem ſummam referri debet. (f)

7. Denique & ad hunc ordinem pertinet jus conſtituendi celebriores mercatus, quos *Nundinas* vocamus. (g)

8. Sed *minores* peculiareſque *nundinas* nihil vetat à Magiſtratibus ordinari. (h)

9. Ex eadem ratione conſtat, jus indicendi *ferias*, quibus judicia intermittantur, eſſe Majeſtatis. (i)

10. Sequuntur ea, quorum effectus in *diſpoſitionibus* inter privatos locum habentibus conſiſtit. (k)

11. Proinde iis, qui extra matrimonium ſunt nati, jus dare *legitimorum*, id cum excedat manifeſtos ordinariæ juriſdictionis terminos, pertinet ad Majeſtatem. (l)

12. Similiter jus reſtituendi *natalibus*, aureoſve donandi annulos, quibus libertini homines fiebant ingenui, priſcis Romanis pro jure Majeſtatis habebatur. (m)

13. Eos, qui *infamiâ* ſunt notati, cauſis non redditis, integræ exiſtimationi reſtituere, id etiam Principis opus eſt. (n)

14. Præterea adoleſcentes poteſtati curatorum ſubtrahere, *veniâque ætatis* data rebus ſuis ante tempus lege conſtitutum præficere, hoc eſt ſupra miniſtrium legum, adeoque Majeſtatis, *l.* 1. §. 9. *π. de*

(b) *Ibid.* §. 3. (c) *Ibid.* §. 4. (d) *Ibid.* §. 9. *ſq.* (e) *Ibid.* § 13. (f) *Ibid.* §. 14.

(g) *Ibid.* §. 16. (h) *Ibid* §. 18. (i) *Ibid.* §. 20. (k) *Ibid.* §. 21. (l) *Ibid.* § 23. (m) *Ibid.* §. 25. (n) *Ibid.* §. 26.

de Minor. t. t. C. de His qui ven. at. impetr. (o)

15. Eodem pertinet, concedere alicui, ut sine solennibus *testamentum* condat actumve alium præter legis præscriptum celebret, quod utique legum ministri permittere non possunt. (p)

16. Huc etiam pertinet potestas debitoribus *inducias* dando *moratorias*, quinquennales, aut non multo longiores, aliasve dilatorias exceptiones, non peremptorias; nec quicquam aliud, quo vires principalis negotii exhauriantur, ut sapienter rescripsit Imp. Constantinus, in *l.* 2. *C. de Precib. Imp. off.* (q)

17. Item judicis sui jurisdictioni aliquem eximere, *judicesque* dare *extraordinarios*, id manifeste summi Imperii est. Quemadmodum & bona fidei commisso subjecta hoc onere liberare. (r)

18. Denique, *res immobiles* pupillorum æque ac minorum permittere alienari citra causam necessitatis, posito quod hoc Lege prohibitum sit, est etiam Majestatis. Reliqua ex his dijudicari possunt. (s)

19. Superest, ut ea quæ ad *utilitatem* Imperantium pertinent, breviter videamus. Inter quæ primo loco jus *monetæ* cudendæ meritò refertur. (t)

20. Jus *publicandi* bona damnatorum, eaque in fiscum, vel ærarium condendi, sine dubio est Majestatis. Quia nec *fiscum* habere dicitur quam qui universæ Reip. præest, ideoque id inter *Regalia* est, *l.* 10. *ff. Ad municip.* (v)

21. Idem de *mulctis*, pœnarumque compendiis, tametsi hæc non raro Magistratibus minoribus applicentur. sed lucra successionum, quæ ut *indignis* auferuntur, in solum fiscum rediguntur, tam jure Romano, quam moribus Gentium. (x)

22. Præterea pleræque nationes suis principibus ea, quæ *nullius* erant privati, concesserunt. (y)

23. Talia sunt *bona vacantia*, quæ dicuntur, eorum qui sine herede decesserunt. (z)

24. Agri inculti aut deserti, omniaque pro derelictis habita, inter quæ *thesauri* pro parte, vel toti. (aa)

25. Denique *feræ bestiæ*, volucres, pisces omniaque animalia, quæ cœlo, quæ mari, atque terrâ continentur. (bb)

26. Secundum hæc ad Princi-

D 3 pem

(o) *Ibid.* § 28. (p) *Ibid.* §. 29. (q) *Ibid.* §. 33. (r) *Ibid.* §. *eod. seqq.* (s) *Ibid.* §. 36.

(t) *Ibid* §. 38. (v) *Ibid.* §. 40 (x) *Ibid.* §. 41. (y) *Ibid.* §. 42 (z) *Ibid.* §. 44. (aa) *Ibid.* §. 45. (bb) *Ibid.* §. 46.

pem pertinent *argenti & auri venæ*, terræ visceribus reconditæ, quæ etiam sua natura nullius in dominio sunt, nec non reditus *salinarum* (cc)

27. Denique, per Europam ita frequenter obtinet, ut *bona naufragorum* ejecta ad littora, cujusque Principis fisco, tota vel pro parte, acquirantur. vide tamen *l.* 1. *C. de Naufrag.* (dd)

28. Denique, ad hanc classem jurium Majestatis referuntur etiam modica *vectigalia.* (ee)

29. Qualia à *feudorum* interpretibus telonea seu gabellæ, portoria vel portuaria, & ripatica dicuntur. (ff)

30. Sed viæ publicæ, quas & *Regias* vocant, *portus*, *flumina* publica, non tantum huc spectant, quod attinet ad vectigalia, quæ ibi colliguntur; sed etiam quia protectione, supremoque dominio, ad Principem pertinent. (gg)

31. Memorant & *Angarias* & *Parangarias*, tum plaustrorum, naviumque præstationes, ad transvehendos milites, arma, sarcinas, impedimenta exercituum, aliaque onera portanda. (hh)

32. Hæc & si qua sunt alia, fere sunt ea, quæ vulgò *Regalia*, voce strictius sumptâ, appellantur, in constitutione Friderici de Regalibus, *lib.* 2. *feud. tit.* 56. (ii)

33. Tamen & *Armandiæ*, & jus muniendi, & jus *Repressaliarum* ad hunc ordinem referri possunt. Quæ quid sint, *infrà* videbimus, *cap. seq.* (kk)

(cc) *Ibid.* §. 50. (dd) *Ibid.* §. 51. (ee) *Ibid.* §. 59. (ff) *Ibid.* §. 60.

(gg) *Ibid.* §. 16. (hh) *Ibid.* §. 62. (ii) *Ibid.* §. 64. (kk) *Ibid.* §. 65. *seqq.*

CAP. XIII.

De Alienatione & Exercitio jurium Majestatis.

JUra Majestatis vulgò dicuntur *incommunicabilia*; salvâ videlicet potestate summâ. Multò fortius dicendum, quod in totum alienari nequeant, tametsi exercitium aliis committi possit. (a)

2. Sed *majora* ne quidem exercitio tenus in totum aliis committi

(a) *Vid. Auctor in Op. Mai. lib. I. Sect.* III. *cap. VIII.* §. 1.

ti ſolent, quin ſemper, quod eſt ultimum in illis, ſibi reſervet Princeps, aut quicunque habet Majeſtatem. (b)

3. Sed qui magna illa jura ſic *exercitio* tota habent, ut revocari nequeant, illi magis proprietatem & jus ſummum habere intelliguntur. (c)

4. Tales ſunt, quibus in feudum jura majora conceduntur. Nam & *vaſallis* rectè tribui ſummam poteſtatem jam pridem diximus. (d)

5. Exemplum non modò præbet Rex *Neapolitanus*, qui à Pontifice jura Majeſtatis accipit, ſed & Principes, ut videtur, *Imperii Germanici*. (e)

6. Si qua *concurrentia* dentur *Imperia*, quibus duo vel plures in una ditione pro indiviſo imperent, quos vocant *condominos*, ea eſt ſpecies πολυκοιρανίας, quæ à nobis ſuo loco explicabitur. (f)

7. Sed in *ſimplicibus*, quæ unum corpus animamque repræſentant, civitatibus, *Magiſtratus* nihil eſt aliud quam miniſter ſummæ poteſtatis, ut nullius juris ſibi commiſſi, vel proprietatem, vel exercitium habeat *independenter*. (g)

8. Ita *Magiſtratibus*, Curiisque merum Imperium, ſive poteſtas gladii, ad animadvertendum in facinoroſos, permitti poteſt ac ſolet. (h)

9. At ſemper poteſtas ſumma, ſi velit, habet jus *avocandi* cauſas, vel *ignoſcendi* damnatis, adeoque retinet jus vitæ & necis, quod transferre, ſalvâ quidem ſe ipſâ, hoc eſt, ſummâ poteſtate illæſâ, non poteſt. (i)

10. *Belli jus* in exteros rarò ulla ex parte Magiſtratibus committitur; niſi res moram conſulendi ſummam poteſtatem non patiatur, & periculum evidens ſubitis armis occupari poſſit; ut fecit *L. Pinarius* Ennæ in Siciliâ, apud *Livium. lib.* 24. *cap.* 37. (k)

11. Ergo nec *repreſſaliæ*, ab iis qui paſſi ſunt injuriam licet graviſſimam, injuſſu ſummæ poteſtatis exerceri debent, ſiquidem hæ non modo præludia belli, ſed & ipſæ bella eſſe videntur. (l)

12. Porrò, jus *fœdera* pacemque ineundi, & *tributa* exigendi, dominiique eminentis, nec non *leges* ferendi, creandique Magiſtratus majores, cum ſubordinatis poteſtatibus nunquam per omnia communicantur. (m)

13. Hinc civitates municipales

ſtatu-

(b) *d. l* §. 11. (c) *d. l.* §. 17. (d) *d. l.* §. 19. (e) *d. l.* §. 20. (f) *d. l.* §. 27. (g) *d. l.* §. 29.

(h) *d. l.* §. 31. (i) *d l.* §. 32. (k) *d. l.* §. 37. (l) *d. l.* §. 41. (m) *d. l.* §. 45.

statuta quidem faciunt, leges verò nequaquam ab his, & ab omnibus qui summâ potestate destituuntur, condi possunt. (n)

14. A talibus etiam Magistratus *minores* facile, non perinde majores constitui solent. Aut si fiat, ea potestas semper revocabilis est. (o)

15. Quid de facultate res *judicandi* statuemus? Hæc facilius videri posset in Magistratus Curiasque sæpe tota transferri. (p)

16. Sed tenendum, quod potestas creandi *judices supremos* semper maneat penes Summam Potestatem; nec usquam fit, ut Princeps omnino se exuat potestate res judicandas avocandi; Magistratus vel judices nunquam debent esse αὐτόδικοι, ut loquitur Mæcenas *orat. ad Aug. apud Dion. lib.* 52. *p.* 477. (q)

17. Quod autem attinet ad *minora* Majestatis jura, quominus pleraque eorum irrevocabiliter, aut in perpetuum, cum inferioribus potestatibus communicentur, ratio juris non obstat. (r)

18. Sunt tamen ex illis, quæ difficulter, aut nullo modo communicantur. Qualia quæ majoribus cohærent, aut affinia sunt, ut de *repressalis* dictum, & de his, quæ ad *judiciorum* ordinem mutandum pertinent. (s)

19. Jus quoque majora *nobilitatis* insignia largiendi, nec non *fiscum* habendi, quæque similia sunt hujus naturæ. (t)

20. Sed aliquid ad fiscum pertinens facilius in totum alienari potest. (v)

21. Si princeps, aut summam potestatem habens, Legatum sive *Vicarium*, aut plures ejusmodi constituat, toto Imperio vel certis locis, neque diserte nominatimve dixerit, quænam ejus potestas futura sit; vel exprimat nonnulla, sed species generali clausula obsignet, quænam facultas ejusmodi mandato continebitur? (x)

22. Disponere potest de omnibus, quæ in *administratione* Reipubl. secundum ordinem lege constitutum assiduo occurunt; distribuere functiones Reipubl. ordinarias & inferiores; majores ipsa Potestas Summa sibi reservat, ut dictum *suprà*, §. 1. &. 2. *b. c.* (y)

23. Porrò *officium* ejus est, compellere omnes, ut legibus, ordinique antea constituo, districtè pareant. (z)

24. Sed in his, quæ excedunt modum

(n) *d. l.* §. 46. (o) *d. l.* §. 47. (p) *d. l.* §. 52. (q) *d. l.* §. 53. (r) *d. l.* § 55.

(s) *d. l.* §. 56. (t) *d. l.* §. 57. (v) *d. l.* §. 58. (x) *d. l.* §. 59. (y) *d. l.* § 62. *seqq.* (z) *d. l.* § 64.

modum quotidianæ administrationis, nihil novi à *Vicariis* sine speciali mandato, vel magnâ necessitate, constitui potest. (aa)

25. Velut est *remittere* delinquentibus pœnam, *avocare* causas à judicibus ordinariis. (bb)

26. Exemplis abstinemus, inter explicandum daturi. (cc)

(aa) *d. l.* §. 65.

(bb) *d. l* §. 66. (cc) *d. l.* §. 70.

CAP. XIV.

De Præscriptione Jurium Majestatis.

De Præscriptione omnium primò quæritur, habeatne locum respectu summæ potestatis. (a)

2. Leges *civiles* de usucapionibus, & præscriptionibus, heic non habere locum, Juris Publici ratio dictare videtur. (b)

3. Ratio Juris *Gentium* heic sola valet, secundum quam putamus, etiam in summi juribus Imperii locum esse præscriptioni, adeoque secundum Jus Gentium ea, quæ de Jure Civili forte proferemus, intellecta volumus. (c)

4. Semper autem adesse debet *requisitum* præscriptionis *fundamentale*, ut usus, ac quasi possessio illorum jurium, nomine proprio animoque sibi habendi, ab eo, qui in præscriptione se fundat, habita & exercita fuerit, secundum *l.* 2. *C. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann.* (d)

5. Quare nulli *Magistratus*, seu singuli, seu collegia Magistratuum, vel judicum, quicquam juris hoc titulo adversus summam potestatem adserere sibi possunt. Quia clarum est, illos nihil agere quam nomine jussuque potestatis Supremæ, atque ut ejus Ministros. (e)

6. Hoc tamen non impedit, quominus contrà *multitudinem* subjectam jus illud præscriptionis, quod Magistratus longo usu acquisiverunt, vim suam obtineat, etsi nihil ejusmodi à summâ potestate habeant in mandatis. (f)

7. Ita se res habet respectu Magistratuum: quæstio est, an *Rex*, cui

E

(a) *Auctor in Op. Mai. lib. I. Sect. III. cap. IX.* §. 2. (b) *ibid.* §. 4 (c) *ibid* § 6.

(d) *Ibid* §. 7. (e) *ibid.* §. 9. (f) *Ibid.* § 12.

cui Imperium non totum populus detulit, usu temporis integrum Imperium acquirere possit. (g)

8. Vicissim: an *Rex liber* & absolutus, quædam jura, usu contrario populi vel optimatum, amittere queat? Utrumque adfirmamus (h)

9. Quid autem, si quis Princeps legibus sit subjectus, qualem latini vere proprièque dicerent *Principem*, id est, *Primarium*; an is summam absolutamque potestatem præscriptione temporis acquirere posset? Arbitor adhuc, posse: quia nil vetat, eum inducere animum absoluti Imperantis, quod hactenus sufficit. (i)

10. *Personæ*, de quibus heic quæritur, sunt in terminis satis habilibus, ut præscriptio illis applicari queat; modo *justitia causæ*, qua omnis usucapio nititur, juribus summæ potestatis convenire videatur, de qua consequenter videndum. (k)

11. Fundamentum usucapionis & præscriptionis est *præsumpta derelictio*; aut negligentia domini, rem suam non requirentis, aut jus non exercentis. Quibus accedit ratio, in quâ maxima humani generis utilitas vertitur, ut *causæ litium* aliquo tandem fine terminentur, quâ de re pluribus egimus *in Prælect. ad tit. Inst. de usucapion.* Tu vide, sis, Grotium *lib. 2. cap. 4. de jur. B. & P.* (l)

12. Jam vero præsumptio *derelictionis* facile in populum, qui jura quædam in Imperio deferendo excepit, cadere posse videtur; vel ob tædium confusionis, quæ sæpe de conflictu principis ordinumque populi solet oriri; vel quia publicarum rerum administratio sæpius ex morâ, vel dissidio, non leve dispendium capit, ubi summa potestas communiter à diversis ordinibus exercetur. (m)

13. Præsumptio quoque *neglectus* in multitudine proclivis est; cum, quia nihil fit crebrius, quam ut *segnius expediant commissa negotia plures*; tum, quia singulis in promptu est, privatam principum gratiam mereri, & re publicâ proditâ subrepere ad honores, & commoda domestica. (n)

14. Denique, *tertia ratio* de utilitate finiendarum litium nusquam validior, quam heic videtur; siquidem nihil favorabilius est, quam litigia de jure Imperii aliquando finiri. (o)

15. Ne *bella civilia*, quibus nihil gravius, quæque nesciunt alium

(g) *Ibid.* §. 16. (h) *Ibid.* §. 17. (i) *Ibid.* §. 22. (k) *Ibid.* §. 27.

(l) *Ibid.* §. 28. (m) *Ibid* §. 29. (n) *Ibid.* §. 30 (o) *Ibid.* §. 31.

um uberiorem fontem, æterna ex immortalibus rixis fiant. vid. *Grot. d. cap.* 4. §. 6. (p)

16. Suffragatur experientia plurium in Europâ Imperiorum, *Francici* nominatim, quod hodie perfectum παμβασιλείας, sive pleni liberique Regni specimen esse creditur. (q)

17. Cum tempore Hugonis Parisiensis, cujus præsentes Reges stirps sunt, haud multo adductius, quam nunc *Germania* regitur, sit gubernata, ut historia loquitur. (r)

18. Mutatio tam enormis alio nullo quam *præscriptionis* jure niti videtur, hoc est, populi procerumque derelectione, mutuoque consensu, vel patientiâ manifestâ. (s)

19. Jam eædem rationes contra *Reges* ipsos, qui longo tempore quibusdam juribus haud liberè sunt usi, præsumi possunt. (t)

20. *Derelictio* inde, quod sæpe contingit, ut Principes non bellicosi intelligant & experiantur, invitis populi ordinibus ægerrime se rem publicam gerere posse: proinde, quod malint requirere consensum, quam cum perpetuis colluctari difficultatibus. (v)

21. *Neglectus*, etsi rarior, vel ex socordia, quæ ferè magnam fortunam comitatur, venit, aut ex proposito Principum Heroicorum, quos id operam dedisse constat, ut sceptra legibus submitterent, quod institutum fuisse legimus Servii Tullii Regis, Marci, Pertinacis, ac Ælii Trajani Cæsarum. (x)

22. *Metus bellorum* ex eâdem causâ, quam modo in populo monstravimus, heic colligi potest; etiam vero metus ab æmulis & competitoribus sæpe dominantes subegit, ut remissius ac indulgentius cum populis agerent, atque agere perseverarent, quemadmodum *Angliæ* historiam legenti frequenter occurret post Gulielmum Conquæstorem. (y)

23. Cæterum, qui totum civitatis Imperium *invito populo* invasere, an & hi, & quo pacto longi temporis beneficio legitimum imperandi jus consequi possint, *inferius* videndum, *cap.* 23. (z)

24. Superest, quantum *temporis* ad implendam præscriptionem requiratur. Et quidem quod memoriam hominum excedit, sive id *centum annorum*, sive, ut verius videtur, non paulo minus sit, haud dubiè in omnem casum sufficit.

 Quan-

(p) *Ibid.* §. 32. (q) *Ibid.* §. 33. (r) *Ibid.* §. 34. (s) *Ibid.* §. 35. (t) *Ibid.* §. 36. (v) *Ibid.* §. 37.

(x) *Ibid.* §. 38. (y) *Ibid.* §. 39. (z) *Ibid.* §. 47.

Quandoquidem longius pro conditione mortalitatis dari non potest. (aa)

25. Suffragantibus autem circumstantiis, quibus judicia voluntatis adfirmantur, non est dubium, quin & *brevior* annorum decursus satis haberi queat. Tu vide, sis, *Grotium d. cap.* 4. (bb)

26. Sed quantumcunque sit spatium implendæ præscriptioni sufficiens, id esse debet *continuum*, alioqui interrumpitur præscriptio, Jure non minus Gentium quam Civili. (cc)

(aa) *Ibid.* § 48.

(bb) *Ibid.* §. 49. (cc) *Ibid.* § 51.

CAP. XV.

De Jure Summæ Potestatis circa Sacra.

INter jura Majestatis *majora* politici omnes, & juris publici scriptores, referunt JUS RERUM SACRARUM. (a)

2. Esse profecto aliquod *jus sacrorum* penes eum, qui summum tenet imperium civitatis, fere inter scriptores convenit. Et ratio, quæ in omnium oculos incurrat, idem suadet. (b)

3. Eò quod absque aliquo jure circa sacra, Reipublicæ imperium, & *quies gentium*, nullo modo teneri posset; sicut historia omnium gentium, Pontificumque Romanorum, & hujus seculi Protestantium, abunde probaverunt. (c)

4. Sed quænam illius juris capita, quinam sint *limites*, intricatissima disputatio est. (d)

5. Nos diversas sententias, primum, ut quæque *minimum* juris tribuit summæ potestati in Ecclesiam; tum eas, quæ *plurimum* ei vindicant, proponemus. (e)

6. Qui *Præsulem Romanum* colunt, hi sic omnia ad Ecclesiam spectantia pedibus ejus subjiciunt, ut Imperantibus non modo nihil relinquant, sed & ipsos imperiumque eorum seu directo, sive per consequentiam, Pontifici submittant. (f)

7. Alii totum jus sacrorum pendere docent à collegiis *presbyterorum*,

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* I. *sect.* IV. *cap.* I. §. 1. (b) *d. l.* §. 4. (c) *d. l.* §. 5.

(d) *d. l.* §. 9. (e) *d. l. Sect.* V. *cap.* I. §. 2. (f) *d. l.* § 3.

rum, nec Imperantes aliter, quam è fidelibus singulos, aut omninò extraneos putant. (g)

8. Nisi, quod defensionem Ecclesiæ, & executionem eorum, quæ presbyteri decreverunt, quatenus *manum*, requirunt, Imperio Civili committunt. (h)

9. *Tertia* est eorum sententia, qui *internum* Ecclesiæ & sacrorum jus civili potestati negant; *externam* verò administrationem ab illâ dependere, eique subjacere volunt. (i)

10. Hujus autor sententiæ *Constantinus Magnus* laudatur, cujus hac de re convivalem ad Episcopos sermonem memorat *Eusebius*, *lib.* 4. *de vitâ Constantini M. c.* 24. (k)

11. *Quartò* sunt qui *confessionem fidei* nudam & solam Ecclesiæ concedunt, sed potestatem animadversionemque, vel audientiam foris se exerentem, nullo modo; nisi à Majestate dependentem, quæ est *Erastianorum*, qui dicuntur, sententia. (l)

12. Denique *Hobbes*, & si qui sunt *Hobbesiani*, quicquid religionis, aut juris Ecclesiastici, in hoc mundo esse queat, id omne ad Imperium Civitatis pertinere contendunt. (m)

13. Nos extrema vitabimus, sequemur ὑπόθεσιν ex omnibus mediam, loco *tertiam*, quæ Constantino Magno abscribitur, sano sensu intellectam. (n)

14. Ejusmodi *regimen externum* ad summam potestatem pertinere, probamus hac ratione; quia summa potestas omnia rerum hominumque (de *actionibus*, non de *animi sententiis* loquimur) in civitate, suo Imperio complectitur; exceptis iis, quæ vel nominatim à deferentibus imperium ei subducta sunt, vel quæ Deus nominatim ab hominibus exegit, & immediate suo solius tribunali addixit. (o)

15. Cujus generis non omnia, quæ ad Ecclesiam pertinent, & ab *Ecclesiastis* aguntur, esse, clarum & indubitatum est; quia multa ex illis reperiuntur, quæ esse, & non esse, quæque aliter esse possunt, sicut ipsâ re actuque alibi sunt, alibi non sunt, alibi sunt aliter, sine controversiâ. (p)

16. Quæ autem Deus sine medio, & expresse postulat, ea non posse aliter se habere manifestum est, siquidem *necessaria* sunt; quod autem necesse est, ejusmodi est, ut sine eo res nec esse possit. (q)

(g) *d. l.* §. 4. (h) *d. l.* §. 6. (i) *d. l.* §. 10. (k) *d. l.* §. 11. (l) *d. l.* §. 12. *seq.* (m) *d. l.* §. 15.

(n) *d. l.* §. 10. (o) *d. l. cap.* II. §. 2. (p) *d. l.* §. 3. (q) *d. l.* § 4.

17. Hoc autem *externum regimen* Ecclesiæ pertinet ad summam potestatem, sive Principem quà talem, etsi ab Ecclesiâ alienum, vel infidelem, aut mulierem, vel infantem; cum sit pars, ut in scholis loquimur, potentialis summi Imperii, nec ab eo separabilis. (r)

18. Porro ad approbationem sententiæ, quam suscepimus, duæ res explanandæ sunt. *Prima*, quænam sint ea, quæ Deus necessario exigit, suoque tantum judicio vult esse obnoxia. (s)

19. *Dein*, quæ res ad sacra pertinentes non sint ejus naturæ, verum abesse, aut diversimode se habere queant. (t)

20. Necessaria Dei præcepta sunt vel *naturalia* vel *revelata*. Naturalia, de quibus actum supra *cap.* 2. videlicet, quæ necessitatem, aut turpitudinem habent moralem. (v)

21. Nam ejus rei discretionem non habemus ex solâ informatione, vel exemplis aliorum, ut quidam inutiliter volunt; sed *Deus* cordibus nostris, quod indubitatò sentire queamus, eam impressit, ut *Paulus* de gentibus adserit, *cap.* 1. & 2. *ad Rom.* (x)

22. *Necessaria* igitur naturæ præcepta conscientiam generis humani ita obstringunt, ut imperio civitatis nullam mutationem recipere possint. (y)

23. *Revelata* Dei præcepta sunt, quæ Deus benignè, salva justitiâ suâ, ad salutem corrupti & perditi generis humani, per filium suum procurandam, ministerio Prophetarum & Apostolorum manifestavit, & sacris utriusque fœderis libris conprehensa voluit. (z)

24. Quorum capita credimus à *Deo* esse, non ex autoritate cœtus præsentis fidelium, quem *Ecclesiam* vocamus; Neque ex historicâ fide miraculorum, quibus olim in terris obsignata leguntur. (aa)

25. Quoniam efficacia rationum illarum fundamento *auctoritatis humanæ* carere non potest, in eamque resolvitur, ita, ut credulitas magis, quam certa fides esse videretur. (bb)

26. Neque etiam solis nitimur indiciis, & *argumentis*, veritatem sanctimoniamque scripturæ ita persuadentibus, ut naturali quoque rationi convincendæ sufficere possint. (cc)

27. Sed largitur Deus vere credentibus testimonium *spiritus* sui, quo de veritate eorum, quæ sacris

(r) *d. l.* §. 12. (s) *d. l.* § 16. (t) *d. l.* §. 17. (v) *d. l.* §. 18. (x) *d. l.* §. 19.

(y) *d. l.* § 22. (z) *d. l.* §. 24. (aa) *d. l.* §. 25. (bb) *d. l.* § 26. (cc) *d. l.* §. 27.

cris literis ad salutem suam necessaria continentur, certi, intimâque πληροφορίᾳ sint adseverati, 1. *ad Corinth. c.* 2. *v.* 4. 9. 12. 13. *ad Rom.* 8. 15. 16. *Gal.* 4. 6. *ad Ephes.* 13. 16. *juncto Joh.* 14. *v.* 26. & 16. *v.* 18. (dd)

28. Unde palam est, FIDEM nulli quam solius Dei judicio imperioque esse subjectam. (ee)

29. In universum igitur, quicquid ad internum jus *conscientiæ* pertinet, seu naturale, sive revelatum, cum immediatè subditum sit Deo, ipsius duntaxat jussio prohibitioque in illis spectari debet; ideoque nulli Imperio Civili vel Ecclesiastico quicquam juris est in illis, vel prohibendis, vel augendis, vel mutandis. (ff)

30. Pertinet igitur sine dubio ad jus illud internum *confessio fidei*, quæ ex sacris literis petenda est, & cujus ratio soli Deo debetur. (gg)

31. Huic cohæret facultas exercendi *conventus* fidelium, eo numero, qui ad excitandam religionem, credentiumque communionem, sit necessarius. (hh)

32. Eodem spectat *judicium* de fugiendo illorum consortio, qui fictam fidei adseverationem morum improbitate detegunt. (ii)

33. Hinc sequitur, JUS CLAVIUM quod dicitur, esse mere ecclesiasticum, & à cætu fidelium contra cujuslibet homines conditionis sibi aggregatos recte exerceri. (kk)

34. Non quod juris aliquid *coactivi* habeant, sed quatenus se illis duntaxat, quos sciunt esse pollutos, subucunt. (ll)

35. Quam ad rem necessum est, competere Ecclesiæ aliquod jus *cognoscendi* de *moribus*, & pronuntiandi indignos gratiâ cœlestium rerum. (mm)

36. Idque etiam ratione *doctrina*, non quod eam alii imperare queant, sed denuntiare possunt dissentientibus, se non posse cum illis habere cultum eundem, & signa communis gratiæ, quamdiu ita sentire se profitentur, ut in summam doctrinæ salutaris impingere videantur. (nn)

37. Denique, *Doctores* sibi, & *Rectores*, qui in omni cœtu sunt necessarii, præponere possunt Ecclesiæ. (oo)

38. Atque hæc omnia, ignaris quoque, & *invitis* Imperantibus, fieri posse consentanium est; sicut ab Apostolis, primisque Christianis, ex mandato Domini, contra

(dd) *d. l.* §. 30. *sqq.* (ee) *d. l.* §. 41. (ff) *d. l.* §. 43. (gg) *d. l. cap. III.* §. 1. (hh) *d. l.* §. 2.

(ii) *d. l.* §. 3 (kk) *d. l.* §. 5. (ll) *d. l.* §. 6. (mm) *d. l.* §. 7. (nn) *d. l.* §. 8. (oo) *d. l.* §. 9.

tra voluntatem Imperatorum instituta sunt. (pp)

39. Sed modus, & tempus, aliæque circumstantiæ, *exercendi* illa *jura*, hoc est, edendi confessionem fidei, instituendi conventus atque censuram, adeoque tota ratio gubernandi cœtus credentium, non est ita propria Ecclesiæ, ut Summæ Potestati hac parte nihil juris aut inspectionis sit comparatum. (qq)

40. Siquidem *consensu* Christianorum, salvâ religione, fideique concordiâ, hæc res aliter atque aliter se habere potest. (rr)

41. Ratio igitur *regiminis Ecclesiastici*, à potestate summa præscribi posse videtur, modo nihil a Domino prohibitum instituatur, ut toties dictum. (ss)

42. Multo magis in consiliis & conciliis præsulum, *Legatos Reibupl.* adesse, tam juris quam politices ratio permittit, & sæpe numero postulat. (tt)

43. Proinde & in illis, quæ ad jus externum spectant à collegiis presbyterorum ad potestatam Civilem *appellari* posse manifestum est. (vv)

44. Facultas eligendi *Doctores* rectius quidem omnino cœtui fidelium ipsi totum relinquitur. Non tamen videtur ad internum & inseparabile jus conscientiæ referendum. (xx)

45. Modo non admittantur, quam qui a peritis rerum sacrarum *idonei* ad docendum sint judicati; omnibusque potestatis conquerendi refutandique libera detur. (yy)

46. *Personas*, & *bona* Ecclesiasticorum, Imperio Civili nullo jure subduci, extra controversiam collocamus; ut & publicis præstationibus ac pœnis, propter commissa Legum, sine dubio sunt subjecti. (zz)

47. Etiam ut ob *malos mores*, causâ cognitâ, non tantum stipendio, quod è publico capiunt, sed & munere docendi certo loco privari possint. (1)

48. *Bona* tamen *Ecclesiæ* in usus Reipubl. Potestates convertere non possunt; nihilo magis quam res cujusque privati. (2)

49. Quia Ecclesiam esse cœtum à civitate distinctum, secus, ac vult *Hobbes*, nobis inbubitatum est, & ex dictis jam liquet. (3)

50. Quatenus tamen Respublica, & Ecclesia aliter servari nequit, aut ob *causas* valde *pias*, alie-

(pp) *d. l* § 12. (qq) *d. l.* § 27. (rr) *d. l.* § 29. (ss) *d. l* § 31 (tt) *d. l.* § 32. (vv) *d. l* § 33.

(xx) *d. l.* § 34. (yy) *d. l.* §. 35. (zz) *d. l.* §. 41. (1) *d. l.* § 42. (2) *d. l.* §. 44 (3) *d. l.* §. 45.

alienari possunt; quoniam ad tales usus vel maxime comparata esse videntur. (4)

51. Bona autem corruptæ Ecclesiæ, modo Christianæ, dicata, licet addito fine superstitioso, fuisse & manere Ecclesiastica, etsi professio religionis emendata fuerit, dicendum putamus. (5)

52. Perinde nec in hoc casu talia bona ab Imperantibus distrahi, vel in usus profanos converti possunt, sed vitio ordinationis sublato, in religiosos usus, piosque converti debent, argumento *l. 16. ff. de usufr. leg.* & eorum quæ modo diximus. (6)

53. Si quoque Princeps hoc suum *jus externum* in aliud Collegium, aliamve personam singularem, Episcopi, Superintendentis, aliove titulo, transferre velit *exercitio* tenus, potest equidem, modo nihil ei tribuat, quod à corpore Credentium separari non posse diximus. (7)

54. Cæterum esse liberum summis potestatibus, *diffidere* à cultu recepto, non minus quam privatis, ipsa res loquitur. (8)

55. Nec ideo cives principi *obsequium* negare possunt, quod de sacris aliter, quam prævalens populi sui multitudo, sentiat. (9)

56. Quin imo jus habere summas Potestates symmystis suis *publicum* cultus *exercitium* permittendi, in universum quidem, indubitatum videtur. (10)

57. Quin & jus *probibendi* aliter sentientibus habent, ne publicos solennesque conventus habeant, ne majoris corporis unionem stabili regimine forment. (11)

58. Sed ne omnino conveniant, ne doctores ullos habeant, ne libros legant, ne Deum *suo more* colant, id abscisse prohiberi nequit. (12)

59. Multo minus externis *pœnis* ob hæc novissima sævire licet, quia sanctio, quæ pars legis est, non potest habere locum, ubi lex ipsa cessat. (13)

60. Sed interdicere civitate *heterodoxos*, salvis vitâ atque fortunis, si expedire judicet, eum posse exstimaverim. Quoniam hoc præmunimenti adversus propagationem potius, quàm supplicii rationem habere potest. (14)

61. Etiam ut effectus aliqui *juris publici* illis præcludantur; velut, ne munera publica singuli, ne cœtus eorum è testamentis capiant, similiaque decernere nihil vetat, ut quidem videtur. (15)

62. Ex his judicare licet, utrum

F Ec-

(4) *d. l.* §. 46. (5) *d. l.* §. 47. (6) *d. l.* §. 48. (7) *d. l.* §. 50. (8) *d. l.* §. 52. (9) *d. l.* § 53.

(10) *d. l.* §. 55. (11) *d. l.* §. 56 (12) *d. l.* §. 57. (13) *d. l.* §. 59 (14) *d. l.* §. 60 (15) *d. l.* § 61.

Ecclesiæ præsulibus competat *legislatio*, competat *jurisdictio* circa sacra; an summæ potestati illud potius tribuendum? Posterius affirmatur, quatenus nihil (hoc toties repetendum) in his, quæ a Deo præfinita sunt, mutatur. (16)

63. Cæterum, non agimus de eo, quod *jure fundamentali* in unaquaque civitate de religione queat esse constitutum. (17)

64. Etiam de potestate *vere summa*, non de principe, qui imperium habeat imminutum, loquimur. Denique, non de seditiosis, neque blasphemis, nec improbioribus *hæreticis*, in quos gravius omnino animadvertendum. (18)

(16) *d. l.* § 65. (17) *d. l. cap. IV.* §. 14. (18) *d. l.* § 13.

CAP. XVI.

Quo refelluntur diversæ Opiniones.

Ex fundamento distinctionis inter *externum*, *internumque* regimen Ecclesiæ, quam ut caput superioris doctrinæ posuimus, patet, quid de reliquis à medio recedentibus sententiis existimandum sit. (a)

2. Si enim circa Ecclesiam non pauca vertantur, quæ *imperio civitatis* subdici nequeant, quemadmodum probavimus, perperam potestas earum rerum alii extra civitatem constituto adscribitur. (b)

3. Quare *Pontifex Romanus*, si maxime esset vicarius regni, quod Christus habet in terris, quod nimium procul abest à vero, tamen nihil haberet juris, nisi in his, quæ Deus suo solius judicio addixit. (c)

4. Sed hujus rei argumentum constat immensâ *disputatione*, quâ dudum alii plenissime sunt defuncti. (d)

5. Propius à vero abest altera sententia de *presbyteriis*, quorum & saluberrimus & necessarius est usus; modo non nimium ad ipsa quoque jura Imperii, potestas eorum obtentu regendi conscientias ex-

(a) *Auctor in Op. Mai. lib. I. Sect. V. cap. V.* §. 1. (b) *Ibid.* §. 5.

(c) *Ibid.* §. 6. (d) *Ibid.* §. 10.

extendatur; cujus rei specimen in *Belgicâ* Leicesterano tempore, neque minus postea, luculentum habuimus in *Magna Britanniâ*. (e)

6. Certum est, nihilo plus juris habere presbyteria, quam ipse habeat *cœtus Credentium*, à quo jus suum, ad ea curanda, quæ à multitudine commodè administrari nequeunt, adipisci debet. (f)

7. Imo stabilis & legitimus ordo, habendi consistoria, exercendi audientiam, & disciplinam, lege certi collegii: Pastores & Presbyteros eligendi, omnemque Ecclesiam gubernandi, sine *veniâ* & *auctoritate* summæ potestatis, constitui atque teneri non potest; multo minus diœcesium, provinciarumque conventus generales. (g)

8. Quia talis ordo non potest dici nominatim à *Deo* imperatus, & Ecclesiæ præscriptus; unde manet sub iis, quæ à dispositione summæ potestatis pendent, modumque ab ejus arbitrio accipiunt. (h)

9. Sequuntur duæ posteriores sententiæ, quarum *prior* Ecclesiæ nihil juris, quam *docendi*, mutuumque monendi officium, sine ullo vigore disciplinæ, aut animadversione, concedit. In quâ sententiâ quid desideretur, ex his quæ superius dicta sunt, intelligi potest. (i)

10. Jus enim *præcludendi à communione* fidelium eos, qui de fide male opinantur, doctrinæque professionem moribus prostituunt, Credentium cœtui non posse negari, nec consequenter ejusmodi causas cognoscendi, existimamus. (k)

11. Sequitur quinta *Hobbesii* sententia, qui omnem sacrorum & religionis causam Imperio subjicit. (l)

12. Quin imo contrariam opinionem inter fundamenta seditionum periculosissima refert, auctoresque illius, suavi convicio *Apostatarum Rationis* increpat. (m)

13. Hinc colligit: in causa *fidei*, ut in aliis omnibus institutis, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, si quid certi ab universa civitate servandum, hoc à Summo Imperio esse præscribendum. (n)

14. Sufficit ad hoc refutandum, quod diximus, Imperium Civitatis non habere locum in his, quæ *Deus* specialiter præscripsit, ut est sine dubio fides, & conscientia juris naturalis. (o)

15. Unum addam ad id, quod idem *Hobbes* urget, sententiam

 de

(e) *Ibid* §. 12. (f) *Ibid.* §. 13. (g) *Ibid.* §. 15. (h) *Ibid.* §. 16.

(i) *Ibid. Cap. VI.* §. 1. (k) *d. l.* §. 2. (l) *d. l.* §. 6 (m) *d. l.* §. 14. (n) *d. l.* §. 15. (o) *Sup. cap. XV.* §. 22.

de causâ fidei & sanctitatis supernaturali, hoc scilicet incommodo, *si vera esset*, inquit, *non video, quare rationem fidei nostræ reddere juberemur, aut quare non unusquisque quid faciendum sibi sit, ex propria potius inspiratione, quam ex præceptis Imperantium, aut recta ratione æstimaret.* (p)

16. Facillima ad ineptam objectionem responsio est; *Rationem* minime excludi ab his, qui in rebus fidei necessariis lumen spirituale prædicant; neque enim dogmata, quæ ratione non perceperint, sibi dicunt *revelari.* (q)

17. Proinde nihil ex illis est, cujus non rationem reddere possint, & debeant, è *scripturis* apud eos, qui in divinitate scripturæ acquiescunt. Obsignatio & persuasio spiritualis nihil *ad alios* pertinet; sed hactenus ejus lapis lydius hic est, si cum literis sacris conveniat. (r)

18. Instat Hobbes: *Cognitionem de bono & malo spectare ad singulos, seditiosa*, inquit, *oratio est*, *Cap.* 12. §. 1. Alibi explicatius, & quidem, ait, *illa quot rebellionum causa fuit, qua docetur, Imperata Regum justa an injusta sint, cognitionem ad privatos pertinere? vid. cap.* 6. *n.* 9. *c.* 11. *n.* 6. *in fin. Leviath. Cap.* 13. 29. (s)

19. Si de consiliis *publicæ administrationis* loqueretur, parum abest, quin admitti posset, imperata Regum exequenda civibus esse, non interpretanda. (t)

20. Idem de iis, quæ per facultatem dominii *eminentis*, aut voluntate civitatis mutari, & ex nefariis licita fieri possunt, judicandum. (v)

21. Sed in universum, ut *Hobbes* postulat, intellecta sententia, ne exceptis quidem moraliter necessariis, aut voluntati divinæ repugnantibus, immanis & intolerabilis est. (x)

22. Utique, si de turpitudine meritisque causæ manifesto constet; nam alioqui in *dubio* pro civitate præsumendum esse, facile conceditur, quemadmodum de causis belli à Republ. suscepti, disputat *Grotius lib.* 2. *c.* 26. §. 3. & 4. (y)

(p) *d. lib. I. Sect. V. cap. VI.* §. 22. (q) *ibid.* §. 23. (r) *d. l.* §. 24. (s) *d. l.* §. 35. (t) *d. l.* § 36. (v) *d. l.* §. 37. (x) *d. l.* §. 38. (y) *d. l.* § 39.

CAP.

CAP. XVII.

De variis Rebuspublicis, & primo de Monarchia.

DIVERSITATEM Rerumpublicarum, ad quas post *Imperium* in genere transeundum, optime ex numero Imperantium distinguimus. (a)

2. Nam cunctas nationes & urbes, populus, aut primores, aut singuli regunt. Delecta ex his, & constituta Reipubl. forma laudari facilius, quam evenire; vel si evenerit, haud diuturna esse potest, scribit *Tacitus lib.* 4. *annal. c.* 33. (b)

3. Nempe, si *jura Majestatis* ita inter diversos ordines distribuantur; ut sua singuli non obstricti reliquis seorsim exerceant. (c)

4. Tres igitur sunt formæ civitatis, *Monarchia*, *Aristocratia*, *Democratia.* Quarum quæ sit præstantissima disputare Politicorum est. (d)

5. *Monarchiam* esse unius imperium solo satis vocabuli argumento constat. Quod tamen ita præcise captari nolim, ut quotiescunque *plures in uno regno Domini extitere*, toties Reipubl. formam mutari statuamus. (e)

6. Si quidem longius illa societas Imperantium ab *Aristocratiâ*, quam a *Monarchiâ* distat. (f)

7. Ita *Lacedæmoniis* duo Reges fuerunt, idque Regnum vocabatur; nec non verum fuisset Regnum, si potestas vere summa fuisset; & in *Rom. Imperio* sæpius Augusti duo pluresve fuere. (g)

8. Unde formas peculiares *Dyarchias*, aut *Triarchias*, in Artem introducere, nec congrueret, neque expediret. (h)

9. Accedit, quod isti *Condomini*, ut hi vel his similes à Germanis Ictis appellantur, non constituunt *collegium*, adeoque nec unus plurium sententiam sequi compellitur. (i)

10. Ex quo apparet, quam sit fragile & anceps hoc genus Imperii, quoties vere summum est, ut fuit apud Romanos, cum duo tresve simul imperaverunt, nisi

(a) *Auctor in Op. Mai. lib. I. Sect VII cap. I.* §. 2. (b) *Ibid.* §. 3. (c) *Ibid* § 4. (d) *Ibid.* §. 5.

(e) *d lib. I. Sect. VII. cap. II.* §. 1. (f) *Ibid* § 3 (g) *Ibid* § 4. (h) *Ibid.* §. 5. (i) *Ibid.* §. 6.

Imperium in partes ſubjectivas *dividi* placuerit. (k)

11. Quod vel ita fieri poteſt, ut ſecundum adminiſtrationem duntaxat partitio fiat, uti *Diocletianus* & *Maximianus* fecere. (l)

12. Vel ut Civitates omninò diſtinctæ conſtituantur, ſicut poſtea Imperium Romanum in *Orientale* & *Occidentale* diſceſſit; quanquam hi tum deſinunt eſſe Condomini, & tantiſper ſinguli, vereque *Monarchæ* ſunt. (m)

13. Porrò Condomini fiunt primò *hereditate*, cum in ditione patrimoniali plures liberi pariter ſuccedunt; idque ab inteſtato, vel diſpoſitione ultimi regnantis, ubi hoc jus principibus competit. (n)

14. Aut *electione*, quando plures cum ſummâ poteſtate ſinguli conſtituuntur; eaque vel eſt à populo, vel à Principe Collegam adſciſcente; ut in Imperio Romano ſæpius accidit. (o)

15. Oportet autem in *electione* diſerte exprimatur, ſingulos fore Auguſtos; nam Imperio ſimpliciter pluribus delato, non ſingulis, ſed ut univerſis ſumma poteſtas delata intelligitur; ut *Decemviris* legum condendarum, & *Triumviris* Reipubl. conſtituendæ causâ. (p)

16. Eadem fere ſpecies per feminæ regnatricis nuptias contingit, quando maritus ut particeps & *collega imperandi* adſciſcitur, Quomodo *Ferdinandus Arragonius* cum *Eliſabetha Caſtellanâ* fuit conjunctus, & plerique alii. (q)

17. Quo caſu *poteſtas maritalis*, quæ juris Gentium fertur, vix eſt ut effectum habere poſſit; multo minus, cum Regina totum & jus & exercitium Imperii ſola reſervat, nec aliud quam Regis titulum viro impertitur. Quomodo *Johannæ Neapolitanæ*, & *Maria Scota* ſuos maritos habuerunt. (r)

18. Porro ſpecies *Monarchiæ* plures numerant ex *Ariſtotele* Politici, ſed pleraſque ad juris diverſitatem parum pertinentes. *Ariſtot. lib. 3. polit. c.* 10. & 11. (s)

19. Nobis plures Monarchiæ ſpecies non ſunt conſiderandæ, quam hæ duæ, *Regnum* & *Dominatus*, ſive Imperium, ut Ariſtoteles loquitur, παμβασιλικὸν, aut βαρβαρικόν. (t)

20. *Regnum* verum & *plenum* eſt, ubi princeps habet ſummam, & liberam poteſtatem, faciendi in civitate, quod è re communi videbitur; ſalvâ tamen civium libertate & proprietate rerum. (v)

21. Et

(k) *Ibid* §. 9 (l) *Ibid.* §. 13. (m) *Ibid.* §. *eod.* (n) *Ibid* §. 16 (o) *Ibid.* §. 17. (p) *Ibid.* §. 22.

(q) *Ibid.* § 23 (r) *Ibid.* §. 28 & 30. (s) *d. lib. I. Sect VII. cap III.* §. 1. (t) *Ibid.* §. 8. (v) *Ibid.* §. 9.

21. Et existere hanc regni speciem putamus, ubicunque potestas civitatis uni homini, sine modo, sine conditionibus, voluntate civium *simpliciter* defertur. (x)

22. Quemadmodum *lege Regiâ* Cæsares Romanos, ut Juris consulti tradunt *in l. 1. ff. de Constit. Princ.* hodieque regnum Francorum haberi videmus. (y)

23. *Dominatus* finitur, quod sit Imperium, quo princeps sibi subjectis, ut paterfamilias servis imperat, omniumque tam quod ad res quam corpora Dominus existens, actiones publicas ad suam præcipuè utilitatem dirigit. (z)

24. Differentiam ejus à Regno ex definitione triplicem colligimus: *primam*, quod proprietas bonorum quæ singuli possident, ad Imperantes pertinet. (aa)

25. *Alteram*, quod personæ subditorum dominio Principis ita subjectæ sunt, ut servitio illarum uti, deque vita ac nece disponere possit; idque promiscue, arbitrariâ potestate, causâque etiam indicta. (bb)

26. Non quod vitâ immerentem *justè* exuere possit, secundum id quod justitiæ ratio intrinsecus dictitat; sed quod ex causâ jure Gentium valida habeat *externam* ita agendi *facultatem*, de quo discrimine juris diximus alias. (cc)

27. Ex his *tertia* resultat differentia, à fine diverso petita, qui est in Regno Civili originaliter, *utilitas subjectorum*; quanquam illa sine commodo Imperantium obtineri non potest. (dd)

28. In *Dominatu* originalis scopus Imperii stabiliti, est *utilitas Regnantis*: quæ nec ipsa tamen absque commodo subjectorum potest custodiri. (ee)

29. *Causa* hujusmodi Imperiorum prima vix, aut rarò, nec tamen nunquam, est è voluntate libera populorum, sed plerumque vi aut necessitate. (ff)

30. Nec tamen pro *injustis* habenda sunt id genus Imperia. Si vel justo bello, vel deditione voluntaria, constituantur. Non magis quam privata servitus ex hac causâ olim injusta fuit, §. 3. *Inst. de jur. pers.* (gg)

31. Non audimus igitur illos, qui Principes hoc herili Imperio utentes indistinctè *Tyrannos* appellant. (hh)

32. Nobis ratio dissentiendi constat, ea quæ exposita est, omniumque seculorum exemplis firma-

(x) *ibid.* §. 11. (y) *ibid.* §. 12. & 13. (z) *ibid.* §. 15. (aa) *ibid.* §. 16. (bb) *ibid.* §. 17.

(cc) *ibid* §. 18. (dd) *ibid.* § 19. (ee) *ibid.* §. 20 (ff) *ibid* § 21. (gg) *ibid.* §. 23. (hh) *ibid.* §. 34.

matur. *Vide*, *sis*, *Grotium d. lib.* 3. *c.* 7. & 8. (ii)

33. Talis olim notissima Persarum, & suetæ Dominis Syriæ, totiusque *Orientis* consuetudo fuit. Nec aliter hodie omnes ab ultimis Sinensibus ad usque Russos in Europam populi à Despotis suis administrantur; idemque in *Africâ*, omnique Barbaria servatur. (kk)

34. Tu dices, nihilne igitur tales Dominos suis civibus *promittere* intelligimus, ut nunquam juris externi ratione, Imperio abuti possint? (ll)

35. Existimo, præter quod in præsenti, cum in statu belli fuerunt, *incolumitatem* pollicentur, eos ad universæ quoque multitudinis *salutem* in perpetuum procurandam esse obligatos. (mm)

36. Proinde, si tam immanem ostendant animum, ut ad omnium *perniciem* contendant, tum verè perfidi atque tyranni dicantur; natura enim negotii, quod geritur, constituendæ civitatis, sine hac, tacita duntaxat, obligatione consistere non potest. (nn)

(ii) *Ibid.* §. 36. (kk) *Ibid.* §. 37.

(ll) *Ibid.* §. 41. (mm) *Ibid* §. 42. (nn) *Ibid.* §. 43.

CAP. XVIII.

De Causis constituendi Monarchiam.

POst species Monarchiæ sequuntur *modi*, quibus Regna *acquiruntur*: hi sunt vel ordinarii vel extraordinarii. *Priores* duo sunt, electio & successio; *extraordinarii* perinde duo, matrimonium, jus belli. (a)

2. De jure belli, & matrimonio, dictum quod satis sit, in *super. cap. præc.* Origine cujusque civitatis inspectâ, nullum non Regnum ex voluntate populi ortum, fuit *electivum*. (b)

3. Sed *diversitas* electionis, & successionis, deinceps orta est; cum quædam ex Imperiis ita sunt dela-

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* I. *sect. VII. cap.* IV. §. 1.

(b) *d. l.* §. 2.

delata principibus, ut identidem ſedes vacua per electionem repleretur: quædam ita, ut ſucceſſio ſecundum ordinem certum propinqui ſanguinis ab uno in alium devolveretur, ex præſcripto legis. (c)

4. Aliter ſe res habet in *patrimonialibus*; nam ibi non voluntas populi, aut lex, verum ſola voluntas expreſſa, vel tacita, poſtremi Regnantis in Imperio propagando ſpectatur: prorſus ut quisque privatus jure Gentium de ſuo patrimonio diſponit. (d)

5 Idem in plerisque *herilibus*, quæ fere ſimul ſunt patrimonialia, dicendum; niſi quod aliquando lex quoque in illis ordinem præſcribit, ut jam *suprà* innuimus *cap. præc.* (e)

6. Sed in *voluntariis* meritò dubites, quid juris ſit, ſi populus Regem ſimplicitur conſtituerit, non expreſſo, *electivum* in poſterum, an *ſucceſſivum* foret Imperium; utrius conditionis ſit futurum; quemadmodum Romæ ſpecies illa fuit, tam in Regibus, in Cæſaribus, juxta hypotheſin legis Regiæ. (f)

7. *Hobbes* non dubitat adfirmare, ſucceſſorium non modo, ſed abſolute *hereditarium* illud Regnum eſſe habendum, *de Cive cap.* 7. §. 14. *& cap.* 9. §. 13. *& ſeqq.* Adeo ut cuilibet Imperanti ſuo arbitrio ſucceſſorem declarare liceat. (g)

8. *Argumenta* pro ſucceſſione haud ſpernenda ſe offerunt. Populus Regem creans exuit ſe Imperio, totumque jus ſuum transfert in Illum; utique ubi nihil excepit, præter id, cujus gratia civitatem condit, ſcilicet incolumitatem, eo ſenſu, quo dudum diximus. (h)

9. Atqui *diſpoſitio de ſucceſſione*, à libertate, dominioque rerum, quibus ſalvis incolumes ſumus, evidenter aliena eſt. Quid obſtat igitur, quominus & hæc poteſtas in principem ſimpliciter conſtitutum tranſlata dicatur? (i)

10. Jam ſi de præſumptâ voluntate judicandum, plerisque populis, qui regnantur, placuiſſe videmus *ſucceſſionem*: proinde & hanc in dubio noſtri caſus, populum in conſpectu habuiſſe præſumendum videtur. (k)

11. In diverſam tamen partem inclinat ſententia, prævalente hac ratione; quod *in dubio*, ſi electivum non ſit Imperium, non modo oporteret ſucceſſivum ad liberos eſſe, proximique ſanguinis reſpectu, ſed & abſolute *hereditarium*;

G

(c) *d. l.* § 6 (d) *d. l.* §. 17. (e) *d. l.* §. 18. (f) *d. l.* §. 19.

(g) *d. l.* § 20. (h) *d. l.* § 33. (i) *d. l.* §. 34. (k) *d. l.* §. 35.

tarium; ut ultimus Princeps testamento quoque extraneum surrogare possit. Imò ut & vivus Imperium in quemlibet alium transferre valeat. (l)

12. Nam quod est *hereditarium*, æque testamento quam ab intestato potest ordinari, & de quo licet ultimâ voluntate constituere, de eo non minus facultas inter vivos disponendi competit. (m)

13. Ut autem ejusmodi libera alienatio competat Imperantibus, quibus Imperium simpliciter voluntate populi delatum est, utcunque *Hobbesio* indubitatum sit, nobis minime, de *voluntario* inquam *Regno*, concedendum videtur. (n)

14. Non, (per partes ibimus) ut Rex Imperium suum vivus transferat in alium; quia tantum id juris habet, quod datum est ipsi. Populus autem dedit *jus imperandi*; à quo alienandi potestas toto genere diversa est. Populus *ipsi* dedit jus imperandi, non alii. Proinde ut ipse non habet, nisi quod populus dedit, manifestnm est, nec alteri plus competere posse. (o)

15. Jam si vendere vel donare suum regnum *vivus*, simpliciter electus princeps non potest, clarum est, ne *testamento* quidem de eo disponere posse. Nam & hæc donatio & alienatio quam maxime est, secundum notissimam Juris sententiam. (p)

16. Si *testamento* extraneis relinquere nequeat successionem, dicimus, nec ab *intestato* ad sanguine proximos, ab ipso posse devolvi (q)

17. Quoniam hæc fundamentum suum habet in absoluta *proprietate* defuncti, cui potestas adsit alienandi. Proinde, cui expressa voluntatis declaratio negatur, hujus tacita vim nullam habere potest. (r)

(l) *d. l.* §. 39. (m) *d. l.* §. 40. (n) *d. l.* §. 41. (o) *d. l.* §. 43. (p) *d. l.* §. 44. (q) *d. l.* §. 45. (r) *d. l.* §. 46. *& seq.*

CAP. XIX.

De Electione Monarchica.

JUs ELIGENDI, sive surrogandi principem in vacuam sedem, naturaliter iis competit, quorum jus imperii primævum est. Adeoque

que penes populum, aut quibus populus suum jus concessit. (a)

2. Sive identidem *Legatos* ad eam rem constituant vitandæ confusionis ergo, sive jus hoc in perpetuum certo hominum ordini dederint, ut hac parte loco universitatis fungeretur. (b)

3. Veluti possessoribus immobilium, ut in *Frisiâ*: vel Nobilibus, ut in *Poloniâ*; denique certis Principibus, ut in *Germaniâ*. (c)

4. Vulgo tres electionum species memorantur; quarum *prima* intra certam familiam; *altera* ad nationem unam restringatur, *tertia* nullo termino circumscripta sit. (d)

5. Sed & aliæ limitationes non desunt, qualis in diplomate, sive aureâ bullâ Caroli IV. ne infra *Baronum* dignitatem *Cæsarea* electio demittatur. (e)

6. In *Polonia* nemo quidem eligi prohibetur; neque ad *Mœnum*, nec in *Conclavi* nationes discerni, ulla lege sancitum, & exempla sunt in contrarium. (f)

7. Tametsi *Pontifices* fere Itali; *Imperatores* plerique Germani, ob politicas rationes creantur; sed non est ita præcisum, exempla quoque utrinque non desunt; inquam. (g)

8. Effectum electio secundum majorem *suffragantium* numerum habet, nisi quid leges certi præscribant. In electione *Pontificis* duas electorum partes consentire oportet; sive id per scrutinium, ut loquuntur, sive per adorationem fiat. (h)

9. Est autem, vacante regno, tam *libera electio*, ut etiam non eligere possint Regum, aliamque Reipubl. formam introducere; nempe, si totus populus eligendi facultatem exerceat, non si in alios transtulerit. (i)

10. Hos enim nihil aliud posse dicemus, quam quod ipsis *commissum*, scilicet replere sedem vacantem. (k)

11. Sed potest difficile quæsitum videri, an populus *jure eligendi* perpetuo in certos homines translato, vacante regnó mutandi libertatem retinere censeatur? (l)

12. Nam & *Electores* privare potestate suâ, & rursus, extincto fine successore eo, qui summam habuit potestatem, populum sui juris non esse, durum videtur. (m)

 13. Sed

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. lib.* I. *sect.* VII. *cap.* V. §. 2. (b) *Ibid.* §. 3. (c) *Ibid.* §. 4. (d) *Ibid.* §. 15. (e) *Ibid.* §. 17. (f) *Ibid.* §. 18.

(g) *Ibid.* §. 18. (h) *Ibid.* §. 19. (i) *Ibid.* §. 22. (k) *Ibid.* §. 23. (l) *Ibid.* §. 24. (m) *Ibid* §. 25.

13. Sed ratio postulat, ut eo casu dicamus, *fœdere civitatis* ordinem Imperii non minus stabilitum esse, quam lege de successione lata; propemodum, ut in *Aristocratia*, ubi jus surrogandi Imperantes in loca demortuorum est apud superstites. (n)

14. Nisi constet ex verbis, quibus delatum est jus eligendi, vel re ipsâ, naturaque Reipubl. *Electores* nihil esse quam ministros, quo casu quid juris sit, ultro intelligitur. (o)

15. Porro, etiam in *successivis* Imperiis, quæ voluntaria sunt, locus fit electioni, post defectum familiæ regnatricis; & *patrimonialibus*, si insuper ultimus Princeps successorem sibi non surrogaverit. (p)

16. Populus enim serviens, Domino absque successore extincto, non potest non esse *liber;* consequenter habet facultatem faciendi quod libet. (q)

17. *Pacta Gentilitia*, quibus, unâ deficiente familia, succedit alia, in Imperiis summis *patrimonialibus* per se valida sunt. In *voluntariis* non aliter, quam populo proceribusve consentientibus, ut è principiis instituti nostri dudum positis constat. (r)

18. Denique, in iis qui superiorem agnoscunt, hujusce requiritur consensus, ut in *Germania* Imperatoris; maxime, quia ditiones feudales, deficiente omni vasallorum sanguine, Imperatori, aut aliis feudorum dominis acquiruntur. *Sleidanus lib.* I. *hist. Germ. in Capitul. Car. V.* (s)

19. Sed liberis populis, sive singulares civitates, sive integræ nationes sint, *Imperator* nullo modo dominos imponere potest, nisi ex voluntate populorum. (t)

20. Sicut olim *Frisii* aliquoties in ditionem concessi à Cæsaribus exteris Principibus, eos semper recusârunt, freti libertate à Carolo Magno vel donatâ vel exinde constanter usurpatâ, donec ultrò Saxonem Albertum introduxerunt; nec diversa ratio esse videtur *Frisiorum Orientalium;* quorum idcirco Imperiorum initia pro voluntariis habenda sunt. (u)

(n) *Ibid.* §. 27. (o) *Ibid.* §. 30. (p) *Ibid.* §. 31. (q) *Ibid* §. 34.

(r) *Ibid.* §. 35. (s) *Ibid.* §. 36. (t) *Ibid.* §. 38. (v) *Ibid.* §. 39.

CAP.

CAP. XX.

De Jure Successionis.

POrrò de *ordine succedendi* multiplex consideratio est. Summam statuimus differentiam inter *patrimonialia*, & institutiva seu *voluntaria* regna. (a)

2. In patrimonialibus est successio *hereditaria*, quæ transit eodem modo, quo hereditates privatæ, hoc est per expressam ultimi decessioris dispositionem, quæ *testamentum* est; vel tacità ejusdem voluntate, quæ est fundamentum *successionis ab intestato*.(b)

3. Sicut & Imperia ejusmodi populorum, aliis donari, vendi, similibusque modis *cedi* possunt, cujus rei exempla, nec in sacris, neque in profanis historiis desunt. (c)

4. Inprimis *testamento* relinqui potest successor, aut ex liberis unus citra ætatis, aut è cognatis sine propinquitatis privilegio, vel extraneus amicus, quemadmodum testator sibi populoque expedire judicat; quo jure Ptolomæus primus de Ægypto; Masanissa, & Eumenes, aliique de suis regnis disposuerunt. *vid. Grot. lib.* 1. *cap.* 3. §. 12. (d)

5. *Ab intestato* viget in patrimonialibus, præsumpta defuncti voluntas, quam proinde heic unice oportet attendi. (e)

6. Efficacissima ratio, naturæque ingenii humani convenientissima est, *ut propinquitas sanguinis*, ubi nihil expressæ voluntatis extat, mensura sit affectionis; quemadmodum Jure Romano scimus esse comprobatum. (f)

7. Unde sequi videtur, eos qui æque sunt sanguine propinqui, pariter succedere in regnum, & si convenire nequeant, æqualiter id esse partiendum. Idque sine discrimine sexus, ut censet optimus harum rerum magister *Grotius* in *lib.* 2. *cap.* 7. §. 12. (g)

8. Qui & prærogativam marium, ac primogenituram, non aliter valere docet, quam si Imperium expresse *individuum* sit factum. (h)

9. Sed videndum, ne non difficile sit, eandem in Imperiis, & in

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* I. *Sect.* VII. *Cap.* VI. §. 3. (b) *d. l.* §. 4. (c) *d. l.* §. 8. (d) *d. l.* §. 9. (e) *d. l.* §. 12. (f) *d. l.* §. 14. (g) *d. l.* §. 15. (h) *d. l.* §. 18.

in privatis patrimoniis, rationem sustinere; utique in his quæ summa, nec aliis obnoxia sunt. (i)

10. In his considerandus inprimis est *amor Principum* erga subjectos, qui tantò major in patrimoniali quam diverso Imperio esse solet, quantò tenerius avita, ac hereditaria bona, præ usufructuariis fideicommissariis amamus (k)

11. Id autem frequentissima omnium temporum experientiâ testatum est, haud temere ullum gravius malum populis evenire posse, quam est *concursus* successorum in Regnis. (l)

12. Unde vel collisio, vel divisio, id est, prope certa destructio civitatis, aut afflictio duntaxat gravissima, & inevitabilis exspectanda. (m)

13. Adde, quod jus *primogenituræ* usu generis humani in Imperiis ita valuerit, ut Principes qui hunc ordinem in Imperiis quoque patrimonialibus expressa voluntate mutant, contra jus Gentium decernere dicantur, ut Justinus de Ptolomæo *lib.* 16. *cap.* 2. (n)

14. Putamus igitur, Imperium *patrimoniale*, quoties nihil a rege defuncto vel more jam recepto expressum est, in *partibus subjectivis*, hoc est, in terris, non recipere mutationem, sed manere unum & conjunctum. (o)

15. Quò collocato, facili consequentiâ intelligimus, *mares* potiore loco habendos esse quam feminas, & inter mares *primogenitos* esse præferendos. (p)

16. Quod, si constet, regnum esse, & aliàs fuisse *dividuum*, jam non hærebimus, quin liberi omnes majores, juniores, masculi, feminæ, adoptati, (non tamen *nothi*) & secundum eos, reliqui agnati aut cognati, secundum *gradus* prærogativam, sint admittendi. (q)

17. Fuit successio Arbitraria, sequitur *Institutiva*, quæ defertur secundum ordinem ab eo, qui primum Imperium fundavit, constitutum; sive populus fuerit, sive major Princeps, qui Imperium in alium contulit, ut sunt domini *feudalium* regnorum, in quibus ideo simplex hæreditaria successio, & testamentaria non obtinet, *cap.* 1. *in pr. de success. feud.* (r)

18. De priori specie, quæ venit à populo ejusve Proceribus, maxime agemus; *feuda* suum locum habent proprium. (s)

19. At-

(i) *d. l.* §. 22. (k) *d. l.* §. 25. (l) *d. l.* §. 27. (m) *d. l.* §. 28. (n) *d. l.* §. 31.

(o) *d. l.* §. 36. (p) *d. l.* §. 37. (q) *d. l.* §. 59. (r) *d. lib.* I. *Sect.* VII. *cap.* VII. §. 1. (s) *Ibid.* §. 4. *seqq.*

19. Atqui, cum succeſſio *lege* ſtatuta, vel *moribus* recepta eſt, veroſimili populorum intentione, quæ juris parit præſumptionem, eædem fere naſci videntur concluſiones, quas modo ex tacita defunctorum regnantium voluntate collegimus. (t)

20. *Primo*, non eſſe dividendam civitatem, quia populus id ſui ipſius cauſâ multo fortius, quam Rex ob amorem populi pacemque familiæ, voluiſſe videtur. (v)

21. *Secundum* hoc, ut mares feminis in pari jure ſanguinis præferantur, deficientibus demum viris ſequior ſexus admittatur, ob eandem rationem. (x)

22. Item, ut *primogenitus* ſolus his, qui poſtea ſunt nati, anteponatur, propter rationes *ſuprà* collocatus. (y)

23. Porro, ubi *lex* ſancit ſucceſſionem, ita conſtituit eam, ut ab ipſa, non ab ultimi poſſeſſoris reſpectu, dependeat. (z)

24. Hinc fit, ut *nepos* è primogenito, licet ætate filio ſecundo minor, huic tamen præferatur. (aa)

25. Quoniam filius *primogenitus*, patre vivo mortuus, jus, quo tum ſpem habebat præcipuam, quodque *jus potentiale* dicere licet, ad ſuam prolem transmiſit. (bb)

26. Secundum hæc, *fratris majoris* filius ſecundo-genitum fratrem antecedet, imo & *nepos* illius; quod ſecus in patrimonio; adeoque in infinitum hoc valebit. (cc)

27. *Neptis* quoque *ex filio* præferenda erit nepoti ex filia, quia *filius* filiæ prælatus fuiſſet, ſuamque ſpem ad prolem ſuam transmiſit, *filia* quæ nihil habuit nihil ſuo gnato tradere potuit. (dd)

28. Eâdem ratione *filia fratris* potiori jure quam filius ſororis utetur; ac ita in cæteris. (ee)

29. Ultro autem intelligitur, hujusmodi ſuceſſionem in iis obtinere populis, ubi *feminæ* non penitus excluduntur, ſed ubi maribus duntaxat poſthabentur. (ff)

30. Quo caſu etiam, ubi *lex* viros produxit ad ſolium, ſi poſtea pares gradu deficiant, retrocedit ad *feminas*, potius quam ad agnatos remotiores pergat. (gg)

31. Id enim extra controverſiam collocamus, nihil obſtare, quominus *feminæ* ad imperia populorum, ſalvâ juris Gentium ratione,

(t) *d. l.* §. 4. *ſeqq.* (v) *Ibid.* §. 7. (x) *Ibid.* §. 10. (y) *Ibid.* §. 11. (z) *Ibid.* §. 12. & 21. (aa) *d.* §. 12.

(bb) *d.* §. 12. & 21. (cc) *Ibid* §. 34. (dd) *Ibid* §. 35. (ee) *Ibid.* §. 37. (ff) *Ibid.* §. 38. (gg) *Ibid.* §. 39.

tione, positis causis habilibus, extolli possint. (hh)

32. Porro, ubi omnino excluduntur, ut apud *Francos* fit, *consuetudine* potius quam lege certâ, ibi non modo agnati remotiores illas præcedunt, sed ne *feminæ* quidem, deficiente omni sanguinis linea, admittuntur, expressa prohibitione omnem tacitæ voluntatis excludente præsumptionem. (ii)

33. Quod ipsum in maribus, ortis è feminis, haud dubie statuendum; quia successio est ordo continuus, qui per saltum ferri nequit, obstante *regula*: ubi excludens te excluditur, multo magis tu excluderis. (kk)

34. Jam de *naturalibus spuriisque* liberis nemo dubitat, quin æque ab institutivâ quam ab hereditariâ successione penitus arceantur. *Alimentorum* quæstio à Jure Publico aliena est. (ll)

35. *Adoptivos* in patrimonialibus sola defuncti Regis voluntate, sat ipso actu declarata, vocari diximus, quæ cum in voluntariis regnis cesset, nullum in his locum dari adoptatis manifestum est. (mm)

36. Denique, non est quod moneatur, Regibus in hujusmodi Imperiis non esse jus faciendi *testamenti*, quo successionis ordo mutetur, ut jam expositum est, ac ultro liquet. (nn)

37. Porro, si principem, cui successio debetur, infantem, aut furiosum esse contingat, palam est, *tutorem* ei esse dandum. (oo)

38. Qui cum habeat facultatem juris, quod Regi competit, neque sit qui acta ejus infirmare queat, *summam* quoque *potestatem* habere dicendus est, sed *exercitio* tantum, proprietate penes pupillum manente. *Grotius lib.* 1. *c.* 3. *n.* 15. (pp)

39. Deferre tutelam nemo alius, quam is cujus *primævum jus* fuit imperandi potest; quippe cum præsens Rex nullum habeat animi judicium, nec defunctus habuerit potestatem faciendi quicquam in tempus, post mortem suam. (qq)

40. Voluntas *populi* aut per legem fundamentalem, aut hac deficiente, per expressam declarationem significatur. (rr)

41. Ex his liquet, *jura privata*, quæ cuique patrifamilias jus libere disponendi super pecunia tutelave rei suæ largiuntur, *l.* 120. *π. d. V. S.*

(hh) *Ibid.* §. 40. (ii) *Ibid.* §. 43. (kk) *Ibid.* §. 44. (ll) *Ibid.* §. 47. (mm) *Ibid.* §. 48.

(nn) *Ibid.* §. 49. & *sub.* § 17. (oo) *d. lib.* I. *Sect.* VII. *cap.* VIII. §. 1. (pp) *d. l.* §. 2. (qq) *d. l.* §. 3. (rr) *d. l.* §. 7.

ff. d. V. S. ad Jus Publicum Civitatis non esse producenda. (ss)

42. Nihilo magis *jura intestati*, legitimasque successionum devolutiones, de patrimoniis, vel de feudis privatis constitutas, sine magno errore ad Summa Imperia transferri. (tt)

43. Non pertinere ad Imperia, hæc, similiaque statuta, vel uno clarum est argumento, quod ab *summâ potestate* proficiscantur, ut subjectos ad parendum, non ut ipsos obligent Imperantes (vv)

(ss) *d. l.* §. 14. (tt) *d. l.* §. 17. (vv) *d. l.* §. 19.

CAP. XXI.

De Jure Aristocratico.

IMperium, quod à pluribus tenetur, est vel *Aristocraticum*, vel *Democraticum*. (a)

2. Aristocratia, cum summa potestas est penes Optimates, hoc est, minorem & eminentiorem populi partem. (b)

3. Democratia, quando *jus summum* Imperii â populo non transfertur, sed ab eo retinetur in summâ; *administratio* tantum per Magistratus exercetur, magis aut minus, ad instar Aristocratiæ. (c)

4. *Numeri* Imperantium in hac formâ civitatis magna est latitudo, ut definiri nullo modo possit, nisi quod subjectam civium partem longe oporteat esse majorem. (d)

5. Fatendum interim, quò major est Imperantium numerus, eô propius ad *Democratiæ* similitudinem accedi, ut forte plus inter quasdam Aristocratias, quam inter aliqua Optimatium, & popularia intersit Imperia. (e)

6. Potest fere ut regnum, dividi *Aristocratia* in Successoriam & Electivam; plerumque quod ad singulas attinet personas, non etiam universos; aliquando tamen

H ad

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. lib.* I. *Sect.* VIII. *cap.* I. §. 1. (b) *Ibid.* §. 2. (c) *Ibid.* §. 3.

(d) *Ibid.* §. 4. (e) *Ibid.* §. 9.

ad universos quoque, ut in *Frisia* universi quotannis mutantur. (f)

7. *Successiva*, ubi dignitas Optimatium est hereditaria, ut summa Reipubl. concilia nulli quam è certis familiis nato ingredi liceat, quod *Poloni*, *Veneti*, aliique servant. (g)

8. *Electiva*, quando in locum dificientium alii ex eminentioribus civitatis per suffragia surrogantur, ut in *Belgis* obtinet. (h)

9. *Electio Aristocratica* dupliciter habetur, aut enim ipsi Optimates jus habent loca deficientia suo arbitratu, ut fit in *Hollandiâ*, supplendi, aut populus totus, ejusve Præcipui novos, identidem senatores eligunt, ut heic in *Frisiâ*. (i)

10. Illam sunt qui *Aristocratiam veram*, hanc qui in se spectatam volunt esse *Democratiam*; modum duntaxat administrandi Aristocraticum videri. (k)

11. Sed arbitror, distinguendum esse juxta principium toties positum, utrum *acta* electorum procerum à populo dependeant, ab eoque infirmari possint, an omnino sint rata. (l)

12. Si acta gesta illorum, rationibus reddendis, abolitioni, aut animadversioni subjecta sunt, concedemus, fundamentum imperii esse *Democraticum*. (m)

13. Verum si plena & irrevocabilis potestas illis tribuatur, nulla ratio est, electionem populi magis impedire *Aristocratiæ* appellationem, quam *Monarchiæ*, ubi multitudo eligit Regem, siquidem utrobique eligentes omni potestate se ipsos abdicarunt. (n)

14. Hæc distinctio firmior videtur, quam quâ alii utuntur, inter potestatem Optimatium *temporariam* & *perpetuam*. (o)

15. Si *temporaria*, volunt proprietatem Imperii manere penes populum, nihil vero quam usum & exercitium esse penes illos ad tempus Optimates. (p)

16. Nos hujus doctrinæ nullum agnoscimus effectum, quia rerum civilium natura ab *effectis* æstimatur, quæ à tempore non recipiunt diversitatem; sed qui facere possunt idem, alius ad tempus, alius in perpetuum, illis idem *juris* oportet adscribi. (q)

17. Cæterum, si quis illud jus, quo Imperium ad populum reverti debet, *proprietatem* velit appellare, ut in jure quandoque, matrimonio adhuc consistente, domi-

(f) *Ibid.* §. 11. (g) *Ibid* §. 12. (h) *Ibid.* §. 13. (i) *Ibid.* §. 17. (k) *Ibid.* §. 18. (l) *Ibid.* §. 19.

(m) *Ibid.* §. 20. (n) *Ibid* §. 21. (o) *Ibid.* §. 22. (p) *Ibid.* §. 23. (q) *Ibid.* §. 27.

minium *dotis*, quod viri eſt, ad mulierem pertinere dicitur *l.* 30. *C. de jur. dot.* analogicè id quidem concedi poteſt. (r)

18. Sed *Imperium* accuratè loquendo ab jure, quod populus interim retinet, eſt diverſum, ut ex definitione ſummæ poteſtatis conſtat; ſicut in agro *Friſiæ*, ubi jus ſummum competit dominis veterum prædiorum. (s)

19. Ab his autem *quotannis* creantur Optimates LXXXII plenæ poteſtatis, quibus datur jus *intrà annum vertendum* faciendi quicquid è Republicâ videbitur, nullâ re excepta, niſi, ut Leges Reipubl. fundamentales ſerventur, & paucis quibusdam aliis capitibus ſpecialiter expreſſis. (t)

20. Clarum & certum eſt, ejusmodi annuos Imperantes æque habere ſummam poteſtatem in ſuo tempore, quam *Rex Galliarum* habeat; non obſtante, quod eligùntur, quod delegantur, quod annui ſunt; & quæ præterea pridem oſtendimus ſummæ poteſtati non adverſari. (v)

21. Ideoque delegantes interim æque jure ſummæ poteſtatis oportet careant, quam populos *Gallorum* eo carere palam eſt. (x)

22. Niſi, quod leges fundamentales heic, in *Friſiâ* inquam, præſcribantur, quas tamen non tollere ſummitatem Imperii, ita ſimpliciter exceptas diximus etiam *ſuprà*. (y)

23. Cauſa, per quam poſſeſſores immobilium hoc jus ſunt adepti, quoties de jure belli, aliove involuntario non conſtat, proximè à voluntate populi repetenda videtur, ſaltem tacita, ubi â tempore immemoriali hoc jus conſtanter, adeoque per *præſcriptionem*, exercitum eſt. (z)

24. Hinc res ipſa loqui videtur, illam ſpeciem juris imperandi eſſe *patrimonialem Ariſtocraticam*, quia omnes & ſinguli, at pars longè minor populi jus hoc habent in patrimonio, pari ſcilicet jure, quo prædia habentur. (aa)

25. Ita ut teſtamento, & ab inteſtato, nec minus inter vivos, unà cum prædiis tranferri poſſit, omnique die transferatur. (bb)

26. Cave autem putes, ex eo, quod hoc genus Imperii diximus eſſe *patrimoniale*, ſequi, dominos prædiorum uti poſſe jure deſpotico, ſive herili, adverſus reliquos Civitatis conſortes, ex illo jure patrimoniali; tametſi facilis

 harum

(r) *Ibid.* §. 33. (s) *Ibid* §. 34 (t) *Ibid* §. 37 (v) *d. lib.* I. *Sect.* VIII. *cap.* II. §. 4. (x) *Ibid.* §. 5.

(y) *Ibid.* §. 6. (z) *d. lib.* I. *Sect.* VIII. *cap.* III. §. 4. (aa) *Ibid.* §. 9. (bb) *ibid.* § 10.

harum rerum sit conjunctio, patrimonialis, inquam, & herilis Imperii. (cc)

27. Dantur enim patrimonialia Imperia, quæ *civilia* tamen sint, hoc est, in quibus libertas, & bonorum proprietas, singulis salva maneant. (dd)

28. Sicut & Imperia quædam *liberè voluntaria*, patrimonialia fieri possunt, si populus ita expresse constituat, vel immemorali temporis usu ita obtinuerit, quemadmodum apud nos haud dubie invaluit. (ee)

29. Sec hoc nullo modo consequitur; populus voluit jus imperandi esse in plena *proprietate* Regnantium; ergo & libertate suorum corporum, dominioque rerum, semet ipsos privare voluerunt. (ff)

(cc) *Ibid.* §. 18. (dd) *Ibid.* §. 19.

(ee) *Ibid.* §. 20. (ff) *Ibid* §. 21.

CAP. XXII.

De Democratiâ.

QUæ ultimo loco à Politicis collocatur DEMOCRATIA superest; quæ est, uti vox indicat, τὸ τοῦ δήμου κράτος; *populi Imperium*, ut Aristocratia ἀρίστων, optimatium potestas; populus autem universos cives, aut partem saltem maximam significat. (a)

2. Sed *distingui* potest, quod ad modum administrandi, Democratia in resolutam, vel restrictam. (b)

3. *Resolutam* dicimus, quando universus populus ad concionem vocatus omnia summæ potestatis jura, saltem majora, secundum plurium sententias exercet atque disponit, ut *Athenis* in Ecclesiis, *Romæ* in Comitiis. (c)

4. *Restricta* democratia hoc solo ab altera differt, quod rarius convocetur populus, & plura senatui ac magistratibus committantur, cujusmodi nunc fere sunt, quæ habentur, populares civitates per *Germaniam*, ac alibi. (d)

5. At in *Belgis* nullam cognovimus *Democratiam*, nisi quod municipales quædam urbes, membra majorum Provinciarum, regimen suum

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* I. *Sect.* VIII. *cap.* IV. §. 1. (b) *d. l.* §. 10.

(c) *d. l.* §. 11. (d) *d. l.* §. 15.

ſuum ad inſtar democratici exercere videntur. (e)

6. Explicitæ ſunt tres formæ Rerumpublicarum. Multi *quartam* ſpeciem inculcant, quam appellant Mixtam. (f)

7. At nos in ea ſummus ſententiâ, Reſpublicas proprie, id eſt, ex diverſis formis *mixtas*, nec eſſe, nec unquam fuiſſe, neque civiliter dari poſſe. (g)

8. Tali utique miſturâ, qualem Politici aliqui deſcribunt, *ut jura ſummæ poteſtatis quædam Regi, quædam paucis, quædam omnibus ſeorſim adtribuantur*, ſunt verba *Arniſæi, Syſtem. Polit. cap. 6. ſect. 1. n.* 38. 39. (h)

9. Adhuc exſpectamus, dum talis Reſpubl. plures habens Reipubl. formas *ſpecie diverſas* ex omni ſeculorum memoriâ monſtretur, quæ extiterit, vel ætatem ferre potuerit. (i)

10. Quod ſi mixturam dicere velis, quam illi negant eſſe, *ubi plures ordines jura quædam pariter exercent*, non eſt dubium, quin ea ſpecies & eſſe poſſit, & paſſim reperiatur. (k)

11. Ratione quoque adminiſtrationis multifariam *miſceri* civitates, ejusque rei ſpeciem pleris-que impoſuiſſe, ut Spartæ, Romæ, ac alibi, propriè mixtas fuiſſe Reſpubl. putarent, pro certo habemus. *Dixi lib. 1. Digreſſ. cap.* 3. (l)

12. Sed nec rarum, ut diverſæ urbes regionesque diversâ utentes *formâ regiminis* in unam coëant civitatem, eadem retenta diverſitate regiminum, nec ideo tamen mixturam faciant, quia ſumma Imperii, non ſingulæ partes conſiderandæ ſunt, ut in *Friſiâ* aliquæ civitates democraticè, rurſus aliquæ reguntur more Optimatium, ſumma tamen regiminis Ariſtocratica eſt. (m)

13. Fit etiam, ut plures populi ſub diverſis regimentis non planè in unam civitatem, ſed in *fœdus arctum* conveniant, quædam tamen jura communiter exerceant, ſub uno Principe fœderis, ſicut aliàs diximus. (n)

14. Cujusmodi & hodiernam *Imperii Germanici* conſtitutionem eſſe non poterit negare, qui conſideret, omnia Majeſtatis jura, plenamque παμβασιλειαν, à Germanis Principibus in ſuos Populos, nec minus in exteros jura belli & pacis, liberè citraque veniam Imperatoris exerceri. (o)

 CAP.

(e) *d. l.* §. 16. (f) *d. lib. 1. Sect.* VIII. *cap* IV. §. 1. (g) *d. l.* §. 2. (h) *d. l.* §. 3. (i) *d. l.* §. 4. (k) *d. l.* §. 7. & 14.

(l) *d. l.* §. 16 (m) *d. l.* §. 17. (n) *d. l.* §. 18. (o) *d. l.* §. 19.

CAP. XXIII.

De Tyrannide & Jure Civium resistendi Imperantibus

Dicamus & de TYRANNIDE, quae post omnes Reipublicæ species & jura sequi debet; cum sit corruptio Reipubl. cujuslibet rectæ. Sed accuratius videndum. Usus hujus vocis *strictè* de Monarchiis, *latius* & à nobis de quavis Republ. usurpatur. (a)

2. Est verò duplex, alia *titulo*, alia in *exercitio* quæ dicitur; nisi & *mixtam* dicere velis, titulo simul & exercitio. (b)

3. Primam *Pisistratismum*, alteram *Phalarismum*, tertiam *Neronismum*, à celeberrimis singulorum exemplorum auctoribus appellare licet. (c)

4. *Tyranni* titulo (aliter invasores, & *Usurpatores*) dicuntur, qui Imperium civitatis nullo jure tenent, seu singuli, sive plures, ut Romæ *Decemviri*, post Leges XII. latas, Athenis aliquando *Quadringenti* viri. (d)

5. Nullo autem jure videntur Imperium habere, qui id *invitis iis*, quorum est verum jus imperandi, tenent; sive is populus, sive Optimates, aut unus sit. (e)

6. In *Invasoribus* mores non distinguuntur, adeoque juris ratio est eadem, seu Pisistratus, qui nulli injuriam fecit, seu Phalaris civitati incumbat, adeoque clementissimus & humanissimus invasor æquè *tyrannus* est, quam qui cædibus & rapinis grassatur. (f)

7. De Tyrannide in *exercitio* tantum, locus aliquanto difficilior est. (g)

8. Aristoteles describit *Tyrannidem*, quod sit Μοναρχία ἀνυπεύθυνος, πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῆς συμφέρον, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὸ τῶν ἀρχομένων. *Unius Imperium, quod ad suam ipsius, non ad subjectorum utilitatem in invitos exercetur;* quod est oppositum veri Regis officio, qui civium causâ, sicut omnis potestas, constitutus est, *lib. 4. polit. cap. 10. sub. fin.* (h)

9. Erit igitur Tyrannus Aristotelicus, qui omnia dirigit ad propriam

(a) *Auctor in Op. Mai. lib. I. Sect.* IX. *cap* I §. 1 (b) *Ibid.* §. 6. (c) *Ibid.* §. 7. (d) *Ibid.* §. 8. (e) *Ibid.* §. 15. (f) *Ibid.* §. 29. (g) *d. lib.* I. *Sect.* IX. *cap.* II. §. 1. (h) *Ibid.* §. 3.

priam utilitatem, populi vero commoda penitus negligit; cujusmodi *Neronis* institutum erat, cum Præfecto inculcaret: *hoc agamus, ne quisquam quicquam habeat*, ut *Suetonius* narrat, *vit. Ner. cap.* 32. (i)

10. Multo magis, si quis exitium populi totius quærat; modo sanus homo illuc insaniæ venire possit, ut serio velit, quod *Caligula* optabat, universus populus ut unam cervicem haberet, quam unico ictu præcidere posset, apud eundem *Suetonium*, *in vit. Calig. cap.* 30. (k)

11. Verum hæc *definitio* non convenit, nisi hypothesi Summæ Potestatis simpliciter delatæ: opus est descriptione generali, quæ omnis generis Imperio, tam limitato, quam absoluto, plurium, & unius Potestati congruat. (l)

12. Igitur pro nostro instituto *Tyrannum exercitio* vocamus, qui terminos summæ potestatis sibi jure delatæ notorie & præfracte egreditur. (m)

13. Ex his jam sponte sequitur, quid sint Tyranni *exercitio tituloque* simul, scilicet, qui, cum nullum jus imperandi habeant, tamen Imperium, quod usurpant, impotenter acerbeque tractant. (n)

14. Porrò, sicut unus actus non facit habitum, nec una hirundo ver adfert, ita nec quilibet actus Imperantium notam tyrannidis imponit; sed opus est *crebris actibus*, iisque indubitatis & violentis, ut Imperantes pro Tyrannis haberi possint; hoc est, quod in definitione collocatum est, *notoriè* atque *præfractè*. (o)

15. Acta, quæ fiunt contra jus Imperantibus delatum, *nulla ipso jure* sunt, verum an singulis è populo jus illud resistendi puniendique competat, videndum. (p)

16. Id ut periculosum, ita nec juridicum videtur, sed utrumque jus illud erit penes eos, quibus *summi* vis *imperii* competit. (q)

17. Proinde ubi jus summum est penes senatum, aut populi concilium, atque hoc præsens & sui potens, *acta* ejusmodi principis, aliorumve parem vim habentium, tacitè adspicit, pro consentiente haberi debet; unde quod illegitimum erat, hoc modo legitimatur, & obligat subjectos. (r)

18. Ex quo liquet, concilium illud, si potestate suâ velit uti, jus habere non modo *cohibendi*, sed & *coërcendi* illos, qui principale regi-

(i) *Ibid.* §. 7. (k) *Ibid.* §. 8. (l) *Ibid.* §. 10. (m) *Ibid.* §. 11.

(n) *Ibid.* §. 15. (o) *Ibid.* § 19. (p) *d. lib. Sect.* IX. *cap* III. §. 2. (q) *Ibid.* §. 6. (r) *Ibid.* §. 7. & 8.

regimen in absolutum convertere satagunt. (s)

19. Qui tamen, si id pertendant, neque ab hoc in ordinem redigi possint, idque *notorium* sit, jam nihil hærendum, quin singulis è populo resistendi facultas jure competat; nisi servire quam pugnare malint. (t)

20. Idemque juris est, si Rex summam quidem, sed *integram* non habeat potestatem, verum quasdam Imperii partes una cum senatu, aut popularibus delegatis, exercere debeat, idque facere adspernetur. (v)

21. Idem est, si in *delatione* Imperii sit dictum, ut certo eventu Regi resisti possit. (x)

22. Et hæc quidem, ubi jura Majestatis *non* omnia *absolute* sunt penes Imperantes. (y)

23 Imperio autem *simpliciter* delato consentaneum est, nullam resistendi facultatem subjectis dari, nec ob publicas, neque privatas ob causas. (z)

24. Infinitatem tamen *Hobbesianam* sana ratio aversatur, quâ de re superius copiosè disputatum est, *cap. IX.* (aa)

25. *Barclajus* ipse, disputans contra Monarchomachos, concedit, si Rex verè hostilii animo in totius populi exitium feratur, quod non modo resisti illi queat, sed & regnum amittat, *lib.* 3. *advers. Monarcham. cap.* 8. *&* *lib.* 6. *cap.* 23. *&* 24. (bb)

26 Largitur & resistendi facultatem *Barclajus* populo toti, vel insigni ejus parti, adversus sævitiam regis immanem. (cc)

27. *Grotius* vero vix aut nihil alioqui cedens *Barclajo* in patrocinio Regum, idem singulis civibus ad vitæ suæ tutelam concedit, utique jure naturæ, & veteri divino, haud perinde Euangelico, *d. cap.* 4. §. 7. (dd)

28. Mihi non abs re videtur dicendum, aliud juris esse, cum Rex *ordine legitimo* ad disceptationem juris factique civem vocat innocentem & damnat: aliud, cum sine medio illum injustè opprimere & occidere parat, quomodo *Saul* Davidem apud lares transfigere conatus, dein more latronis persequi non destitit (ee)

29. Sed *judiciali ordini* vim opponendam non esse, licet Potestates eâ abutantur, parum abest, quin primitivo fœdere civitatis constitutum videatur. (ff)

30. Quia præviderunt populi, hoc

(s) *Ibid.* §. 9. (t) *Ibid.* §. 11. (v) *Ibid.* §. 13. (x) *Ibid.* §. 18. (y) *Ibid.* §. 25. (z) *Ibid.* §. 26. (aa) *Ibid.* §. 27.

(bb) *Ibid.* §. 29. (cc) *Ibid.* §. 31. (dd) *Ibid.* §. 32. (ee) *Ibid.* §. 34. (ff) *Ibid.* §. 35.

hoc concesso, nunquam prætextus turbandi judicia defuturos. (gg)

31. Verum nulla tamen adeo valida obligatio est, quæ quenquam ad mortis sine ulla ratione patientiam obstringat, ut ipsemet *Hobbes* quoque fatetur. (hh)

32. Quare nec *David* adhuc privatus non dubitavit se componere ad resistendum, etsi Saul jus absoluti Imperii in suos, ut omnes Orientis Reges, obtineret. (ii)

33. Idemque de *Machabæis*, qui Antiocho, ut Alexandri Magni successori, absolutoque Imperatori serviebant, ut videtur, existimandum est. (kk)

34. Unde, cur idem *Christianis* contra immanem sævitiam non liceat, veluti *Gallis*, postquam ex laniena Lutetianâ aliisque constiterat, hoc agi, ut omnes Reformati jugularentur, difficile dictu est. (ll)

35. Esse enimvero *laude* & admiratione dignos, qui malunt injuriam & mortem pati, quam armis oppositis sanguinem fundere, non est negandum. (mm)

36. Quomodo veterum Christianorum miro & heroico certamine ad *martyrii* gloriam festinantium exempla videntur accipienda. (nn)

37. Ideo tamen eos omnes indiscretè damnare, qui ultimo *necessitatis* præsidio renunciare noluerunt, prædurum videtur. (oo)

38. Maximè, si hoc temperamento sint usi, ut *personæ* ejus, qui summam haberet potestatem, parcerent, quod & David sedulo fecit, & juris ratio faciendum dictat. (pp)

39. Præterea doctrinam Aristotelis huc applicandam putamus, quâ *Tyrannidem* ille definivit, ita ut à nobis expositum est; secundum quæ, si quis Rex id agat, ut omnia dirigat ad libidinem utilitatemque suam solius, idque multiplici experientiâ palam fit; omnibusque tentatis remediis, nulla spes supersit emendationis, & Rempublicam pessum ire sit indubitatum, nihil in eâ sententia videmus iniqui aut absurdi, quæ *resistendi* facultatem tribuit subjectis. (qq)

40. Regni tamen abrogandi potestatem non aliter populo adscribere licet, quam si princeps *hostilem animum* induat; alioqui sufficit, si curet Rempublicam ita administrari, ne communis boni

(gg) *Ibid.* §. 37. (hh) *Ibid.* § 40. (ii) *Ibid.* §. 41. (kk) *Ibid.* §. 42. (ll) *Ibid.* §. 43. (mm) *Ibid.* §. 47. *a.*

(nn) *Ibid.* §. 47. *b.* (oo) *Ibid.* §. 48. (pp) *Ibid.* §. 49. (qq) *Ibid.* §. 52.

ratio præ commodo unius abjiciatur; eodem fere modo, quo agitur cum furiosis atque prodigis. (rr)

(rr) *inf. cap.* xxv. §. 9.

CAP. XXIV.

De Contractibus Summarum Potestatum.

VIdendum paucis, quid de illis *Conventionibus*, quibus non defertur Imperium, sed quæ postea contrahuntur, sit habendum. (a)

2. *Jure Naturali Gentiumque* Regnantes obligari satis est clarum, at civili vinculo contractus summarum potestatum per se nunquam obstringuntur, seu cum subditis imperio, sive cum exteris ineantur. (b)

3. *Per se*, inquam; nam ex naturâ negotii & circumstantiis præsumptio nasci potest, quod secundum jus civile, quod est in loco, partes agere voluerint. (c)

4. Quod de *privatis* Regnantium *conventionibus*, ut emptiones, venditiones, locationes, conductiones, stipulationes, transactiones similesque, omnio statuendum. (d)

5. Quoniam tales actus non à Rege *qua Rege*, sed quasi ab alio quovis instituuntur, adeoque, ut est membrum communitatis; quod & ipsius utilitas postulat, quia nemo alioqui cum principibus contrahere vellet. (e)

6. Etsi vero leges heic obligationem actionemque adversus summas potestates producant, *coactio* tamen sequi non potest adversus eos, quatenus, à quo cogantur, nemo existit, nisi quod exteris belli jus comparatum sit. (f)

7. Hoc ut evitent, simul & æquitas ac utilitas impulit Principes, ut tam à subditis quam ab reliquis conveniri se apud *certos judices* patiantur, cum alioquin ipsi in suâ causâ judices esse possent. (g)

8. Quia tamen hæc fiunt *submissione*, non ex amissione Summæ

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* I. *Sect.* IX. *cap.* V. §. 2. (b) *d. l.* §. 3. (c) *d.* §. 7. (d) *d. l.* §. 8. (e) *d. l.* §. 9. (f) *d. l.* §. 14. (g) *d. l.* §. 15.

mæ Potestatis, sciendum est, Imperantes, sicut reliqua suis subjectis, sic etiam ea quorum ipsi debitores sunt, adimere posse (h)

9. Primo in *pœnam* admissi, publicatione omnium vel partis bonorum factâ, vel etiam illius specialiter. (i)

10. Denique ex probabili causâ *dominii eminentis*, modo ejus prætextu non tegantur iniquitates & calumniæ. (k)

11. Paulo diversa est ratio conventionum de rebus ad *summam potestatem* pertinentibus initarum, quas Reges non ut membra, sed ut capita civitatis, aut ut civitates ipsæ contrahunt. (l)

12. In his palam est, non habere locum *leges civiles*, quoniam illæ consistunt in imperando, cogendo, quod non cadit in summam potestatem; proinde nulla exinde quam ex præsumptione voluntatis oriri potest obligatio (m)

13. Nisi cum *toto populo* initus sit contractus, eâ mente, ut in legem abeat fundamentalem, quâ de re *suprà* diximus. (n)

14. Quod autem sponte & liberaliter per modum *Privilegii*, conceditur, id contrario privilegio tolli potest, uti lex lege contrariâ potest abrogari. (o)

15. In cæteris cum populo initis contractibus super rebus ad *majestatem* spectantibus, idem sine dubio juris est, quod modo de privatis negotiis per se consideratis tradidimus. (p)

16. Scil. ut *naturalis* inde nascatur *obligatio* eaque efficacissima, & jus perfectum populo acquiratur, ita ut contrà quam conventum est, Imperantes facere non possint. (q)

17. At si pactis stare nolint Imperantes, ratio *cogendi* illos nulla datur subjectis, nisi quatenus hi in societatem Imperii, saltem pro parte recepti sunt. (r)

18. Proinde, si Rex ἀνυπεύθυνος civilibus armis cum populo suo, vel ejus parte, colluctatus, pacem *certis pactionibus* iniverit, easque jurejurando firmaverit; tenetur quidem omni modo, gravissimeque perjurus est, ni stet conventis. (s)

19. Si tamen stare nolit, dabiturne ad *arma* regressus? Nulla quidem juris ratio id populo permittit, nisi in partem imperii recepto. (t)

20. Videamus de *successoribus*, quo-

(h) *d. l.* §. 18. (i) *d. l.* §. 19. (k) *d. l.* §. 20. (l) *d. l.* §. 26. (m) *d. l.* §. 27. (n) *d. l.* §. 37.

(o) *d. l.* §. 39. (p) *d. l.* §. 40. (q) *d. l.* §. 41. (r) *d. l.* §. 44. (s) *d. l.* §. 45. (t) *d. l.* §. 46.

quomodo hi ex contractibus teneantur. (v)

21. Notum est, *jure naturæ* haud minus quam civili, obligationem, quæ ex conventionibus est, transire ad heredes. (x)

22. Sed hoc ideo, quia qualitas heredis ex tacita vel expressâ defuncti voluntate deduci solet; *tacita*, cum successio ab intestato defertur; *expressa*, vi testamenti. (y)

23. Sed in *regnis voluntariis* successores non accipiunt suum jus ab eo, qui proxime decessit, verum à populo, qui voluntatem suam lege perpetuâ semel stabilivit. (z)

24. Nihilo secius dicendum, successores Regum etiam ex *contractibus* teneri, sed cum distinctione. (aa)

25. Rex enim habet & *patrimonium* peculiare & *regnum*, quæ post mortem diversa relinquit, tam ubi hereditaria, quam institutiva obtinet successio. (bb)

26. *Patrimonium* defertur ab intestato ad omnes in pari sanguinis gradu constitutos, qui proinde pariter defunctum repræsentant; ac ita omnes pro hereditariis partibus è privatis illius contractibus obligantur. (cc)

27. Sed obligationes, quæ propter *Rempublicam* initæ sunt, tenent omnino successorem, non ut heredem, sed ut caput civitatis, imo ut ipsam civitatem. (dd)

28. Limitant hoc tamen gravissimî scriptores, ut procedat, si acta Regum decessorum habeant *probabilem rationem*; non, si ratione careant probabili. (ee)

29. Nos intelligimus, si quid *turpe* aut manifestè *absurdum*, planeque stultum contraxerit Rex, aut deciderit, quod in ipsius potestate non erat; ut si partem regni alienaverit, id non esse propagandum ad successores. Verba autem *probabilis rationis* nimis laxa videntur. (ff)

30. Etenim Imperantes Supremi possunt omnia facere, quæ *Civitas* ipsa potest, si non egrediantur terminos potestatis sibi delatæ; & Civitas potest, quicquid dominus & quilibet arbiter rerum suarum, qui pro lubitu de rebus suis disponit, teneturque, tam si male quam si bene rem gesserit. (gg)

31. Plane quod à Summâ Potesta-

(v) *d. l.* §. 53. (x) *d. l.* §. 54. (y) *d. l.* §. 55. (z) *d. l.* §. 56. (aa) *d. l.* §. 58. (bb) *d. l.* §. 59.

(cc) *d. l.* §. 63. (dd) *d. l.* §. 65. (ee) *d. l.* §. 68. (ff) *d. l.* §. 70. & 71. (gg) *d. l.* §. 72.

testate populo imperatum, non haberet *vim* eos *obligandi*, id neque per contractum in obligationem deductum poterit obstringere cives; sed è contrà, quod *vim* adversus illos *parendi* haberet, id etiam valebit, ubi per conventionem alii jus inde comparatum fuerit. (hh)

(hh) *d. l.* § 73.

CAP. XXV.

Quibus modis Summa Potestas finitur.

ABsolutis quæ de juribus summæ potestatis suppetebant, non erit abs re *modos* percurrere, quibus *finiatur* Summa Potestas.(a)

2. Finitur autem, vel unà cum civitate tota; vel consistente reliquo corpore, sola extinguitur. De illo casu *postmodum* in loco agetur. (b)

3. *Primus* igitur, quo sola Majestas finitur modus est Mors, cunctarum ultima linea rerum.(c)

4. *Secundò*, finitur tempore, quod ab his, quorum est primævum jus imperandi, paucis vel uni præfigitur. (d)

5. *Tertio*, præscriptione, cujus & in tempore præcipua vis est, quando populi principesque diversi possessione immemoriali contrà se invicem utuntur. (e)

6. *Quarto*; finitur abdicatione, quando Rex Imperium deponit, sive reddit populo Rempubl. (f)

7. *Quintò*, si Rex Imperium pro derelicto habeat, vel reverà deserat atque destituat. (g)

8. *Septimo*, per feloniam amittitur feudale regnum, id est, per grave delictum vasalli adversus Dominum. (h)

9. *Octavo*, si Rex hostilem animum contra populum suum induat, idque palam liqueat, Imperium perdit. (i)

10. Denique, *nonò*, jure belli summa potestas auferri, quia victor in devictos jure Gentium, cujusmodi vult, Imperium adipiscitur. (k)

11. *Decimus* finiendæ Majestatis modus est unio cum aliâ majore

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* I. *sect.* IX. *cap.* VI. § 1. (b) *Ibid.* §. 5. (c) *Ibid.* §. 6. (d) *Ibid.* §. 8. (e) *Ibid.* §. 9.

(f) *Ibid.* §. 17. (g) *Ibid.* §. 22. (h) *Ibid.* §. 26. (i) *Ibid.* §. 27. (k) *Ibid.* §. 28.

jore civitate; quomodo in Gallia majores provinciæ, Normandia, Britannia, Aquitania, Delphinatus, Provincia, aliæque majeſtatem amiſerunt. (l)

12. Aliqui ſunt modi, de quibus *ambigi* poteſt, tollant an non tollant ſummam poteſtatem? (m)

13. De *captivitate* primum, quæ eſt mors civilis; Reſp. exercitium amittitur, jus ipſum retinetur, ſicut in Gallia Rege *Johanne* atque *Franciſco* captis, accidit. (n)

14. *Alienatione*, aut *ſubjectione* regni, in alium, aut ſub alio factâ à Rege, jus Majeſtatis amitti tradit Barclajus *l. 4. c. 16. contr. Monarchom.* à Grotio reprehenſus; eò quod talis actus ſit ipſo jure nullus, cujus proinde nullus eſſe queat effectus, niſi ut populus alienationem vel ſubjectionem Regi executuro vi reſiſtat., ut Angli adverſus Johannem, qui ſe Pontifici vaſallum addixerat, fecerunt. *Grotius lib. 1. cap. 4. §. 10.* (o)

15. Poteſt etiam quæri, an per *negligentiam* Rex cadat Imperio, ut Franci in ultimis Merovingiorum ſervarunt. De jure non videtur; ſed populum aut optimates Regi aliquos adjungere posſunt, qui pro conſervatione totius invigilent, haud tamen ultrà quam poſtulet neceſſitas. (p)

16. Idem juris eſt, ſi Rex incidat in *furorem*, ut Carolus VI. Galliæ. (q)

17. Sæpe quæſitum eſt, an quod Rex ante regnum initum *hoſtis regni* fuiſſet, hinc in Succeſſivo Imperio amittat jus Regni? quod non videtur, modo non maneat hoſtis, ubi regnum ipſi delatum fuerit. (r)

(l) *Ibid.* §. 29. (m) *Ibid.* §. 30. (n) *Ibid.* §. 32.

(o) *Ibid.* §. 31. (p) *Ibid.* §. 38. (q) *Ibid.* §. 39. (r) *Ibid.* §. 40.

SECT.

SECT. II. CAP. I.

De Familiâ, & Matrimonio.

Cum *duabus* omnino *partibus* constet Civitas, Imperantibus atque Parentibus sive subjectis; absoluto Imperio, res jubet, ut de his qui *subjecti* sunt, loquamur, qui in definitione civitatis monstrantur, familiæ. (a)

2. Familia, est *Cœtus plurium personarum, quæ sub unius potestate, natura aut jure, usus quotidiani causa, sociatæ sunt.* (b)

3. Personæ *jure* sociatæ sunt conjuges & servi; *naturâ*, liberi, ex quibus familia componitur. (c)

4. Perfecta igitur familia constat triplici conjunctione Patrisfamilias, cum *uxore*, cum *liberis*, cum *servis.* (d)

5. Sunt tria paria, sed *quatuor personæ*, cum minimum; quia Dominus, Vir, Pater, sunt unus Pater-familias: liberi possunt esse plures; est etiam ubi uxores plures in unitate familiæ sunt; deficiente ex his uno, fit *imperfecta* familia, magis aut minus, prout deficiens membrum magis aut minus est necessarium. (e)

6. Aristoteles Imperium Patrisfamilias triplex esse tradit, in *lib.* 1. *Polit. cap.* 8. δεσποτικὸν, βασιλικὸν, πολιτικόν. Illud in *servos*, istud in *liberos*, hoc in *uxorem* competens. (f)

7. Pater-familias est *Princeps familiæ & in domo dominium habet, l.* 196. π *de Verb. signif.* juxta Homericum illud Aristoteli laudatum, Θεμιστεύει ἕκαστος Παίδων ἠδ' ἀλόχων. *Jus quisque dicit liberis, & conjugibus.* (g)

8. Etiam verò *servis*; at his quidem heriliter & duriter; *liberis* regie, id est, absolutè quidem, at cum pietate, non cum atrocitate; *uxori* cum multâ æqualitatis observatione; sicut Magistratus agunt in Republicâ liberâ cum civibus, hoc enim est πολιτικῶς. (h)

9. Prima conjunctio, quæ consti-

(a) Auctor in *Op. Maj. lib.* II. *Sect.* I. *cap* I. §. 4. (b) *Ibid. cap.* II. §. 4. (c) *Ibid.* §. 13. (d) *ibid.* §. 16. (e) *Ibid.* §. 18. (f) *Ibid.* §. 21. (g) *Ibid.* §. 22. (h) *Ibid.* §. 23.

stituit familiam, fit per *matrimonium*, quod est, *viri ac mulieris conjunctio*, *individuam vitæ consuetudinem continens*, §. 1. *Inst. de Patr. Pot.* (i)

10. *Consensu* perfici matrimonium ratiò dictat, corporum conjunctio illud implet; mos tamen populorum fert, ut solum consensum *sponsalia* vocent; *sponsos*, qui tantum contraxerunt, quâ de re latè diximus in *lib.* 2. *Digression cap.* 8. 9. (k)

11. Sed & meritò plerisque placuit gentibus, ut *publico ritu* matrimonium celebretur, veluti deductionis in domum, similique; Christianis verò, in cœtu publico fidelium; præviâ publicatione sponsaliorum, si forte aliorum intersit. (l)

12. Horum tamen rituum neglectus *nullitatem actus* matrimonio inferre non potest, nisi vi legis expressæ, quoniam individua consuetudo sine hoc ritu consistit, & multis gentibus istæ cerimoniæ inusitatæ fuerunt, (m)

13. Etiam lege vel pacto opus est, ut *bonorum communio* inter conjuges statuatur; nisi quatenus ad sustentandum vitæ consortium requiritur. (n)

14. Mores gentium hac parte variant: *Romani* nullam bonorum communionem inter conjuges habebant; quædam nationes hodiernæ universam confusionem probant, eamque laudat Martialis *lib.* 4. *epigramm.* 74. *de Nigrinâ.*

Te patrios miscere juvat cum conjuge census,
Gaudentem socio participique viro. (o)

15. Placet tamen, ut in omnibus, ita heic quoque *medium*; ideoque optimæ videntur eorum populorum leges, quæ ad *quæstum* & *dispendia* restringunt societatem; nam quæ ad substantiam rerum eam producunt, matrimonia quasi captatoria reddunt. (p)

16. Cæterum, jure societatis, & secundum primam naturæ simplicitatem, familiæ Imperium *feminæ* pariter *cum viro* debebatur, ut probavimus *lib.* 2. *Digress. cap.* 3. (q)

17. Sed quia æqualitas parit rixas, ἡ ἰσοτιμία μάχην ποιεῖ, *Chrysost. ad cap.* 4. *Ephes.* idcirco *viri* ob præstantiam sexus prævalet auctoritas, ordinis tamen magis quam subjectionis causâ, ex sententiâ *Aristotelis*, quam audivimus. (r)

18. Id-

(i) *Ibid. cap.* III. §. 1. & 3. (k) *Ibid.* §. 13. (l) *Ibid.* §. 18. (m) *Ibid.* §. 19. (n) *Ibid.* § 21.

(o) *Ibid.* §. 23. (p) *Ibid* § 24. (q) *Ibid. cap.* IV. §. 1. (r) *Ibid.* §. 2.

18. Idque notiſſimo *Jure Gentium*, monſtrante *naturali* ratione, nec minus jure *divino* in tantum invaluit, ut neque lex, neque pactum valeret in contrarium, quâ vir imperio in uxorem renunciaret. (s)

19. Sed quominus *civiles effectus*, ut de curâ bonorum, ſimilesque, tam conventione quam lege aliter ſe habeant, nihil obſtare videtur. (t)

20. *Individua conſuetudo* ſignificat arctiſſimum illud conſortium corporis, animorum, omnisque vitæ, quod natura, & mos Gentium non minus quam jus divinum conjugio ineſſe debere dictat. *vid. l. 1. π. de rit. nupt. Dixi in Digreſſ. Juſtinian. lib. 2. cap.* 10. *&* 11. (v)

21. *Multitudo uxorum* cum arctitudine illius conſortii, & individuo affectu, conſiſtere non poteſt, adeoque internæ conjugii naturæ adverſari videtur *polygamia*, ut latius oſtendi *d. lib.* 2. *Digreſſ. cap.* 16. (x)

22. *Solvitur* matrimonium *repudio* inter ſponſos, *divortio* inter conjunctos. Illud mutua partium gratia fieri poſſe videtur, nec non alterutro graves ob cauſas renunciante, *cap.* 5. *& cap.* 10. x. *de Sponſal. cap.* 25. x. *de Jurejur.* (y)

23. Hoc *partium conſenſu* nullo modo fit, quia non ut reliqui contractus mere conſenſuales contrario conſenſu ad ſtatum infecti redire poſſunt, ſic quoque ſtatus prior conjugum eodem modo poteſt *redintegrari*, quoniam arctiſſima illa conjunctio, per quam duo in unum coaluerunt, ita comparata eſt, ut non recipiat ſeparationem. (z)

24. Proinde ejusmodi oportet eſſe *cauſas*, quæ fœdus conjugale penitus deſtruant, quales *duæ* eſſe videntur: adulterium, & deſertio quæ fit cum animo non revertendi; malitioſam vocant. *Matth. cap.* 5. *v.* 32. *& cap.* 19. *v.* 9. *Ep.* 1. *ad Corinth. cap.* 7. *v.* 17. (aa)

25. Vinculum conjugii non modo a *muliere*, ſed etiam à *viro*, rem cum alia ſoluta habente dirumpitur, quia fides mutua jus in corpora utrique largitur idem, 1. *ad Corinth.* 7. *v.* 4. tametſi gravius vir, quam uxor ſuppoſitione partus lædatur. (bb)

26. Unde licet *diverſæ* delicti ſpecies, & nomina eſſe queant, atque *pœnæ*, ut multis viſum Legiſlatoribus; *l.* 6. §. 2. *π. ad. l. Jul. de adulter. Levit. cap.* 20. *v.* 10. *Deuteron.*

(s) *Ibid.* §. 3. (t) *Ibid.* §. 5. (v) *Ibid. cap.* III. §. 4. (x) *Ibid.* §. 8.

(y) *Ibid. cap.* IV. §. 19. (z) *Ibid.* §. 20. (aa) *Ibid.* §. 21. (bb) *Ibid.* §. 23.

teron. cap. 22. v. 22. tamen utraque species matrimonio sufficit dissolvendo, *d. cap.* 5. *&* 19. *Matth.*(cc)

27. Idem efficit *malitiosa* & obstinata *derelictio* tecti aut thori, quæ tollit peremptoriè omnem συνουσίαν & συνοικίαν, non minus naturaliter, quam jure divino.(dd)

28. Si aliter mores feminæ sint intolerabiles, non ultra quam *domo exigi* potest. Nec illa se alio modo sævitiæ viri opponere, aut luxuriæ suas res subducere potest; quanquam *Justinianus* Princeps religiosus, exemplo Mosaico, libellos divortii pro ultimâ discordantis matrimonii medela permittit, *Nov.* 140. (ee)

29. Diversæ à causis divortii sunt rationes *nullitatis*, ut est impotentia, (quæ tamen superveniens non rumpit conjugium) sanguinis propinquitas, quæque per leges plura in hanc rem statuta sunt. (ff)

30. Cæterum, quæ ratio mulieres imperio viri in familia subdit, eadem arcet eas à cunctis *muneribus* publicis, *l.* 2. *π. de R. I.* (gg)

31. Nempe ut viris *postponantur*, quod in promiscuis Reipubl. officiis, ubi nunquam viri desunt, fit semper, *d. l.* 2. *π. d. R. I.* (hh)

32. At in *Summis Imperiis* æque postponuntur maribus; his autem deficientibus in regnatrice familiâ, non est absurdum feminas, natasque ex illis admitti, ut *supra* dictum. (ii)

33. Plane in omni Republ. *marium* melior est conditio in his, quæ ad decus & dignitatem spectant; *feminarum* melior, quatenus imbecillitati subvenitur, quâ parte Justinianus & Theodora sexui largiter in suis legibus indulserunt. *Vide specimen in Nov.* 134. *c.* 9. 10. 11. (kk)

(cc) *Ibid.* §. 24. (dd) *Ibid.* §. 25. (ee) *Ibid.* §. 26. (ff) *Ibid.* §. 28.

(gg) *Ibid. cap.* I. §. 26. (hh) *Ibid. d. l.* (ii) *lib.* I. *Sect.* VII *cap.* II. §. 33. (kk) *lib.* II *Sect.* I. *cap.* I. §. 26.

CAP. II.

De Parentibus ac Liberis, Dominis & Servis.

A*ltera* in familia *societas* orta è priori inter parentes liberosque, ex justis nuptiis natos, intercedit. Nam qui absque matrimo-

trimonio suscipiuntur, non fiunt membra familiæ, quia deficit principium familiæ. (a)

2. Qui tamen è muliere, cum quâ conjugium esse posset, sunt nati, suppleto defectu, quo à familia removebantur, possunt cum illâ redintegrari. Scilicet, subsequente parentum connubio, aut sublato alterutro, per *Rescriptum* summæ potestatis. (b)

3. Sed differentia *Juris Romani* inter eos, qui domi è concubinis, & qui foris è furtivo amplexu nascuntur, non est *Juris Gentium*, quo sufficit patrem esse certum, ut liberi pro naturalibus & aptis ad legitimandum habeantur. (c)

4. Sed nati è *coitu nefario*, incestuoso, vel adulterino, non sunt in terminis habilibus, ut cum familia parentum unquam coalescant; quia vitium illis obstans nunquam potest tolli, & turpe videtur eo modo natos familiis aggregare. Quominus tamen Principes speciali *rescripto* jubeant eos in civitate, effectisque civilibus, haberi pro honestis, & quasi pro legitime natis, ratio non prohibet; idque fit passim. (d)

5. Sed quod ad eos attinet, qui ex nuptiis sine parentum consensu initis sunt nati, horum status per *ratihabitionem* avorum ad originalem integritatem reduci potest. (e)

6. Neutiquam tamen nefariæ proles *abjici*, alimentisque privari debent, quæ sententia Justiniano, *in Nov.* 89. *cap. ult.* nescio an merito, adscribitur; quamquam ut *inhonorati* in civitate degant, id juris ratio non abnuit, imò postulat. (f)

7. Denique, tædio orbitatis commentum *Adoptionis* repertum, & à multis gentibus usurpatum est, quo extranei in nomen & jus liberorum adsciscuntur. (g)

8. POTESTAS PARENTUM in liberos ejusmodi esse debet, quæ ad regimen familiæ sufficiat, & quidem ut par est in civitate, ubi major est potestas prædita gladio. (h)

9. Proinde *jus vitæ & necis*, quod olim Romæ habebant parentes, recte novis constitutionibus, aliarumque gentium moribus, in modicam coërcitionem est mutatum, *l. un. C. de Emend. prop. l.* 3. *C. part. pot.* (i)

10. Cum autem familiæ Imperium sit penes *virum*, sequi debuit, ut

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* II. *Sect.* I. *cap.* V. §. 1 (b) *d. l.* §. 6. (c) *d. l.* §. 7. (d) *d. l.* §. 8.

(e) *d. l.* §. 9. (f) *d. l.* §. 10. (g) *d. l.* §. 15. (h) *d. l.* §. 22. (i) *d. l.* §. 23.

ut poteſtas in liberos, quæ civiles validosque haberet effectus, *patri* ſoli permitteretur; honore interim & obſeqio pietatis matri æqualiter præſtando. (k)

11. Jura Patriæ poteſtatis tam ad *perſonas* liberorum, quam ad res & *bona* illorum pertinent. *Vid. Grotius lib. 2. cap. 5. §. 1. & ſeqq.* (l)

12. In *perſonalibus* id juris habet pater, ut quæcunque ad regimen familiæ ſpectant, in iis filius nihil ſine illius conſenſu poſſit, adeo ut pater acta ejus irrita facere queat (in *infantibus* res loquitur, nullam eſſe exceptionem.) (m)

13. In *cæteris* tenentur quidem liberi parentes revereri & obſervare, ſed facultas perfecta patri in illis competere non poteſt. (n)

14. Cujus generis videtur eſſe jure naturæ *Matrimonium*, quod non ad regimen familiæ, ſed ad ejus diſſolutionem ſpectat; præter quod gignendi facultas tam propria & cuique ſingularis eſſe videtur, ut imperio ſubjici non poſſit. (o)

15. Sed ratio ſumma honeſtatis & gratitudinis, communisque utilitatis, pleroſque Legiſlatores impulit, ut neceſſitatem vimque coactivam huic rei addiderint; adeo ut Divino, & Romano, aliisque juribus, excepto Canonico, invitis parentibus contractæ nuptiæ nullius momenti conſeantur, *pr. & §. 1. Inſt. de Nupt. Exod. cap. 22. v. 17. Deuteronom. cap. 7. v. 3. 1 Corinth. 7. v. 8. 9. can. ſufficiat; cauſ. 27. qu. 2. cap. cum. cauſa, 6. x. de Raptor.* (p)

16. Jam in cauſis ad *Rempublicam* pertinentibus, clarum eſt, ceſſare debere patriam poteſtatem, eaque eſt regula Juris Romani, Gentium juri conveniens, *l. 9. π. de his qui ſui vel al. jur.* (q)

17. Quæ præterea Jure præſertim Romano conſtituta ſunt, ea legum commenta ſuo loco non inutilia, ſed à jure univerſali aliena ſunt. *Dixi in Poſit. Jur. ad tit. I. de Patr. Pot.* (r)

18. *Solvitur patria poteſtas* Jure Gentium, non morte tantum, ſed & ademptione libertatis, & civitatis, aut emancipatione voluntaria; qui modi Jure Romano ſunt cogniti, *tit. Inſt. Quib. mod. ſolv. patr. pot.* (s)

19. Sed & *matrimonio*, ſeparataque habitatione, quia tunc ipſi liberi novam colunt familiam. Igitur *ætate* verius eſt non ſolvi poteſtatem Jure Gentium, contrà quam

(k) *d. l.* §. 27. (l) *d. l.* §. 32. (m) *d. l.* §. 33. (n) *d. l.* §. 34. (o) *d. l.* §. 35.

(p) *d. l.* §. 36. (q) *d. l.* §. 38. (r) *d. l.* §. 41. (s) *d. l.* §. 42.

quam nonnullis populis in usu est. (t)

20. Porrò per connubia *filiorum* [nam filiæ innubunt in alienas familias, unde & capita & fines familiarum dicuntur] propagatur familia, omnesque nominis & cognationis participes, ejusdem *familiæ* esse dicuntur, *l.* 195. §. *pen.* & *ult.* π. *de Verb. signif.* (v)

21. Quanquam *servi* per se membra Civitatis non sunt, tamen ad familiam sine dubio pertinent, atque ita sunt in Civitate. (x)

22. ICti SERVITUTEM esse docent, constitutionem juris gentium, quâ quis dominio alieno contrâ naturam subjicitur, §. 1. *Inst de jur. person.* (y)

23. *Multæ* servitutis justæ possunt esse *causæ*; veluti conventio, cum quis impos sui tuendi se dedit alii defendendum aut alendum, hac lege, ut in ejus potestate sit, & imperata faciat; quod Jure Romano & Mosaico permissum, §. 4. *Inst. de jur. person. Exod. cap.* 31. *v.* 6. (z)

24. *Secundò*, alimentorum, *l.* 2. *C. de infant. expos. Tertiò* jus belli, nam quos occidere honestum est, ut jure belli constat; eos servare ad serviendum non potest esse inhonestum neque injustum, *arg.* §. 3. *Inst. de jur. person.* (aa)

25. *Quarto* nativitate, quia pars sequitur jus totius, & quia fœtus à domino, tam ante quàm post nativitatem altus est. (bb)

26 *Denique*, propter delictum potest quis justè redigi in servitutem, ut hi qui in metallum, vel ad remos, aut ergastulum perpetuum damnantur. (cc)

27. *Duo* præcipue de servis quæruntur; *primum*, an & quâ ratione prohibitum illis sit, resistere Dominis? *dein*, an jure suo fugere possint? (dd)

28. Sane, quandiu capti bello non recipiuntur in gratiam, sed in *vinculis* habentur, palam est, nullum pactum expressum, vel tacitum, inter ipsum atque victorem intercedere. Proinde tum captis omnia, quæ in hostem, licere non est dubium. (ee)

29. Quod si bellum careat *solennibus Juris Gentium* requisitis, non fiunt capti, jure, servi; proinde nec ejusmodi tacita oritur obligatio, ut in his, qui piraticâ aut latrocinio barbarorum capiuntur. (ff)

 30. Cum

(t) *d. l.* §. 43. (v) *d. l.* §. 54. (x) *d. l. cap.* VI. §. 1. (y) *d. l.* §. 5. (z) *d. l.* §. 7.

(aa) *d l.* §. 8. & 9. (bb) *d l.* § 10. (cc) *d. l.* § 12. (dd) *d. l.* §. 13. (ee) *d. l.* §. 20, (ff) *d. l.* § 21.

30. Cum his qui ob delictum fiunt *servi pœnæ*, nullum initur pactum neque tacitum neque expressum: jus tamen resistendi non habent jure damnati; fugere quominus jure possint, nihil obstare videtur. Etenim hoc non aliter, quam vi pactionis expressæ committitur; longe enim potentius est recuperandæ libertatis desiderium, quam ut ei tacite renunciatum videri possit. (gg)

31. *Voluntaria* servitutis obligatio modum accipit ab expressâ vel tacita voluntate contrahentium. *Expressa* per se terminatur: *tacita* in qualibet civitate jus habet idem, quod publice de servis receptum est. (hh)

32. *Moribus hodiernis* utimur ingenuis, adeò ut qui servi ex Indiis, aut aliunde huc adducuntur, statim atque fines nostros attigerunt, ad libertatem proclamare possint, ut omnium fere gentium in Europâ scriptores, citati à Groenewegio *ad tit. Inst. de jur. person.* testantur. (ii)

33. Igitur *famuli famulæque* non aliter, quam ex sua conventione, secundum naturam rei, quæ agitur, idque ad tempus, sunt obligati. Natura autem negotii, ad quod se locaverunt, hæc est, ut diligenter imperata faciant, operamque sedulam dent iis rebus, ad quas se locârunt, ita sicut vir prudens definiverit, idque toto tempore quo suas operas addixerunt. (kk)

34. *Domini* vicissim debent ipsos omnia, de quibus inter eos convenit, victum & mercedem, omniaque humanitatis officia, quæ salvâ subordinatione status ipsorum civiliter præstari queant; nec ante tempus eos, nisi causâ cognitâ dimittere possunt; ni lex aut mos locorum aliter ferat, quæ admodum hac parte variant. (ll)

(gg) *d. l.* §. 22. (hh) *d. l.* §. 23.

(ii) *d. l.* §. 29. (kk) *d. l.* §. 30. (ll) *d. l.* §. 32.

CAP. III.

De Civibus, & Municipibus.

QUi domi sunt membra familiæ, hos in Republica *cives* appellamus. (a)

2. Definiemus CIVEM: quod sit *homo liber, qui juris fruendi, vitæque feli-*

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* II. *Sect.* II. *cap.* I. §. 1.

feliciter agendæ gratia, cum aliis sub eadem summa potestate sociatus est. (b)

3. Ita generaliter, ut Aristoteles *lib.* 2. *Polit. cap.* 1. Οἱ δὲ πολῖται, inquit, κοινωνοὶ τῆς μιᾶς πόλεως. *Cives sunt omnes ejusdem civitatis participes.* (c)

4. Ergo, pro *civibus* habemus, omnes tam mares quam feminas, filios & patres familiarum, tam nobiles quam plebejos, etiam Duces, Principes, & Comites; tam rusticos quam urbanos, tam subjectos quam imperii participes, denique tam incolas quam naturales. (d)

5. *Advenæ* temporarii recte à civibus distinguuntur, quia nec sunt uniti in eandem societatem, neque id agunt, uti vitam in ea civitate transigant, etsi imperio illius Reipubl. tantisper ubi degunt, subjecti sint. (e)

6. *Quæstio* hic oritur, numquid aliquis diversarum civitatium possit esse civis, uno eodemque tempore. Negabant *Romani*, non modò respectu municipiorum ejusdem Imperii, de quibus agit *l.* 29. *ad Municip.* sed etiam ratione Romanæ civitatis erga populos exteros, ut probavimus *lib.* 3. *Digress. cap.* 8. (f)

(b) *Ibid.* §. 9 & 10. (c) *Ibid.* §. 3. (d) *Ibid.* §. 7. (e) *Ibid.* §. 20. (f) *Ibid.* §. 23.

7. Vera *Juris Publici* sententia hæc est; in diversis municipiis eidem summæ potestati subjectis, nihil vetat, unum duobus locis civium muneribus oneribusque subjectum haberi, ut *Jure Romano* qui migrabat, priore loco tanquam civis seu municeps, in posteriore tanquam incola tenebatur *d. L.* 29. *π. ad Municip.* (g)

8. Verum ut unus idemque in *diversis Rebuspublicis*, summo Imperio distinctis, proprie sit civis, id non habet facultatem, non magis quam ut unus idemque duorum corporum esse queat membrum. (h)

9. Potest quidem civi alterius Reipubl. liberum jus *commercii*, aut aliud civile privilegium concedi, jus quoque honorarium civitatis dari; sed unio civilis sub obsequio summæ potestatis nullo modo uni homini duobus locis tribui potest. (i)

10. Quid autem? An civis non habet liberam *discedendi* facultatem, ita ut vinculo fœderis, quo civitati innexus, & imperio obnoxius est, solvatur? Hæc acerrima disputatio est, de quâ vide Arnisæum *in System. polit. cap.* 5. *sect.* 7. & 3. (k)

11. Res inde *judicanda* est, utrum

(g) *Ibid.* §. 24. (h) *Ibid.* §. 25. (i) *Ibid.* §. 26. (k) *Ibid.* §. 28.

trum in primævâ constitutione Civitatis id inter contrahentes populos *actum* censeatur; an non potius fuerit tacita fœderis conditio, ut obligatio maneret, dum cohabitatio duraret, eam tamen mutare singulis liberum esset. (l)

12. Hoc enim videri voluisse populos, est ratio quæ suadeat evidens, & quæ dissuadeat nulla magnopere. *Vid. Grotius*, *lib.* 2. *cap.* 5. §. 24. *ibi* : *Solet hic illud quæri.* (m)

13. Nisi *majore frequentiâ* discessus instituatur, vel nisi *intempestive* aliqui discedere parent, aut cum grande æs alienum collatione facta publice exsolvendum, aut belli majus imminet urgetque periculum; nisi rursus abituriens offerat id quod interest. (n)

14. Denique *lege* semper potest caveri, ne inposterum discessus aliter quam venia publice impetrata instituatur, (o)

15. Omnes igitur *incolas*, qui sedem fortunarum laresque suos alicubi fixerunt, hos recte *cives* appellamus. (p)

16. Etsi nec jurejurando, nec ulla promissione devincti, sufficiente *tatita consociatione*; quatenus sæpe, originales maxime, nullâ promissione expressa obligantur, neque etiam allecti, præterquam in urbibus, ibique soli patresfamiliarum. (q)

17. Cives cum respectu ad civitatem dicuntur, & civitas cum Republ. æquiparatur; *municipia* autem sunt urbes majori subjectæ imperio. Pari modo differt *a municipe* civis; *hic*, qui unitus est cum Republ. *ille*, qui certo municipio se conjunxit, dictus inde, quod capiendis muneribus atque oneribus sit subjectus, *l.* 1. §. 1. *π. ad Municip.* (r)

18. Usus secuii fert ita, ut hoc genus peculiariter *cives* dicantur; reliqui Principes, Comites, Nobiles, agricolæ, quique alii sunt hominum ordines, suis singuli appellationibus distinguantur. (s)

19. *Municipem* apud Romanos causa facit triplex, origo, manumissio, & adoptio, *d. l.* 1. *in pr. π. ad Municip.* (t)

20. Sed ex ratione *Juris Universalis*, nec locus originis, nec nativitatis, sed domicilii tantum tribuit forum, & munerum capionem; idque convenienter *Juri Gentium*, quod moribus hodiernis ubique, ni fallor, observatur; ut

(l) *Ibid.* §. 34. (m) *Ibid.* §. 35. (n) *Ibid.* §. 38. *& seq.* (o) *Ibid.* §. 40. (p) *Ibid.* §. 44.

(q) *Ibid.* §. 45. (r) *Ibid. cap.* II. §. 1. (s) *Ibid* §. 3. (t) *Ibid.* §. 5.

ut mutatione domicilii jurisdictionem mutare liceat. (v)

21. In eo differt *jus municipale* à jure majori civitatis, quod ratio nulla vetet, municipem esse *duobus* in *locis* (manet enim ejusdem corporis, ejusdemque Reipubl. membrum) ut, si quis voluntate sua diversis in urbibus semet instruxerit, fortunasque collocaverit; vel jus municipale utrobique, civium privilegiis usurus, impetraverit; tunc enim utrique Magistratui parebit, oneraque duplicia ferre debebit, *l.* 6. §. 2. *d. tit. π. ad Municip.* (x)

22. Est & per excellentiam usitatum nomen *civium*, de illis, qui Imperii sunt participes, aut eam incolunt civitatem, in qua sedes Imperii est; ut tum qui in subjectis habitant civitatibus *municipes* dicantur. (y)

23. *Finitur* jus civitatis non tantum morte, qui modus est tralatitius, sed & *libera* cujuscunque voluntate, mutata sede rerum, ut aliquoties dictum; ni *lex* intercedat. (z)

24. Dein per *sententiam*, si quis in exilium agatur, aut in opus publicum, vel ad remos damnetut. (aa)

25. Nec refert, temporale an perpetuum sit *exilium*, quia quo tempore sunt expulsi non sunt membra civitatis, neque participes functionum publicarum, neque jurisdictioni subjecti. (bb)

(v) *Ibid.* §. 14. (x) *Ibid.* §. 16.

(y) *Ibid.* §. 18. (z) *Ibid.* §. 31. (aa) *Ibid* §. 32. (bb) *Ibid.* §. 34.

CAP. IV.

De Civium qualitate, & differentia.

QUALITAS civium ex variis eorum differentiis intelligitur. (a)

2. Primo à *naturâ* distinguuntur in mares & feminas, *l.* 10. *π. d. Stat. hom.* (b)

3. Conditio *illorum* in civitate potior est, in his quæ ad dignitatem

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* II. *Sect.* II. *cap.* III. §. 1.

(b) *d. l.* §. 2.

tatem auctoritatemque pertinent; *harum* vero in iis rebus, quæ ad imbecillitatem sexus referuntur; exempla scribere longum est. *Diximus ad tit. ff. de His qui sui vel al. jur.* (c)

4. Secundo, a *statu* distinguuntur homines in liberos & servos, de quibus similiter dictum. (d)

5. Altera à *statu* petita differentia inter filios & patres familiarum; perinde occupata est in *superioribus.* (e)

6. Tertio, ab *ætate* cives dicuntur majores aut minores annis; punctum dividens hæc intervalla est, quinque supra viginti annorum, etsi aliquæ gentes hoc tempus coarctaverint. (f)

7. Juris diversitas hinc oriunda est, quod *majores* ad munera functionesque Reipublicæ, haud perinde *minores* adhibeantur, *l.* 8. *π. de Muner. & bonor.* (g)

8. *Mulieres* Jure Gentium, majores annis, nullis subjiciuntur Curatoribus, ne quidem nuptæ; nam maritalis potestas longe â curatoriâ distat; & quod bona uxorum à viris reguntur, hoc juris & instituti civilis est. (h)

9. Præterea *ætas* virilis, aut senilis est, habetque suos etiam juris effectus, quod senes à muneribus Reipbl. excusentur; ad honores, si velint & pares sint, magis admittantur; *senectus* autem à septuaginta fere annis duci videtur, *l.* 2. *π. de Excusat. l.* 3. *de jur. immunit.* (i)

10. Praeterea differunt cives ratione *habitus* corporum, animorum, disciplinæ, famæ, fortunæ, natalium, artificii, dignitatis, & si qui modi sunt alii, respectum ad juris publici rationem habentes. (k)

11. Quod ad *corpus*, sunt vel sani vel morbosi. Horum alii excusantur à muneribus, alii excluduntur ab honoribus, prout magis aut minus impediunt, levioresque aut graviores sunt. (l)

12. Ab *animo* sunt etiam sani vel mente capti: In sanis magna est latitudo, magnique gradus prudentiæ noscuntur, quorum in publicis haud leve quidem momentum consistit, in universum tamen definiri nequeunt. (m)

13. *Mente capti* sunt vel dementes, qui ad omnia sunt cœci, vel *fatui.* Illi aut dementes in specie vel furiosi, *Dementes* qui nihil sapiunt

(c) *Sup. cap.* I. *hui. sect.* §. 30. *& seqq.* (d) *d. lib.* II. *Sect.* II. *cap.* III. § 3. (e) *d. l.* §. 5. (f) *d. l.* §. 14. (g) *d. l.* § 15. (h) *d. l.* §. 18.

(i) *d. l.* §. 20. (k) *d. l.* §. 21. (l) *d. l.* §. 22. (m) *d. l.* §. 25.

piunt innocenter; *furiosi*, quos agitat rabies. *Illi* ferè perpetuum, *hi* plerumque ad tempus laborant. (n)

14. *Fatui* sunt quadruplices, fanatici, moriones, melancholici, & stupidiores, vulgo *macarones*. *l.* 1. §. 9. *& l.* 4. §. 1. *π. de Ædil. Ed.* (o)

15. Illi omnes à publicis functionibus, ubi locus electioni, excluduntur; ab hereditariis *dementes* similiter removentur, ut & *moriones*. (p)

16. *Furiosi*, quia sperantur *ἀνανήψειν*, ut & fanatici, melancholici, & stupidiores, magis est, ut curatoribus subjiciantur. (q)

17. Porro, *a disciplina* homines sunt bene vel malè morati aut exercitati, denique docti vel indocti. (r)

18. Qui Reipublicæ cupit admoveri, teneat ex sapientia doctrinaque *modum*: facilius tamen nimium, quam nihil doctus, suum corriget defectum, nisi *pædagogismus* sit, qui nunquam exolescit. *Dixi in Orat. de Pædantismo*, *Auspic. Oration.* x. (s)

19. Ex *famâ* cives sunt honesti vel famosi, quos alii cives desinere esse tradunt; male: ut tu ex definitione *Civis* sponte videbis. Sed *infames* ab officiis magistratuum honoribusque excluduntur. (t)

20. *Fortuna* distinguit cives in divites & pauperes, in viliores & honestiores. *Divites*, quatenus eorum maxime interest, salvam esse Rempubl. ad regimen honoresque præ pauperibus admittendi sunt, idque hodieque passim servatur. (v)

21. Ratione *natalium* cives sunt nobiles vel ignobiles. (x)

22. Nobilitas nihil est aliud, quam *excellentia generis ex claritudine majorum ad posteros propagata*, adeoque nihil heic est aliud, quam civilis qualitas in sola honoris supra plebem eminentiâ consistens. (y)

23. Apud Græcos & Romanos, *Nobiles* habebantur, quorum progenitores summis in Republ. honoribus præfulserant, (z)

24. Apud gentes Germanicas, quæ per omnem Europam se diffuderunt, Nobilitas ex *re militari* oritur, accedente Principum auctoramento, qui vel feudum cum titulo nobili, vel præmium nobilitatis per se, aut cum insigni ordinis equestris largiuntur. Unde ad posteros propagatio. (aa)

 25. De-

(n) *d. l.* §. 26. (o) *d. l.* §. 27. & 28. (p) *d. l.* §. 31. (q) *d. l.* §. 32. (r) *d. l.* §. 33. (s) *d. l.* §. 36.

(t) *d. l.* §. 37. (v) *d. l.* §. 39. (x) *d. lib.* II, *Sect.* II. *cap.* III. §. II. (y) *d. l.* §. 2. (z) *d. l.* §. 10. (aa) *d. l.* §. 14.

25. Denique sola *Monarcharum* auctoritas fons nobilitatis vulgò in universum habetur, adeò ut in populis, qui plurium Imperio reguntur, vix ulli nobiles fieri posse credantur. (bb)

26. Tamen, si *jus creandi Nobiles* sit ex juribus summæ potestatis, quod nemo negat, manifestum est, illud æque in plurium, quam singulorum Imperiis posse constitui. (cc)

27. Quod si in *liberis Rebuspublicis* feuda talia, vel diplomata non distribuantur, dicendum est, sufficere ad Nobilitatem alia argumenta voluntatis eorum, qui summam habent potestatem. (dd)

28. Et si nulla extent, sequemur institutum, quod apud Græcos & Romæ juris publici fuit, ut *Nobiles* putemus eos, quorum majores insignia Reipublicæ munia gesserunt. Neque enim ulla ratio proferri potest, quare id minus hodie juris sit, minusve moris esse debeat. (ee)

29. Denique, *usu temporis immemorialis* cum jura quælibet, etiam Majestatis acquiri possunt, nihil est causæ, quare *Nobilitas* eodem modo quæsita haud perinde legitima censeri debeat: quasi ex tacitâ voluntate eorum, qui cujusque Reipublicæ tenent Imperium. (ff)

30. Majoris excellentiæ gradus, ut *Baronum*, *Comitum*, *Marchionum*, *Principum*, *Ducum*; proprie sunt nomina potestatum, seu summarum, sive aliis, tam feudi, quam civitatis jure subjectarum. (gg)

31. Ex his colligi potest, fundamentum *Nobilitatis* non consistere in virtute, neque fama rerum gestarum, sed esse eam nihil quam *hereditariam* in civitate honoris *praerogativam*, quæ tanto major quidem est, quantò cujusque majorum fama virtutum meritorumque celebrior fertur; absque ea tamen perinde haberi potest, ac sæpe honores alii cum dignis & indignis communicantur. (hh)

32. Momentum, quod *Nobilitas* habet in Reipublica, non modo ad inania honoris, sed & in functionibus Reipubl. capiendis ignotum est nulli. (ii)

(bb) *d. l.* §. 16. (cc) *d. l.* §. 18. (dd) *d. l.* §. 19. (ee) *d. l.* § 22.

(ff) *d. l.* §. 25. (gg) *d. l.* §. 31. (hh) *d. l.* §. 33. (ii) *d. l.* §. 40.

CAP.

CAP. V.

De diversis Civium Ordinibus.

HÆ fere sunt differentiæ ex *qualitatibus* civium. Dantur & aliæ ex variis *vitæ* generibus ac professionibus; unde ordines hominum diversi componuntur. (a)

2. Antiquissimum vitæ genus est *Agricultura*, idemque innocentissimum, nec minus Reipubl. utilissimum, ideoque apud priscos omnes populos merito honorum. (b)

3. Post agricolas sunt origine *Mercatores*; illos necessitas, hos utilitas commendat; quando nullâ re compertum est, celerius increscere & rursus deficere, quam florente vel coarctatâ mercaturâ, populos & civitates. (c)

4. *Philosophi* mercaturam deteriore loco habere videntur, quod cum simplicitate Juris Naturæ minus conveniat, rem eandem minoris emptam vendere pluris. (d)

5. Sed *consentientibus* in eam, quæ arguitur, inæqualitatem ementibus, nulla ratio naturalis aut civilis eam reprehendendi superest. (e)

6. Voluntas autem ementium *indigentiâ* colligitur; prout enim quisque magis aut minus aliqua re indiget, ita pluris aut minoris eam æstimat. (f)

7. Proinde non modo tale lucrum, quod simpliciter pensationi laboris operæque respondeat, sed & juxta subitum *indigentiæ incrementum* majus aliquid licite capi potest. (g)

8. Est omnino tacitus ubique gentium & publicus in hanc rem consensus; ut res emptas cum lucro distrahere liceat, quæ generalis consensio in *Jus Gentium* abiit; idque frequenter *Naturale* dicitur; unde Romani Icti, naturaliter licere contrahentibus se invicem circumscribere docent; *l.* 16. §. 4. *π. de Minor.* adde Grotium *lib.* 2. *cap.* 12. §. 14. (h)

9. Juxta mercatores censeri cupiunt *fœneratores*, quos alii non modo penitus è civitate vellent ejectos, sed & fœnus in universum juri Naturæ & Divino contrarium judicant. (i)

L 3 10. Sed

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* II. *sect.* II. *cap.* V. §. 1. (b) *Ibid.* §. 2. (c) *Ibid.* §. 6. (d) *Ibid.* §. 11. (e) *Ibid.* §. 12.

(f) *Ibid.* §. 13. (g) *Ibid* §. 15. (h) *Ibid.* §. 16. (i) *Ibid.* §. 20.

10. Sed *Jure Naturæ* certum est, id non prohiberi. (k)

11. *Jure Divino* fundamentum prohibitionis est caritas, cujus legibus si possit usura non adversari, dicendum, dari quoque usum ejus non nefarium. (l)

12. Atqui ut ab eo, qui nostrâ pecuniâ in suum commodum utitur, mercedem capiamus, id non repugnat officio *caritatis*. (m)

13. Quatenus autem legi *dilectionis* adversetur usura, id ex solidâ & infucata dijudicatione circumstantiarum, quæ in universum terminari nequeunt, cuique colligendum. (n)

14. Plane, qui apud nos *trapeziticam* exercent, ne quidem ferendi in civitate erant, nisi ipsos Magistratus tenerent implicitos: quæ tamen honorifica societas nihil ultra impunitatem tribuere, neque labes Reipublicæ internam rei spurcitiem tollere poteft. (o)

15. Mercatoribus jure meliori succenturiantur, qui *piscatoriam*, maxime Oceani, quique *mechanicas* exercent artes; sed de his Politici habent quod moneant. Quod ad Piscatores attinet, id, ubi ad locum de *jure maris* perventum erit, videbimus. (p)

16. *Milites* ordinem in civitate proprium constituere non videntur: quod verò secus apud Romanos obtinuerit, id vitium ac pestis, non jus fuit Reipublicæ. (q)

17. Sed qui studiis honestarum artium exercentur, hi optimo merito civilis ordinis censentur: sunt autem *duplicis differentiæ*, qui docendis tantum eruditis disciplinis dant operam; & qui faciunt artes, seu praxin earum, ut vulgo loquuntur, exercent. (r)

18. Qui institutionem scientiamque earum artium profitentur, quibus *Ecclesiæ* & *Civitates* reguntur, & utilissimi humano generi, & ab omni seculorum memoria honoratissimi fuere; præterquam ubi corruptis moribus præmia virtuti & doctrinæ debita ignaris bonarum artium promiscuè tribuuntur. (s)

19. Qui exercent in Civitate disciplinas, hi quod attinet ad rerum *divinarum* scientiam, alium locum quam est is, de quo jam loquimur, in Republ. tenent, idemque de *Jureconsultis* in loco videbimus. (t)

20. *Medici* & *Philosophi* huc quidem

(k) *Ibid.* §. 21. (l) *Ibid.* §. 22. (m) *Ibid.* §. 23. (n) *Ibid.* §. 27. (o) *Ibid.* §. 31. (p) *Ibid.* §. 32.

(q) *Ibid.* §. 34. (r) *Ibid.* §. 37. (s) *Ibid.* §. 38. (t) *Ibid.* §. 39.

dem pertinent, ſed de juribus illorum vix eſt, ut in hac arte univerſali, materia dicendi occurrat. (v)

(v) *Ibid.* §. 42. & 43.

CAP. VI.

De Univerſitatibus, maximè Perſonarum.

SÆpe plures perſonæ, vel familiæ, communis utilitatis causâ in unum conveniunt, quæ CORPORA, ſive UNIVERSITATES, dicuntur. (a)

2. Eſt autem UNIVERSITAS multitudo, communis utilitatis cauſa, certo regiminis ordine ſociata, quæ nec ſit familia neque Reſpublica; ſicut dixius *ad. tit. Inſt. de Acquir. rer. dom.* (b)

3. Partiemur eas, quod vel *perſonæ* ſingulæ, vel integræ *familiæ*, cum omnibus ſuis rebus conveniant. (c)

4. Corpora, quæ *perſonali* tantum *unione* conſtant, propter uſus aut civiles aut ſacros congregantur. (d)

5. *Illæ* vel ob mechanicas artes, vel ob ſtudia bonarum artium haberi ſolent; ſuntque collegia Artificum, & *ex adverſo* Academiæ; nam ſcholæ & gymnaſia per ſe Univerſitates non ſunt, quia nullo regimine civili continentur. (e)

6. Quæ ob *ſacra* congregantur univerſitates, *Eccleſiæ* dicuntur, quæ utcunque à Republica ſeparatæ ſint; membra tamen civitatis eſſe negari nequeunt. (f)

7. *Univerſitates*, quæ non modò perſonas, ſed & familias domoſque complectuntur, ſunt vici, pagi; oppida ſeu municipia, territoria, provinciæ, & ſimiles. (g)

8. De his omnibus in genere ſtatuendum: nullas *jure conſtitutas* videri Univerſitates, nec ullas omnino tolerandas; niſi quæ ab eo qui ſummam habet poteſtatem; aut ſi minoris momenti ſint, ab his qui delegatam à principe habent

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* II. *Sect.* III. *cap.* I. §. 1. (b) *d. l.* §. 3. (c) *d. l.* §. 5. (d) *d. l.* §. 6.

(e) *d. l.* §. 7. (f) *d. l.* §. 8. (g) *d. l.* §. 9.

habent potestatem, probatæ vel confirmatæ sint. (h)

9. Unde *criminis* extra ordinem rei sunt, qui *ἑταιρίας*, sodalitia, collegia, formaverint; ut non tantum jure Romano receptum, sed etiam universali Jure Publico statuendum est, *Vid. tit. π. de corpor. & colleg.* (i)

10. Forsitan ex his omnibus definiri potest *Universitas* paulo melius: Cœtus hominum in civitate agentium sub certo regimine, permissu summæ potestatis ad utilitatem communem sociatus. (k)

11. *Numerus* sociatorum variè se habere potest, minimus omnium à quo initium capere possit universitas, habetur *trium* personarum *l* 83. *π. d. Verb. signif.* (l)

12. *Hominem* in Civitate agentium diximus, non *civium*, siquidem & advenarum temporaria possunt esse collegia & universitates, ut Mercatorum, Studiosorum, denique Ecclesiæ, & Monasteria. (m)

13. *Sub certo regimine*: his verbis constat differentia à societatibus, quales Romæ publicanorum, hodieque mercatorum. (n)

14. *Permissu summæ potestatis*, plerumque immediate, aliquando per Magistratus. (o)

15. *Ad communem utilitatem*: hic finis in omni legitimâ universitate necessarius est. (p)

16. Collegia *Artificum*, & *Mercatorum*, habent notionem causarum ad institutum suum spectantium, eâque causâ mulctæ dictionem; imperium tamen, sive facultatem exequendi regulariter non habent; nisi *foris*, ubi manu publica adjuvari non possunt, agant, ut in longinquis navigationibus, ubi quoque meri Imperii exercitio privatis societatibus concedi solet. (q)

17. Jus etiam habent condendi *Statuta* professioni suæ convenientia, dum ne aliquid ex publico jure corrumpant, aut aliorum commodis adversentur, cujusmodi sunt quæ ad *monopolia* spectant. (r)

18. *Illustres scholæ* olim non erant Universitates; sed tempore Frederici Barbarossæ facta sunt, datâ jurisdictione in studiosos; alioqui multitudo docentium discentiumque per se non est Universitas. (s)

19. Sed *dignitas* liberalium scientiarum

(h) *d. l.* §. 10. (i) *d. l.* §. 12. (k) *d. l.* §. 14. (l) *d. l.* §. 17. (m) *d. l.* §. 18. (n) *d. l.* §. 19.

(o) *d. l.* §. 24. (p) *d. l.* §. 31. (q) *d. l. cap.* II. §. 24. (r) *d. l.* §. 25. (s) *d. l. cap.* III. §. 4.

tiarum præ vulgo aliquid etiam externi decoris postulat. (t)

20. Igitur habent *Academiæ* jurisdictionem, consequenter & Imperium, quod mixtum vocatur, & in executione, ac modica coërcitione consistit, sine quâ juventus, hac præsertim morum ætate, in officio contineri non potest. (v)

21. *Merum Imperium*, sive jurisdictio criminalis, haud aliter ad Academias pertinet, quam si diserte à summa potestate concessa sit, ratione in loco reddenda. *Vid. l. 1. in pr. ff. de off. ei. cui mand. est jurisdict.* (x)

22. *Jurisdictionem Academiæ* esse penes Rectorem, & reliquos juventutis Magistros, ab Friderico Cæsare, *in Auth. Habitâ C. Ne Fil. pro Patre*, constitutum & ubique receptum est: de reliquo regimine, quod est peculiare Academiis, heic supersedebimus; locus communis erit *infrà de jurisdictione*, *Sect. III. cap.* 3. (y)

23. *Ecclesias* quoque inter Universitates posuimus, non eo sensu, quo Johannes Hus rectissime dicebat, teste Martino Luthero, in Diætâ Vormatiensi, apud *Sleidanum*, *lib.* 3. *Rer. German.* Ecclesiam esse Universitatem prædestinatorum; nec etiam, cum quemlibet *cætum*, qui communionis sacræ causà, quovis tempore habetur, hoc nomine appellamus (z)

24. Sed multitudinem credentium Deo, quæ certo loco publicum & stabilem religionis cultum exercet, recte *Universitatem* dici arbitramur, quia definitio superius collocata, perspicuè illis convenit. (aa)

25. *Ecclesiæ* igitur *prohibitæ* non sunt Universitates, ex ratione juris publici; nec proinde hereditates aut legata relicta capere, non emere, conducere, ullave commercia exercere, multo minus in judicio stare possunt. (bb)

26. Quæri potest, an & hoc ejusmodi Ecclesiis tribui debeat, quæ *publicè tolerantur*, cultúmque suum libere profitentur, & in corpora conveniunt; improbantur tamen, & pro *hæreticis*, aut *schismaticis*, ab his, qui civitâti præsunt, habentur. (cc)

27. Dicendum, illis hactenus jura personarum videri concessa, quatenus ad *exercitium* liberi cultus necessario requiritur, non etiam in illis, quæ ad τὸ εὖ εἶναι, ad meliorem conditionem eorum faciendam, pertinent. (dd)

28. Possunt igitur emere, conducere.

(t) *d. l.* §. 9. (v) *d. l.* §. 34. (x) *d. l.* §. 39. (y) *d. l.* §. 45.

(z) *d. l. cap.* IV. §. 1. (aa) *d. l.* §. 2. (bb) *d. l.* § 7. (cc) *d. l.* §. 8. (dd) *d. l.* § 9.

ducere domos, in quibus conveniant, in quibus suos *Ministros* collocent, aut fundos reditusque alios, ex quibus impensæ necessariæ redundent, comparare.(ee)

29. Non idem in *lucrativis*, ut hereditatibus, legatisque, vel aliis rebus, quæ ad amplificandam rem illarum faciunt, statuendum videtur. (ff)

30. Ultimum in definitione Universitatis Ecclesiæ applicandum id est, quod posuimus, *regimen certum*, quod in omni Ecclesiastico cœtu haberi nemo ignorat.(gg)

31. Omnis enim *hierarchia*, sive gubernatio Ecclesiarum, quæ jure divino præscripta non est, haud aliter quam Imperii Summi permissu constare potest, ut *praecedenti sectione* probavimus. (hh)

32. Sed *Pontifex Romanus*, non modo sibi jus Principum in Ecclesiam arrogavit; sed universum quoque Ordinem Ecclesiasticum Imperio atque Reipublicæ subduxit. (ii)

33. Unde sequitur, immensam multitudinem illam *hominum Ecclesiasticorum*, totâ Europâ diffusam, qui fide infiniti obsequii Papæ subjecti sunt, unam constituere *Rempublicam sine territorio*; nam respectu proprii in Italia Imperii Papa nihil discrepat ab aliis Principibus. (kk)

34. At quominus Ordo Ecclesiasticus sub Pontifice Summo, vere *Civitas* sit, obstat, quod è familiis non constet, deficiente matrimonio: propriè quidem dictæ *familiæ* non sunt, ut apparet; habent tamen imperfectas, aut improprie dictas. (ll)

35. Quid enim aliud *Coenobia* sunt, quam magnæ familiæ, in quibus neque pater, neque mater, licet absque matrimonio, desunt: qui vero extra monasteria vivunt, habent sane familias utcumque suo modo imperfectas. (mm)

36. Aliæ sunt Universitates, quæ ex *familiis* cohabitandi causâ institutis componuntur, ut pagi, territoria, oppida, provinciæ, *&c.* (nn)

37. De quibus definitione pridem positâ tenendum, quod non aliter sint Universitates, quam si *aliquo regimine* peculiari contineantur. (oo)

38. Hinc *vici*, in quibus nihil est quam vicinitas incolarum, sine ullo magistratu, vel rectore proprio, non sunt Universitates, atque

(ee) *d. l.* §. 10. (ff) *d. l.* §. 11. (gg) *d. l.* §. 13. (hh) *d. l.* §. 15. (ii) *d. l.* §. 19.

(kk) *d. l.* §. 20. (ll) *d. l.* §. 25. (mm) *d. l.* §. 26. (nn) *d. l. cap.* V. §. 2. (oo) *d. l.* §. 3.

que in hoc differunt à vicis *pagi*. (pp)

39. Urbes solent distingui in *metropoles*, & inferiores. Hæc autem vel *subjectione*, vel *reverentiâ*, minores subjectione dicuntur; quando summa potestas, aut originale duntaxat Imperii jus, est penes Metropolitanos, ut Romæ, Venetiis, & apud Florentinos. (qq)

40. *Reverentia*, cùm reliqua oppida comiter observant Metropoleos dignitatem, ut coloniæ Græcorum, & fœderatæ civitates Atheniensium, ac Spartanorum, quæ sub Ducatu quidem, at sub Imperio nequaquam tenebantur. (rr)

41. Cæterum, coloniæ Græcorum, & Metropoles, non tam erant Universitates, quam *Respublicæ*; nec *Roma* fuit Universitas, quia non habuit conformationem à summa Imperii distinctam, sed Magistratus Senatusque urbis Romæ iidem erant Imperii Universi. (ss)

42. Plures *pagi* corpus territorii, plures insuper *urbes* faciunt provincias; neque tamen numerus sufficit, ut Universitates sint; Ordo proprii regiminis, quo connectantur singuli pagi, & urbes, requiri certum est. (tt)

43. Quare *Provinciæ*, quæ missis ab aula regnatrice Præsidibus & Præfectis immediate gubernantur, sine ullis populi aut Nobilium Ordinibus, Universitates non sunt, verum partes tantum Imperii, limite non jure distinctæ. (vv)

44. Contra, *Provinciæ majoris Imperii*, quæ regimine certo summæ potestati subordinato passim continentur, sunt vere Universitates, quales in *Galliâ* habentur, Normandiæ, Britanniæ, Aquitaniæ, Languedociæ, Delfinatus, aliæque. (xx)

45. Universitatem habere *jus personæ*, dictum est aliquoties, quod tamen videndum, ne non ita capi oporteat, ut de Civitate dictum est alias. (yy)

46. Ratio *diversitatis* inter fœdus Civitatis, & constitutionem Universitatis obscura non est; siquidem populus liber, Imperio translato, Imperantes ita suo loco statuit, ut nullo remedio se, utique adversus exteros, tueri possit. (zz)

47. Nam si Imperantes officii limites excesserint, ea inter populum

M 2

(pp) *d. l.* §. 4. (qq) *d. l.* §. 7. (rr) *d. l.* §. 8. (ss) *d. l.* §. 10.

(tt) *d. l.* §. 18. (vv) *d. l.* §. 19. (xx) *d. l.* §. 20. (yy) *d. l, cap.* VI. §. 1. (zz) *d. l.* §. 6.

pulum & ipsos sit disceptatio; Exteri id quod ob oculos est sequuntur, *personam* scilicet, totam civitatem repræsentantem. (1)

48. Inter Universitatem, & eos qui præsunt, nunquam est conventio generalis & obligatio, per quam hi nomine communionis omnes res gerant; verum potestas Rectorum Universitatis pendet à tenore *mandati*, quod habent à Summa Potestate, sicut *infrà* videbimus. (2)

49. Ideo tenentur quidem Universitates è contractibus Rectorum, nomine publico initis; sed illorum onus, nisi credito in rem verso, in Præfectos redundat, apud quos pecunia resedit, vel qui in culpa sunt; ubi non liquet, omnes qui administravere tenebuntur, *d. l.* 27. *π. de reb. cred.*(3)

50. Nec valet heic *argumentum*, quo aliqui utuntur, Rectores Universitatum repræsentare suos cives, ita ut quicquid illi agunt, id omnes singulique cives agere videantur; nam talis repræsentatio tantum habet locum in liberà Republ. non in eâ, quæ alteri summæ potestati subjecta est. (4)

51. Jam in *delictis*, quorum ratio mere personalis est, minime dubitatur, quin soli delinquentes ad pœnam teneantur: quod si adeo *populare commissum*, ut innocentes discerni nequeant, pœna in universitatem non in singulos exercenda, ademptis juribus, aut mulcta indictâ, vel dissolutâ Universitate. (5)

52. Rectores ejusmodi subjectarum civitatium, non repræsentant suos cives, nec ab iis modum Præfecturæ suæ habent, verum à *Summa Potestate*; proinde quod agunt, non ad mandatum populi, sed Principis exigendum est. Populus nequidem si velit, augere possit Jurisdictionem, potestatemque suorum Rectorum.(6)

53. Jam quibus *pecunias* indicere non licet, hi nec municipes obligare possunt ad solvendam pecuniam cis aliquod tempus; est enim id ejusdem utrumque facultatis. (7)

(1) *d. l.* §. 7. (2) *d. l.* §. 9. (3) *d. l.* §. 11. (4) *d. l.* §. 19. (5) *d. l.* §. 13. (6) *d. l.* §. 20. (7) *d. l.* §. 22.

CAP.

CAP. VII.

De Magiſtratibus, & Jurisdictione.

QUi præſunt Univerſitatibus præſertim majoribus, dicuntur MAGISTRATUS, qui nihil ſunt aliud, quam *Miniſtri ſummæ poteſtatis, ad vices illius in minoribus Reipubl. partibus obeundas, poteſtate debita inſtructi.* (a)

2. *Miniſtrum* cum dicimus, ipſos qui Summum habent Imperium, a nomine *Magiſtratuum* ſatis excludimus, quod idem ratio juris, & latini ſermonis exigit proprietas, etſi aliter plerique Politici, ac fere Theologi. (b)

3. Dicuntur *in minoribus Reipubl. partibus* occupati, ut majora, hoc eſt, jura Majeſtatis à Magiſtratuum officiis aliena intelligantur. (c)

4. Poteſtas Magiſtratuum eſt *duplex*, Jurisdictio, & Imperium; quarum illa in jure dicundo, hæc in manu & coërcitione conſiſtit. (d)

5. IMPERIUM rurſus aut majus aut minus eſt. (e)

6. *Majus*, quod conſiſtit in animadverſione capitali, aut aliâ graviore, quod *Romani* ob magnitudinem, & periculum abuſus, cunctis Magiſtratibus permittere noluerunt, ſed extra ordinem & lege ſpeciali. (f)

7. *Minus*, quod modicâ coërcitione conſtat, & jurisdictioni *ordinariæ* adjungitur, eamque perpetuo comitatur, ut vim executionis vigoremque judiciis neceſſarium addat. (g)

8. Hinc & MIXTUM dicitur, quia cum jurisdictione miſcetur, ut ab eâ nunquam ſeparari queat. At *majus* illud ab ordinaria jurisdictione prorſus eſt diſcretum, adeoque MERUM, id eſt, nihil quam Imperium: inde Juris Conſultis *Merum* dicitur, quia non mixtum. (h)

9. Secundum hæc, etſi frequenter neque abſurde *Merum Imperium* criminalis jurisdictio appellétur, nos tamen more Romano hæc diſtinguemus, Imperium merum, Jurisdictionem, Mixtum Imperium. (i)

 10. Quid

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* I. *cap.* V. §. 10. (b) *Ibid.* §. 11. (c) *d. l.* §. 16. (d) *d. l. cap.* VI. §. 1. 2. 3. (e) *d. l.* §. 21.

(f) *d. l.* §. 22. (g) *dd. ll.* (h) *d. l.* §. 3. & 21. (i) *dd. ll.*

10. Quid sit Merum, jam intelleximus, *potestas animadvertendi in facinorosos*: aliter *jus gladii*, idque modò plenius evolutum, ut & discrimen à *Mixto* collocatum est. (k)

11. *Mixtum Imperium* in modica coërcitione consistit, & jurisdictioni, ut dictum, civili adjungitur, eamque perpetuo comitatur, ut vim executionis vigoremque judiciis necessarium addat: velut mulctæ dictio, pignoris capio, &c. (l)

12. Nam hi omnes modi ad *Imperium Mixtum* referuntur; uti & manus militaris, & missio in possessionem, aliaque ad executionem, & ad coactionem comparata. *Vid. quæ dixi ad tit. ff. de jurisdict. n.* 40. *& seqq.* (m)

13. Jurisdictio *nihil est aliud, quam de causis civilibus cognoscendi, judicandique potestas, cui & exequendi facultas adjuncta est.* (n)

14. Ultima verba secernunt jurisdictionem à *notitione* nudâ, quæ executionis vim ignorat, qualem habent arbitri, & judices, qui Romæ *pedanei* dicebantur. (o)

15. Ejusdem fere generis est *Audientia Episcoporum*, & Consistorialis in Ecclesiis, de rebus, quarum cognitio illis à potestatibus Reipubl. permittitur. (p)

16. *Divisio* Jurisdictionis *prima* est in voluntariam, quæ nonnisi inter consentientes; & contentiosam, quæ inter contradicentes exercetur. (q)

17. Ad *priorem* spectant adoptiones, emancipationes, legitimationes; non æque tutorum dationes, veniæque ætatis impetrationes: simile de similibus esto judicium. (r)

18. Contentiosa dividitur, (omissa partitione in civilem & criminalem) quod sit ordinaria, vel legitima. (s)

19. *Ordinaria*, quæ competit Magistratui quà tali, & more solito, absque speciali sanctione. (t)

20. *Legitima*, sive extraordinaria, quæ competit iis tantum Magistratibus, quibus expressa lege, vel constitutione data est. (v)

21. *Ordinaria jurisdictiò* rursus est vel propria, vel aliena: *Propria* dicitur, quæ immediatè à summâ potestate sive specialiter, seu generali jure, proficiscitur: *Aliena*, quam quis exercet vice alterius Magistratus, ex voluntate ejus, cujus est propria, vel è consensu partium. (x)

22. *Illa*

(k) *Ibid.* (l) *d. l.* §. 23. (m) *d. l.* §. 23. *seqq.* (n) *d. l.* §. 4. (o) *d. l.* §. 7.

(p) *d. l.* §. 9. (q) *d. l.* §. 20. (r) *d. l.* & §. 20. (s) *d. l.* §. 10. (t) *d.* §. 10. (v) *d. l.* §. 11. (x) *d. l.* §. 26.

22. *Illa* dicitur mandata, *hæc* prorogata. Jurisdictio *mandatur* tota vel pro parte. *Tota*, cum Magistratus omnes officii sui partes obire impeditur, aliumque pro tempore substituit; neque enim id licet in perpetuum, nisi abdicato Magistratu, quo facto redit ad fontem. (y)

23. *Prorogari* jurisdictio tantum potest in specialibus causis; *Magistratus* quidem totum id quod habet rectè transfert; sed *privati* plus quam de suis rebus cognoscendi jus tribuere non possunt. (z)

24. Præcipuus est *usus prorogationis*, quando is qui judici alicui non subest, jurisdictioni se submittit, quod vel tacite fit ipso actu, vel expresse per conventionem antecedentem. (aa)

25. At *publici juris* ratio privata pactione nihil immutatur. Hinc vi *submissionis* sub nostro judice factæ, civis alterius Reipublicæ non potest in jus vocari, dum manet in suâ civitate; non ibi in loco, quia nulla potestas in alieno Imperio ullos actus jurisdictionis instituere potest; neque per *edictum* in finibus nostræ Reipubl. ut in subditos vagos fieri solet, quia deficit medium, quo *citatio*, quæ est actus Imperii, alienum civem obligare possit. (bb)

26. Sed in utrisque *submissio* effectum habebit directum; si, qui foro suo renuntiavit, in loco judicis prorogati, territorioque sit *deprehensus*, ibique citatus; tunc enim jurisdictio fundatur, ut litem contestari cogatur. (cc)

27. Maximum porro usum habet hæc prorogatio in his, qui se *immediatè* superioribus submittunt Judicibus, ad quos primâ alioqui instantiâ vocari non possunt (dd)

28. Apparet ex his quæ diximus, *Jurisdictionem* esse facultatem moralem, quæ personæ competit, à summa potestate expressè delatam, quæ proinde nec aliis modis acquiri, neque amitti, nisi ex voluntate summæ potestatis possit. (ee)

29. *Præscriptione* igitur illam propriè nemo acquirere potest, ut alias dictum; nec etiam ita amittitur; adeo ut nec abdicare potestate sua quis ignaro vel invito Principe se possit. At *morte*, velut cuncta personalia, sine dubio finitur; maximèque *tempore* præfinito, ut in functionibus ambulatoriis. (ff)

30. Sed usus fert, ut jurisdictio sæpe cum respectu ad subjectum ter-

(y) *d.* §. 26. & 27. (z) *d. l.* §. 30. (aa) *d.* §. 30. & 34.

(bb) *dd* §§. (cc) *dd. ll.* (dd) *dd. ll.* (ee) *d. l.* §. 40. (ff) *d. l.* §. 41.

territorium appelletur, eodemque jure, quo ipsa territoria censeantur. (gg)

31. Hoc sensu *præscriptione* potest acquiri, & amitti jurisdictio, ut Magistratus cuique territorio præfecti latius aut angustius imperent; attamen Summa Potestas eos semper ad antiquos fines revocare potest. (hh)

32. Quod si jurisdictio sit *hereditaria*, tum etiam præscriptione, sicut omnia quæ sunt in patrimonio, & acquiri, & amitti potest. (ii)

33. Diffusæ sunt *jurisdictiones* illæ *patrimoniales* per omnem Europam, Angliâ Frisiâque nostrâ excepta, ut observat Eques *Tempelius* commentario, *de Republ. Belg. cap. de Frisiâ*; qui inde colligit inter alia, quod est verissimum, præcipuos Anglorum, qui in Britanniam olim trajecerunt, fuisse Frisios. (kk)

(gg) *d.* §. 41. (hh) *d.* §.

(ii) *d. l.* §. 18. (kk) *d.* §. 18.

CAP. VIII.

De Subjectione Rerum.

POst homines qui subjiciuntur Imperio, transeamus ad RES. (a)

2. Cum enim propter homines habeantur bona, consentaneum est, eos qui Imperium habent in *personas*, eandem in *res* habere potestatem. (b)

3. RES sunt vel corporales vel incorporales. *Illæ* mobiles aut immobiles, quas inter non modicum juris discrimen constitui solet. (c)

4. Nam quia *mobilia* proxime, & immediate ad usum personæ spectant, ideo subjacere volunt hæc imperio illius, cui ipsa persona subjecta sit, quocunque loco bona reperiantur. (d)

5. At secus in *rebus soli*, sive immobilibus esse; nam hæ cum par-

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* II. *Sect.* IV. *cap.* I. §. I. (b) *Ibid.* §. 2.

(c) *Ibid.* §. 5. (d) *Ibid.* §. 7. *junc. cap.* II. §. 2.

partem Reipublicæ subjectivam, id est, territorii constituant; non possunt alterius, quam qui regit eandem civitatem, sequi autoritatem. (e)

6. Præterea *dividuntur* res, quod vel singulorum, aut communes, vel publicæ, aut universitatis, denique nullius sint. (f)

7. De *rebus singulorum* constat, vim Imperii dominia privata relinquere. Quid autem Rex verus in illa, ex ratione publicæ utilitatis, aut necessitatis, quid Monarcha despoticus jure possit ordinario, alibi explicatum est, (g)

8. *Res communes* sunt, quarum usus & proprietas cunctis hominibus æqualiter competit, vi divinæ largitionis; condito & instaurato generi humano factæ, *Genes. cap.* 1. & *cap.* 9. (h)

9. Quæ sunt hujus generis, eæ vel sunt tales, ut à quolibet *occupari* queant; aut penitus dominii sunt *incapaces*. (i)

10. *Prioris naturae* sunt omnes res, quæ possessionem & occupationem, stabilemque custodiam recipiunt; ut sunt feræ bestiæ, volucres, pisces, gemmæ, metalla nondum effossa, res derelictæ, aqua profluens, omnesque maris insulæ, regionesque desertæ. (k)

11. Ejusmodi res naturali ratione cedunt occupantibus. *Vid. Grot. lib.* 2. *de jur. bell. & pac. cap.* 2. §. 2. & *lib.* 2. *jurispr. Holl. cap.* 5. (l)

12. Quod enim aliqui disputant, (*Böklerus comment. ad lib.* 2. *Grot. cap.* 3. §. 2. *Strauch. de Imp. mar. Joh. Bapt. Burg. lib.* 1. *de Dom. Reip. Genu. in mar. Ligust.*) ea quæ de *communione primæva* dicuntur, esse fictitia; id demum vere, si quid unquam, fictitium est. (m)

13. Nam si *communio* sit jus, quo res eædem plurium pro indiviso propriæ sunt; res loquitur, cum creator Deus cunctis mortalibus dedit *jus* in res hujus inferioris naturæ, nihil potuisse illud esse quàm *communionem*: adeoque ridiculæ sunt in contrarium rationes. (n)

14. Certum quoque est, quod totus populus *æquale jus* habeat in feras, volucres, & pisces, item in metalla, thesaurosque subterraneos, qui in territorio ab ipsomet occupato reperiuntur. (o)

15. Unde clarum; quod communi consensu, id est, per *legem*,

N

(e) *d. cap.* II. §. 5. (f) *d. l. cap.* I. §. 10. (g) *Ibid* §. 42. (h) *Ibid.* §. 26. *seqq.* (i) *Ibid.* §. 11. & 12.

(k) *Ibid.* §. 12. (l) *Ibid.* §. 13. (m) *Ibid.* §. 14. (n) *Ibid.* §. 15. (o) *Ibid. Sect.* IV. *cap.* II. §. 17.

gem, singuli à jure suo recedere, idque in unum, vel in certas personas, transferre possint. (p)

16. Atque hoc est fundamentum, quo jus feras venandi, aucupia, piscationes, metallifodinæ, thesauri, & similia *Principibus*, aut *Proceribus* hodierno gentium usu vindicantur, qua de re dixi *in part.* 1. *Digress. lib.* 4. *cap.* 19. *& seqq.* (q)

17. Ex his clarum est, quæ res extra territorium cujusque populi *vacuæ* sunt, eas à nemine quam per *occupationem* acquiri posse: occupatas autem ab aliis omnino neminem rectè sibi vindicare. (r)

18. Atque hæc de *rebus communibus* occupationem recipientibus; supersunt res *dominii incapaces*, cujusmodi esse videntur tam aër, quam mare. (s)

19. Nempe ut distinguantur *aquæ* marinæ, & aëris *particulæ*, ab aëre, atque mari ipso. Illas enim occupari, & in dominium redigi posse, nulla dubitatio est. (t)

20. Sed *mare per se* totum, vel quod ad præcipuas partes, non recipere *dominium*, cum effectu, ut jus sit Principi, vel populo, alios *prohibere* piscari in eo, navigare, aquam haurire, conchas, & naufragiorum reliquias colligere, probatur hisce rationibus: (v)

21. *Prima* est, quod in mari cesset ratio, per quam dominia instinctu necessitatis ab hominum primis divisa fuere. (x)

22. Scil. quia non omnes pariter ad *usum sui* admittebant, & quod suus cuique labor prodesse deberet. At *mare* commodissime toti humano generi sufficit. (y)

23. *Alterum* argumentum sit, quod mare propter fluiditatem & vastitatem occupari nequeat. Quæ res, inquam, non recipit *possessionem*, ea nec *dominii* Jure Gentium capax est, per *l.* 1. *in pr. ff. de Acquir. Poss.* (z)

24. Sed mare non recipit *possessionem*, quia possessio est sedium positio, & rei detentio; at in mari neque sedes unquam poni, nec ipsum detineri, aut custodiâ coërceri potest. *adi.* §. 12. *Inst. & l.* 2. *π. de R. Divis.* (aa)

25. Ex his sequitur, jus piscandi, balænas capiendi, per cuncta maria in omnes terras navigandi, & *commercia* exercendi, à nullo Principe, vel populo, jure prohiberi posse. (bb)

26. Recipit tamen hæc sententia

(p) *Ibid.* §. 18. (q) *Ibid* §. 19 (r) *Ibid.* §. 23. (s) *Ibid.* §. 25. (t) *Ibid.* §. 26.

(v) *Ibid.* §. 27. (x) *Ibid* §. 28. (y) *Ibid.* §. 29. *seqq.* (z) *Ibid.* §. 31. (aa) *Ibid.* §. 32. (bb) *Ibid.* §. 34.

tia aliquas *cautiones*, & limitationes. (cc)

27. *Prima* sit, quod & aer & mare sub dominium veniant, quatenus sunt *partes* & accessiones terræ, quoniam hactenus requisita veræ occupationis conveniunt. (dd)

28. Dein II. *conventione* Populorum fieri potest, ut quidam jure & usu certi maris cedant, aliique liberam ejus dominationem permittant; quod scilicet universale jus non mutat. (ee)

29. *Tertio* observandum, fieri quandoque, ut *divisio maris* instituatur (& divisio aliquam supponit occupationem) non ad possessionem stabiliendam, sed ob curam piratas coërcendi, & securitatem præstandam. (ff)

30. *Denique*, ratione *territorii adjacentis*, pars vicina maris videtur esse sub Imperio Principis aut populi, qui navigantes *è terra* pro lubitu cogere potest: tunc enim custodiâ illius coërceri videtur. (gg)

31. Extra *has causas* nec dominium, neque imperium maris, jure cuiquam competere posse, prædictis rationibus constat. (hh)

32. Fuit, cum *Imperium* facilius quam *Dominium* acquiri posset, idque minus juris continere putavimus, *d. cap.* 13. *lib.* 4. *Digress. pr. edit.* sed verius est, Imperium tribuere omnia, quæ dominium maris principi aut populo tribuere queat; adeo ut *jure Imperii* exteris prohiberi & piscatio & navigatio possit; æque ac introitus in terras alienigenis, ab eo qui imperat civitati, interdici potest. (ii)

33. Porrò, *Publicæ res* sunt, quarum proprietas certi alicujus populi est; eæque *duplicis* sunt *generis*; aut enim in occupatione per universitatem substiterunt, nec à singulis divisæ sunt; aut ex postfacto originem habuere. (kk)

34. *Prioris* generis sunt portus & flumina, lacus plerique, & loca deserta, ac vacua; aut ab initio ad sustentationem Imperantium, vel publicos usus sequestrata. (ll)

35. *Ex postfacto* Publicum dicitur, quicquid ex collatione singulorum, aliove instituto, proprium liberæ Reipubl. constituitur; ut est ærarium, bona vacantia; fiscalia, & quicquid præterea cujusque in *populi patrimonio* noscitur. (mm)

N 2 36. Ex

(cc) *Ibid.* §. 36. (dd) *Ibid* § 37. (ee) *Ibid.* §. 40. (ff) *Ibid.* §. 41. (gg) *Ibid.* §. 42. (hh) *Ibid.* §. 43.

(ii) *Ibid.* §. 44. (kk) *Ibid. Sect.* IV. *cap.* I. §. 35. (ll) *Ibid.* §. 36. (mm) *Ibid.* §. 37.

36. Ex natura cujusque rei de *usu* judicandum. *Quarundam* enim usus rerum omnibus patet, ut fluminum portuumque; *aliarum* usus Reipubl. quâ tali, illisve qui præsunt civitati, solis conceditur; ut ærarii, fisci, & domanii, quod dicitur. (nn)

37. De *insulis*, quæ in *fluminibus* nascuntur, Jure Romano traditur, ut quasi ex Jure Gentium privatis, qui habent proxima prædia, cedant; sed ratio vult, *ut publicæ*, hoc est, ejusdem juris cum fluminibus, quorum sunt partes, censeantur. Vid. quæ disputavimus *part.* 1. *Digress. lib.* 4. *cap.* 21. (oo)

38. Haud dispar ratio in *ripis* est, quæ pro partibus alvei merito habentur, ideoque ejusdem, ac *alvei*, juris esse videntur; etsi rursus aliter Jure Romano; cujus ratio benignitatis magis civilis, quam juris universalis esse videtur. De *alveis exsiccatis* idem esto judicium. (pp)

39. Jus Romanum, quod dominis adjacentibus *alveos* adscribit, derelictionem Reipublicæ præsupponit, quo præintellecto non potest aliud fieri, quam constitutum est, *in* §. 5. *Inst. de R. div.* (qq)

40. Sed quæ per *alluvionem* adjiciuntur, quia non constat, quantum quoque tempore accedat; & quia natura id quod adjicitur, *partem* facit ejus cui advolvitur; necessario cedunt iis, quorum proximi sunt agri, & non Reipublicæ. (rr)

41. Jam de rebus *Universitatium* nihil præcipui potest adfirmari, siquidem *corpora* subjectorum, quod ad res suas, eodem jure, quo *singuli* cives, utuntur. (ss)

42. Res *nullius* vocantur, quæ commercio ita sunt exemptæ, ut à nemine in dominium redigi possint, quales sacræ, sanctæ, religiosæ. (tt)

43. *Sacras* Romani dixere, quæ rite per Pontifices Deo sunt consecratæ, nec abludunt recentiores Romani Christiani, *in* §. 8. *Inst. de Rer. div.* à quibus separantur res piis usibus destinatæ, quas alii haud ineptè *quasi sacras* appellarunt. (vv)

44. Utræque *Summæ Potestati* subjectæ sunt, ut leges de illis ferantur, quibus inviolatæ maneant,

(nn) *Ibid.* §. 38. *seqq.* (oo) *d. lib.* II. *Sect.* IV. *cap.* IV. §. 19. (pp) *Ibid.* §. 23. *seqq.*

(qq) *Ibid.* §. 14. *seqq.* (rr) *Ibid.* §. 25. *seqq.* (ss) *d. lib.* II. *Sect.* IV *cap.* I. §. 40. *junc. cap.* VI *sup. hui. sect.* (tt) *d. cap.* I. §. 21. (vv) *Ibid.* §. 22.

ant, & bene administrentur: *dominium* autem verè sacrarum nullius est, sed Dei immediate, ut quidem definitio postulat. (xx)

45. Res *quasi sacræ*, quod ad dominium sunt Ecclesiæ, à quibus & libere administrantur, & flagitante utilitatis ratione etiam *alienari* possunt, multò magis ob necessitatem, *Nov.* 119. *cap. pen.* & *Nov.* 120. *cap.* 7. (yy)

46. Cæterum, res *verè sacras* in statu renovati fœderis per Christum esse nullas, cum ratione dicendum; quia *consecratio*, per quam character aliquis rebus inprimatur, sine dubio ex genere *cerimoniarum* est, quæ ut umbræ per adventum corporis evanuerunt. (zz)

47. *Res sanctæ*, quas Romani dixere, muri & portæ civitatium, nihil præter superstitionem habent, quo à publicis, aut Universitatium rebus separentur. (1)


48. Denique, *religiosa* loca, *Sepulchra*, præter memoriam humanæ fragilitatis, quam repræsentant, nihil etiam à privato jure dominii separatum continent; cum & in *commercio*, perinde ac aliæ res habeantur, nisi quod apud Pontificios cærimoniis quibusdam sepulchra consecrantur. (2)

49. Reliquæ res, *singulorum* sunt patrimoniales. (3)

50. Plenior autem hujusmodi rerum expositio, ex *Juris Privati* commentariis petenda, remittitur *ad lib.* 4. *Digress. cap.* 4. & *seqq. Part.* 1. (4)

(xx) *Ibid.* §. 22. (yy) *Ibid.* §. 22. (zz) *Ibid.* §. 23.

(1) *Ibid.* §. 24. (2) *Ibid* §. 25. (3) *Ibid.* §. 42 (4) *add. Prael. Inst. t. de Rer. div.*



SECT. III. CAP. I.

De Legibus.

POstquam de *jure Imperantium* & eorum qui subjecti sunt, egimus, superest, ut de CIVITATE ADMINISTRANDA, persequamur. (a)

2. Est autem *administratio duplex*, aut enim spectat internam constitutionem civitatis, vel habet respectum ad exteros. Ad illam spectat primo *Legislatio.* (b)

3. LEX *est commune præceptum summæ potestatis*, *honestati conveniens*, *omnesque Imperio subditos ad parendum obstringens.* (c)

4. Dicitur *Commune præceptum*, quia non de singulorum, sed universis rebus; non de raro contingentibus, sed de his quæ ut plurimum eveniunt, condi solet ac debet. (d)

5. Quod à *Summa Potestate* proficisci debeat, quid inde sit observandum, *supra* in *capite XI. de juribus Majestatis*, *sect. I.* est dictum. (e)

6. Debet etiam esse *honesta* Lex, hoc est, non inhonesta, ut nihil quod necessitati morali, & divinis præceptis adversatur, præcipiat. (f)

7. Dein dictum est, quod *omnes subditos* obstringat, non cives duntaxat. (g)

8. Ubicunque igitur illa summæ potestatis est mens, ut omnes teneantur, ibi vis legis; adeoque *Lex* est, quacunque forma emittantur; sive ut Edicta, seu Rescripta, vel ut Epistolæ, aut Decreta. (h)

9. *Virtutes Legis* à ICtis enumerantur hæ; imperare, vetare, permittere, punire, *l.* VII. *ff. de Legib.* (i)

10. Imperantur facienda, vetantur contraria, permittuntur licita: & quidem *permissio* differt à *tolerantiâ:* nam quod permittitur, id juris habet effectus; toleratur, quod Lex impune saltem transmittit. (k)

11. Ita

(a) Vid Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *sect.* I. *cap.* I. §. 1. (b) *d. l.* §. 2. & 3. (c) *d. l. cap.* II. §. 2. (d) *d. l. eod.* §. 2. (e) *d. l.* §. 11.

(f) *d. l.* §. 18 (g) *d. l.* §. 24. (h) *d. l.* §. 24. (i) *d. l.* §. 27. (k) *d.* §. 27.

11. Ita *Lex Mosaica* permisit divortia, *Lex Romana* concubinatum; sed meretricias libidines idem Jus Romanum tolerat, non permittit, ut aliæ civitates ebrietatem, ingratitudinem, aliaque vitia, quæ ubique improbantur, nusquam puniuntur. *Seneca lib.* 3. *de clem. cap.* 7. (l)

12. Nec offenditur hoc casu, ne permittendo quidem, Regula Apostoli *ad Rom. cap.* 3. 8. *non esse facienda mala, ut inde eveniat bonum;* nec enim Legislator eo facit, aut probat malum, sed permittendo regit, ac intra limites coërcet. (m)

13. Suadere, admonere, non est virtus Legis; cum *parendi necessitatem* ejusmodi decreta habere non possint, quales illæ Claudii Cæsaris, ut *uberi vinearum proventu bene dolia picarentur; nihil aeque facere ad viperæ morsum, quam taxi arboris succum. Vid. Sueton. in Claud. cap.* (n)

14. Denique proprietas legis, ut omnium præceptorum est, quod respectu *futuri* intelligatur, ad *præterita* non pertineat, nisi casus præteriti temporis diserte exprimantur. (o)

15. Habet Lex suam perfectionem statim atque decreta, etsi *non scribatur*, ut rhetræ Lycurgi fuere, cujus inter alia instituta fuit, *μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις* non *uti legibus scriptis*, ut tanto fidelius impressa memoriæ sanctius custodirentur. (p)

16. Vim quoque Legis habet *Consuetudo*, sive Jus non scriptum, quod tacito populi consensu vim obligandi accepit, *l.* XXXII. *ff. de Legib.* (q)

17. Proprie in *popularibus* Imperiis viget hæc species juris, nempe ut sua vi nitatur; Verum in *Monarchiis*, aut *Aristocratiis*, valet Consuetudo ex tacito imperantium consensu, sic tamen ut contrariis placitis semper abrogari queant. (r)

(l) *d. l.* §. 28. (m) *eod,* §. 28. (n) *d. l.* §. 29. & 30.

(o) *d. l.* §. 44. (p) *d. l.* §. 46. (q) *d. l.* §. 53. (r) *d. l.* §. 54.

CAP.

CAP. II.

De Magistratibus Creandis.

MInistri legum sunt MAGISTRATUS, quorum pridem habuimus definitionem, *Sect. II. cap.* 7. (a)

2. Quibus rebus, & quo jure præponantur Magistratus, è *differentiis* eorum intelligitur. (b)

3. Dividuntur autem primo in *Majores* & *Minores*, qui apud Romanos auspiciis discernebantur: hodie secundum plus aut minus momenti, quod singulorum functiones habent in Republicâ. Quæ res tamen & Romæ non minus intererat quam hisce diebus. (c)

4. Dein ratione *objecti* dividuntur, quod vel in regimine publico, aut in controversiis privatorum judicandis occupentur. (d)

5. Porrò sunt vel *ordinarii* Magistratus, vel *extraordinarii*. (e)

6. *Illi*, qui statis temporibus semper in Republicâ sunt; *hi* non aliter, quam usu aut necessitate postulante constituuntur, quales Romæ Dictatores, & Interreges. (f)

7. Quid si & in *civiles* aut *militares* dividere Magistratus audeamus, ut præfecti legionum, & tribuni militum, centurionesque, tam majores quam minores sint Magistratus? (g)

8. Sunt & aliqui *simul* tam civiles, quam militares, cujusmodi apud Romanos omnes fere majores, exceptis Censoribus, & Tribunis plebis: uti & olim *Tribuni Militum* cum consulari potestate, vel præcipue militares, & tamen Magistratus erant. (h)

9. Sunt etiam *perpetui* vel *temporarii* Magistratus, inter quos tamen, quod ad jus & potestatem, exigua, aut nulla differentia est; præstet autem perpetuos an ambulatorios habere Magistratus, ea Politicorum disputatio est. (i)

10. Forte etiam tolerari posset divisio in *Civiles* & *Ecclesiasticos*; quatenus summæ potestatis aliqui constituuntur Ministri, â quibus partes illius circa *Ecclesiæ externa* admistrentur. (k)

11. No-

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* I. *cap.* V. §. 10. (b) *Ibid.* §. 20. (c) *Ibid.* §. 21. (d) *Ibid.* §. 33. (e) *Ibid.* §. 17. *seq.* (f) *d. l.*

(g) *Ibid.* § 35 (h) *d. l.* §. 35. (i) *Ibid.* §. 36. (k) *Ibid.* § 42.

11. Notanda etiam hæc differentia, quod Magiſtratus alii conjunctim per modum *Collegii* functiones ſuas exerceant; alii ſingulares ſint perſonæ, quales Romæ plerique fuerunt. (l)

12. Ex quâ diverſitate oritur hæc inſignis diſcrepantia juris: quod ubi *ſinguli* in Magiſtratu ſunt, majores magiſtratus ſibi invicem non ſubordinantur, ut Romæ juris fuit notiſſimi. (m)

13. Sed ubi plures magiſtratus uno corpore juncti in eâdem functione ſunt, ibi ſinguli *privatorum* loco habentur, ideoque tam ad illud collegium ſuum, quam apud diverſa collegia recte conveniuntur. (n)

14. Denique, ſunt qui Magiſtratus dividunt, quod alii Regis, alii Regni ſint. *Regis*, qui ab Rege conſtituuntur, & rem Regis aulicam maxime curant: *Regni* volunt eſſe Magiſtratus, qui Reipubl. gubernandæ præficiuntur, ſive à Rege ſive à populo, eligantur aut confirmentur. (o)

15. Judicium hac de re noſtrum ſit, valere diviſionem, quatenus Populo *jus* aliquod *ſpeciale* & fundamentale quæſitum eſt, cui adſerendo certi Magiſtratus ſint præpoſiti. (p)

16. Multo magis in Regno legibus ſubjecto, ubi ſummæ vis poteſtatis penes populi *Ordines* aut Optimates reſidet. (q)

17. Sed in Imperio *ſimpliciter* uni vel pluribus delato, negamus hanc obtinere diſtinctionem, quia ſumma poteſtas, cujus miniſtri ſunt *Magiſtratus*, & à qua omnis inferior poteſtas derivatur, penes ſolos eſt Imperantes, ut pridem edocuimus. (r)

18. Creari Magiſtratus ab Imperantibus Summis res ipſa loquitur, & diximus dudum, utique *majores*: Nam quo minus *inferiores* per miniſtros creari curet, nihil de jure quidem obſtat. Quandoque per Populum creantur, aut *hereditarii* ſunt, quod tamen non minuit eorum à ſummâ poteſtate dependentiam. (s)

19. Digni an indigni, *gratis* an *pretio*, functionibus præficiantur, politice quidem & interni juris reſpectu intereſt multum, ſed externa facultate parum aut nihil refert; in primis ſi pretio nundinentur officia Reipubl. (t)

20. Quæri poteſt, an intrinſecus cum honeſtatis ratione convenire poſſit, quod ſummæ poteſtates ipſæ *pretium* officiis Magiſtratuum præſcribunt, ut quibus-

O dam

(l) *Ibid.* §. 20. (m) *d.* §. 20. (n) *eod.* §. 20. (o) *Ibid.* §. 23. (p) *Ibid.* §. 32.

(q) *d.* §. 32. (r) *Ibid.* § 24. (s) *Ibid.* §. 36. (t) *Ibid.* §. 50. *ſeqq.*

dam locis fieri vidimus, & videmus. Si *mores* adeo sint *corrupti*, ut sordibus nullo modo privatim abstineri queat; vel in *summa* rei communis *angustia*, fieri potest, ut nec Civitas peccet, quod sic publico quæstui servire, vel Procerum avaritiam eludere satagat. (v)

21. Sed lex de *pecunia pro suffragio*, vel Aulicorum in Monarchiâ, vel Regentium singulorum in Polyarchia, danda exigendaque, ratione vix ulla, nec quidem necessitate defendi potest, quanquam ejusmodi Constitutio extet Justiniani *in tit. C. de Suffrag.* (x)

22. Juris ratio non prohibet, unum civem *pluribus officiis* & honoribus fungi, modo functionibus omnium par sit implendis. Sed an expediat, honores ita cumulari, politica quæstio, & legibus cujusque Reipubl. terminanda fuerit. (y)

23. Spectant quoque ad *Politicam* hæ quæstiones: utrum senes, an juvenes; divites, an pauperes; esse debeant Magistratus; an plebeji cum nobilibus, advenæ cum indigenis admittendi. (z)

24. Quod ad Magistratus capiendos homines *coguntur*, id usum magis habet in Muneribus proprie dictis, quæ sine incommodo atque honore continent Reipubl. administrationem, quam in Honoribus. (aa)

25. Sed hæc à *Magistratuum* officiis, de quibus hoc loco, satis aliena sunt. (bb)

(v) *Ibid.* §. 53. *seq.* (x) *Ibid.* §. 56. (y) *Ibid.* §. 58. (z) *Ibid.* §. 59. (aa) *d.* §. 59. (bb) *vid.* §. 4. & 5. *ibid.*

CAP. III.

De Judiciis.

AD hoc reperta est sacra *Legum* reverentia, ut nihil proprio ageretur impulsu, adeoque vis abesset, ut bene olim Theodoricus Rex apud Cassiodor. *lib.* 4. *Var. Epist.* 4. (a)

2. Hinc

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* III. *Sect.* II. *cap.* I. §. 2.

2. Hinc summum *præceptum*, non esse singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, *l.* 176. *π. d. Reg. Jur.* (b)

3. Exceptâ *necessitate*, quoties sine certo periculo vel damno judex non potest exspectari. (c)

4. Res adeò est sanctissima *judicium*, quo ultimum in rebus humanis malorum evitatur Bellum. (d)

5. Definitur JUDICIUM, *legitima causæ disceptatio, quæ fit apud judicem, à parte actoris & rei, litis finiendæ gratia.* (e)

6. Disceptatio tam de *jure* quam de *facto* pertinet ad *Jus Privatum*, quod totum circa judicia, veluti cardinem suum vertitur. (f)

7. Sed constitutio & ordinatio judiciorum ad *Jus Publicum* merito refertur. (g)

8. Forte & *criminalia judicia*, quibus vigor disciplinæ publicæ vindicatur, recte *publici juris* dicuntur; quare & hodie publico nomine per Fisci Procuratores duntaxat vindicantur. (h)

9. *Civilia* sunt, quibus hi quorum interest, ad commodum pecuniarium sibi applicandum experiuntur. (i)

10. *Criminalia*, quibus ad publicam animadversionem, hoc est, ad mortem vel cruciatum corporis, aut exilium, vel mulctam fisco applicandam agitur. (k)

11. Horum divisio in *privata*, vel *publica*, Juris est Romani, non Universalis: Namque hodie de cunctis, uti dictum, criminibus publicæ accusationes instituuntur. (l)

12. Pleræque aliæ Judiciorum partitiones, quas habent ICti, à nobis alienæ sunt, præter unam, quâ dicuntur *ordinaria*, vel *extraordinaria*, sive *summaria*. (m)

13. *Illa*, in quibus ordo judiciorum solennis, plenaque causæ cognitio intervenit. *Extraordinaria*, quibus nec solennia servantur, neque exacta cognitio adhibetur. (n)

14. *Locum* habent, quoties vel periculum in morâ, vel celeritate opus est, aut res agitur non peremptorii præjudicii, vel inter partes ita convenit (o)

15. Porrò ex definitione Judicii liquet, *personas* id constituentes

(b) *d.* §. 2. (c) *d. l* §. 3. (d) *d. l.* §. 5. (e) *d. l* §. 6. (f) *d. l.* §. 7. (g) *eod.* §. 7. (h) *d. l.* §. 8.

(i) *d. Sect.* II. *cap.* II. §. 1. (k) *d* §. 1. (l) *d. l.* § 2 (m) *d. l.* § 7. *seqq.* (n) *d.* § 7. (o) *eod.* §. 7.

tes dari *tres principales*, Judicem, Actorem, & Reum: (p)

16. Judex est *vir bonus*, *juris peritus*, *ad lites terminandas publice constitutus.* (q)

17. Nulla igitur ratione *Hobbes* doctrinam artis legalis in *Advocatis* necessariam, in *Judice* prope supervacuam exstimat, *Angliæ* potius suæ, quam ingenii humani, morum, negotiorumque perplexam varietatem, ut videtur, considerans. (r)

18. *Officium judicis* in genere est, ita judicare, quemadmodum legibus & moribus est proditum, & meritum cujusque causæ ex *actis* & *probatis* postulat. (s)

19. Plane is, qui *summam* habet *potestatem*, aut qui datus est ita, ut judicati rationem nullam redditurus, (quanquam ita vix potest) actis scientiam suam potest præferre. (t)

20. Sed quorum sententiæ *retractari* possunt, his id nullo modo indulgendum; quia superior, qui errorem ejus corrigit, aliter de eo quam ex actis arbitrari potest. (v)

21. Is igitur se exoneret officio suo, ac inter *testes* potius auxilio veritatis adsit. (x)

22. Dein, per omnes judicii partes vertitur officium Judicis, initio ab *in jus vocatione* facto, quæ rectius multò jussu magistratus per apparitores fit, quam lubitu privato, sicut olim tumultuario Romæ in usu erat, ut probavimus in *Prælect. ad* §. *ult. Inst. de pœn. tem. litig.* (y)

23. *Privilegia fori* sunt quidem æque juris publici, at peculiaris & civilis, de quibus singularum scita gentium consulantur. (z)

24. Post *litis contestationem*, quæ perficitur intentione actoris, & contradictione rei, propria incipit disceptatio, & cognitio causæ, & ab hoc tempore *Judicii* appellatio stricte loquendo inchoatur. (aa)

25. Si de facto partes consentiant, de jure saltem ambigant, sequitur *decisio* immediatè. (bb)

26. Quod si & in facto discrepent, primò *interloquitur* judex, & *probationem* utrique injungit, quod illi tam argumentis, quam testibus, & instrumentis satagunt. (cc)

27. Cognita causa finitur sententia, quæ est *ultima judicis de re controversa pronunciatio*, *continens vel absolutionem rei*, *vel condem-*

(p) *d. Sect.* II. *cap.* I. §. 10. (q) *d. l.* §. 11. (r) *d. l.* §. 25. (s) *d. l.* §. 20. (t) *d. l.* §. 22. (v) *d.* §. 22. (x) *eod.* §. 21.

(y) *d. Sect.* II. *cap.* II. § 8. (z) *d. l. cap.* III § 24. *seqq.* (aa) *d. l. cap.* IV §. 3. (bb) *d.* §. 3. (cc) *d. l.* §. 6.

demnationem certam actoris, aut rei. (dd)

28. Lis finita dicitur *res judicata*; unde confestim victori *actio* nascitur. (ee)

29. At *executio* differtur aliquantisper; quâ in re civile fuit jus Romanum vetus, *XXX. dies* reis pecuniâ condemnatis pro laxamento concedens; *quadrimestre spatium*, quod novo jure datum, nimis enorme, *l. ult. C. de usur. rei jud.* Mores hodierni, qui *parum* aut *nihil* largiuntur, austeriores videntur. (ff)

30. Impeditur executio per *appellationem*; quæ nihil est aliud quam *querela super iniquâ sententiâ, aliove gravamine, ab inferiore facta ad superiorem.* (gg)

31. Differt ab appellatione *Relatio*, quæ duplex est; *una* cum judex, Principem expositâ facti specie super eâ consulit; hæc non impedit appellationem, *tit. C. de Relat. & app. l.* 35. *C. de Appellat. juncta l.* 1. §. 1. *ff eod.* (hh)

32. *Altera*, cum omnia & integra acta mittuntur ad Principem, ut is ipse ferat sententiam, cui sese judex parem non sentit, & ab hâc non potest provocari. (ii)

33. Perinde à provocatione differt *Querela denegatæ justitiæ*, quæ immediatè ad Principem fieri potest, vel ad eum qui vicem principis hactenus exercet. (kk)

34. Propter moras & sumptus judiciorum haud raro in *Arbitros* compromittitur, qui sunt privati homines, quos partes eligunt, ut litem instar judicum definiant. (ll)

35. Horum omnis potestas *Compromisso* continetur, quod tamen de rebus ad jus publicum pertinentibus; in quibus crimen aut infamia similisve causa vertitur; concipi non potest, sed tantum de his, quæ in arbitrio sunt privatorum, *l.* 32. §. 6. *de Rec. arbitr.* (mm)

36. *Sententia Arbitrorum* non parit actionem rei judicatæ, quoniam hæc publicam supponit auctoritatem, *l.* 1. *C. Arbitr.* (nn)

37. *Provocatio ab Arbitro* nulla potest fieri; quia nulla inter arbitrum, qui privatus, & judicem subordinatio inferioris ac superioris est. (oo)

38. *Reductio* quæ fit hodie, nec cum juris publici ratione, nec cum naturâ compromissi satis convenire videtur. (pp)

(dd) *d. Sect.* II. *cap.* VI §. 1. (ee) *d.* §. 1. (ff) *d. l.* §. 8. (gg) *d. l.* §. 19. (hh) *d. l.* § 30. (ii) *d.* §. 30.

(kk) *d. l.* §. 7. *&* *cap.* III. § 40 (ll) *d. Sect* II. *cap.* I. *l.* §. 41. (mm) *d.* §. 41. (nn) *d. l.* §. 42. (oo) *d. l.* § 41. (pp) *d. l.* § 45.

39. Id porrò sponte intelligitur, *Actorem* esse, qui provocat ad judicium; *Reum*, qui provocatur. (qq)

40. *Personæ minus principales* ad judicium necessariæ sunt, Scribæ, Executores, Apparitores, Viatores, denique Advocati, & Procuratores. (rr)

41. *Olim* ita juris publici erat *advocari & procurare*, ut à quovis pro quolibet institui possent; *nunc* aliò sensu publica sunt, ut à nemine quam cui venia data sit, illæ functiones exerceantur. (ss)

42. Quibusdam locis *Pocuratorum* officia, & *Advocatorum* pariter habentur, laudabili instituto; etsi dignitatis speciem minuat Advocatis, modo litigantibus sit compendio, sicut est evidenter. (tt)

(qq) *d. l.* §. 26. (rr) *d. l.* §. 27. (ss) *d.* §. 27. *seqq.* (tt) *d.* §. 31.

CAP. IV.

De Judiciis Criminalibus.

MOdus vindicandi maleficia duplex est, per *inquisitionem*, vel per *accusationem*. (a)

2. INQUISITIO fit immediatè à Magistratu, cum vel delicti ignotus est auctor; vel notus quidem, at à nemine postulatur. (b)

3. ACCUSATIO apud Romanos in certis & gravioribus delictis *cuilibet* è populo competebat; hodie omnium criminum soli ad eam rem constituto *Procuratori Generali* persecutio committitur. (c)

4. Non male, siquidem multa manerent *impunita* delicta, si accusator è populo esset expectandus. (d)

5. Querela tamen nec *hodie* privatorum excluderetur, si negligentiâ conniventiâve Procuratorum Generalium vigor justitiæ adversus quosdam remitteretur, quod nec graves Juris consulti à praxi horum temporum existimant alienum. *A. Matth. tract de Crimin ad lib.* 48. *ff. tit.* 20. *Cap.* 2. *n.* 2. (e)

6. Quin

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* III. *Sect.* II. *cap.* IV. §. 27. (b) *conf. Sect.* II. *cap.* I. §. 8. (c) *d.* §. 27. *cap.* IV.

(d) *eod.* §. 27. (e) *d.* §. 27.

6. Quin etsi *inquisitio* fiat, causa tamen per modum accusationis ac defensionis utcunque dispari formâ, agitanda & discutienda est, quanquam in hoc Mores variant (f)

7. Item ubique locorum, ubi Reus deprehenditur, judicium recte instituitur; rectius tamen ad *locum admissi*, modo id requiratur, transmittitur, & hoc *suprà* dictum. (g)

8. *Carcere* clausus celeriter examinandus judicandusque, ne mala mansio pœnæ loco cedat, nec omnino excedendum juris Romani *biennium*, sine gravi causâ, *l. Properand.* 13. *C. de Jud.* (h)

9. Sed gravissima quæstio hæc est: an, si probationes ad sententiam non sufficiant, quæstionem de Reis per *tormenta* habere liceat? usus temporum fert ita; multi tamen sapientes viri in alia omnia eunt. (i)

10. Leges equidem de tormentis probandas existimo, modo adsint *duo requisita*, & *una cautio*.(k)

11. *Primum*, ut crimen sit grave, quod sine magno Reipublicæ detrimento non potest ignosci.(l)

12. *Secundo*, ut adsint tam prægnantes præsumptiones, sola ut Rei confessio deesse videatur; ut judex, licet ad damnandum progredi nequeat, prope tamen certus sit animi, sontem esse Reum. *Vid. l.* 1. §. 1. *π. de Quæst.* (m)

13. *Cautio* est, ne confessiones extortæ pro exploratis facinoribus habeantur; sed ni cum judiciis & vestigiis facti, omnibusque circumstantiis, conveniant, fidem ne mereantur. (n)

14. His suppositis, legem de Quæstione *per tormenta* non esse improbandam, ea nobis ratio est; quâ & aliàs usi sumus, quod lex sit *ὁμολογία πόλεως communis Reipubl. sponsio*, cui sponte cives se submittere intelliguntur, quam proinde nemo injustitiæ adversus se aut alium quemvis arguere potest. (o)

15. Aut enim tota civitas perpetuo ingenti incommodo & discrimine laborare debebat, aut tale quid recipiendum, unde rarissime, nec nisi exquisitis casibus, immerito civis affligeretur. & *Malum* hoc *triste*, non *turpe* erat, ad quod sua se quemque voluntate boni publici causâ obligare posse dictum est *aliàs*. (p)

16. Damnatis POENA infligitur, quæ est *delicti coërcitio*, de qua sum-

(f) *d. l.* (g) *d. Sect* II. *cap.* III. §. 21 (h) *d. Sect.* II *cap* IV. §. 30. (i) *d. l.* §. 32. *&* 43. (k) *d. l.* §. 46. (l) *d. l.* §. 47. (m) *d. l.* §. 48. (n) *d. l.* §. 49. (o) *d. l.* §. 50. (p) *d. l.* §. 54.

summa regula est, quod pro quantitate peccati, gravior esse debeat, ut tamen crebrescentibus delictis ex usu possit asperari. (q)

17. Quanquam autem *Jure Naturæ* pœna à quolibet, qui paria non deliquerit, exigi possit, ut recte *Grotius* docet *d. lib.* 2. *c.* 20. §. 3. tamen nec Civitatis constitutio, neque divinæ Legis sanctitas, facile id cuiquam privato concesserint. (r)

18. Etsi quandoque publica autoritate jus puniendi *privatis* permittitur, non modo ad emendationem, ut Parentibus, & Propinquis; sed & ad satisfactionem & exemplum, ut Patri in filia adulterâ, *l.* 20. *π. ad L. Jul. adult.* (s)

19. Cæterum puniuntur non quilibet actus vitiosi, sed qui *humanam* lædunt *societatem*, quam quo magis violant, eò vindictam graviorem esse oportet. (t)

20. Spectari tamen debent *causæ*, quæ impulerunt, quæ retrahere debuerunt, *aptitudo* personæ delinquentis, ad judicandum de illis; *locus* & *tempus* perpetrati delicti; *qualitas* & *quantitas* facinoris; denique *eventus* qui subsecutus est; quæ omnia latius exequi non est hujus loci. *Vid. Grotius*, *d. cap.* 20. §. 29. & *seqq.* (v)

21. Id autem facile intelligitur, non alium quam *ipsum delinquentem* esse puniendum, neque ad posteros quicquam pœnæ propagandum, quod leges tam divinæ quam humanæ inculcant, *Sect. I. cap. III.* §. 12. (x)

22. Quanquam incommoda pœnæ parentibus inflictæ liberos premere possunt, veluti ex *publicatione bonorum* egestas eorum consequitur; quæ tamen hoc nomine reprehendi non potest, quasi personam delinquentis egrederetur. (y)

23. *Morte reorum* crimina pœnasque deleri, cum ad heredes nunquam transeant, per se clarum est. (z)

24. *Modi* quoque *custodiendi* reos criminum à pœnis diversi esse debebant, ideoque *Carcer* maxime *perpetuus* non immerito ab Romanis & veteribus cunctis fuit improbatus ad usum pænalem. *l.* 8. §. 9. *l.* 35. *π. de Pæn.* (aa)

25. *Crimen Majestatis* est, quod admittitur à subditis contrà summam potestatem; estque duplex, *Majestatis* in specie, vel *Perduellionis*, *l. ult. π. ad L. Jul. Majest.* (bb)

26. *Pri-*

(q) *d. l. cap.* V. §. 1 (r) *d. l.* §. 4. (s) *d. l.* §. 5. (t) *d. l.* §. 6.

(v) *d.* § 6. (x) *d. l* § 7. (y) *d.* §. 7. (z) *d. l.* §. 11. (aa) *d.* §. 11. (bb) *d. l.* §. 13. *seqq.*

26. *Primum* eſt, cum quis animo hoſtili adverſus Rempub. aliquid machinatur. (cc)

27. Cujus apud pleraſque Gentes *pœnas* non modo perſonas delinquentium, ſed & liberorum & propinquorum feriebat: cujus rigoris veſtigium in jure Romano ſupereſt, *l. Quisquis* 5. *C. ad L. Jul. Majeſt.* Sed hoc, ut videtur, præter rationem. (dd)

28. Sequitur *Peculatus*, qui nihil eſt aliud quam furtum publicum, cujus mi le modi formæque, proinde & variæ pœnæ.(ee)

29. *Repetundarum* tenentur, qui in Magiſtratu, poteſtate, curatione, legatione, aliove munere publico poſiti, pecunias acceperunt, quo magis aut quominus officio ſuo fungerentur. (ff)

30. De *Ambitu* tenentur, qui corruptis ſuffragiis honores petunt. (gg)

31. Crimen *Annonæ* committitur ab his, qui malis coitionibus hoc agunt, ut annona fiat carior; quod Romani mulctâ ſaltem xx. aureorum plectunt; ſed Carolus Cæſar V. pœnam capitis præſcripſit, *Conſt. Crim. art.* 113.(hh)

32. Crimen *Reſiduorum* committitur ab his, qui pecuniam in publicos uſus ſibi commiſſam intervertunt ſibique retinent. (ii)

33. Denique *Concuſſio* vocatur, cum quis obtentu poteſtatis, quam habet, terrore injecto, pecunias aliis extorquet. (kk)

34. Eſt & publicum crimen *Rupti* violative *aggeris*, *l. un. C. de Nil. aggerib. non rump.* (ll)

35. Privatam læſionem, ſed & publicam, manifeſtâ conſecutione præferunt, primo, *Homicidium*, quod jure divino ſanguine vindicandum, utique voluntarium, non invitum. (mm)

36. *Parricidium* ſumitur pro cæde alicujus, qui in rectâ ſanguinis lineâ nobis eſt conjunctus; reliquorum cædes propinquorum magis eſt, ut homicidia atrociora ſint, §. 6. *Inſt. de Publ. jud.* (nn)

37. *Adulterium* eſt corruptio mulieris alii nuptæ, *l. 6. §. 1. π. ad l. Jul. adult.* (oo)

38. In muliere igitur *adulterium*, in virgine viduaque *ſtuprum* committitur, *Levit.* 20. *v.* 13. *Deut.* 22. *verſ.* 22. (pp)

39. Recentiores Legiſlatores quur antiquum Jus Romanum, quo *relegatio* tantum in adulteros ſancita erat, facilitate ſuperare; quam & novum Conſtantini, & di-

(cc) *d. l.* §. 13. (dd) *d l.* § 15. (ee) *d. l.* § 21. (ff) *d. l.* §. 22. (gg) *d. l.* §. 24. (hh) *d. l.* §. 26.

(ii) *d. l.* §. 27. (kk) *d.* §. 27. (ll) *eod.* §. 27. (mm) *d. l.* §. 33. (nn) *d.* §. 34. (oo) *d. l.* §. 35. (pp) *d. l.*

divinum, & veterum Germanorum, aliorumque gravium populorum, quibus hoc *capitale* fuit, leges, imitari maluerint, nullâ idoneâ ratione probari poteſt. (qq)

40. *Stuprum* eſt corruptio virginis viduæque honeſtae; nam *meretricia* voluptas, etſi impunita, ut viſum Romanis, exemplo ebrietatis ſimiliumque vitiorum, eſſe non debet; æſtimatione tamen *criminis* diſtingui meretur. (rr)

41. *Perſecutio ſtupri* moribus hodiernis non malè exerceri videtur, in hanc ſententiam, ut vir ducat vitiatam, vel dotet. (ss)

42. *Vis* fertur duplex, publica & privata; *publica* vis dicitur quælibet atrocior, maxime quæ fit armis; & hinc *privata* intelligitur. (tt)

43. Ad publicam vim pertinet *Raptus* virginis viduæve honeſtæ, quem meritò Jus Romanum graviſſime perſequitur, capitali pœna, *l. un. C. de Rapt. virg.* (vv)

44. *Falſi* crimen eſt ficta veritatis imitatio, vel ſuppreſſio, in fraudem alterius facta, cujus plurimæ ſunt ſpecies, aliæ aliis graviores. (xx)

45. *Magia* propriè eſt crimen eorum, qui ope diabolicâ, præſtigiis artibusque vetitis graſſantur. (yy)

46. Puniendi quidem, ſed maxime, qui *nocendi* cauſam habent. (zz)

47. *Plagium* vocatur furtum hominis, cujus pœna uſque capitalem extendi poteſt, haud minus, quam *Raptus* ſine ſtupro, *l. ult. π. & C. de Plag.* (1)

48. *Abigeatus* eſt furtum majus pecudum ex agro vel ſtabulo abductarum, *l. ult. π. de Abig.* (2)

49. *Stellionatus* poſtremo dicitur omne crimen, quod ſpeciali nomine caret, à *Stellione* verſuto animali, quod ſe in omnes formas vertere dicitur; adeoque ſpecierum enumerationem hoc delictum, quaſi clauſulà generali, obſignat. (3)

(qq) *d. l.* §. 36. (rr) *d. l.* §. 37. (ss) *d. l.* (tt) *d. l.* §. 44. (vv) *d. l.* §. 45.

(xx) *d. l.* §. 46. (yy) *d. l.* §. 48. (zz) *d. l.* (1) *d. l.* §. 49. (2) *d. l.* §. 50. (3) *d. l.* §. 51.

CAP. V.

De Tributis, & Vectigalibus, &c.

AD hunc locum pertinent quævis commoda *fiſcum & ærarium* augentia, quorum pleraque in *capite*, *de minoribus Majeſtatis juri-*

juribus ita recensa sunt, ut in universali hac disciplinâ parum de illis supersit amplius dicendum.(a)

2. Vectigalia propriè sunt præstationes, impositæ rebus, quæ invehuntur & evehuntur. Tributa non habent relationem ad invectiones in, vel extra fines. Sed *Vectigalium* sæpe generalis appellatio est. (b)

3. Justissimus omnium Tributorum, Census videtur, quo secundum facultates divitiarum cives in contributionem vocantur; & forsitan magis ratione *fructuum*, quam *sortis* habitâ, quia alioqui fœneratores, & qui reditus capiunt faciliores, præ immòbilium possessoribus enormi præcipuo gauderent. (c)

4. Secundum hæc *Tributa*, quæ minus exhauriunt, & causis lucrativis imponuntur, veluti quod à *successionibus*, quæ ex latere propinquitatis, aut ab exteris veniunt, in universum præstare videntur. (d)

5. Tum *Vectigalia* rerum, quæ extra civitatem evehuntur, quæque aliunde aduehuntur; earum imprimis, quæ magis ad luxum & abundantiam, quam ad usus necessarios pertinent, quales sunt, quas Marcianus, in *l.* xvi. *π. de publicanis*, recenset. (e)

6. Ad *Censum* proximè accedunt præstationes, *agris & domibus* impositæ, quæ rebus semper cohærent, & à quolibet possidente exiguntur, etiamsi convenerit inter emptorem & venditorem, ut emptor tributum solveret. (f)

7. Imo & *reliqua tributi* non soluti, quæ ante venditionem cessérant, ab emptore solvenda sunt, quia fundum sequuntur. *Vid. tit. C. Sine censu, vel reliquis, fundum comparari non posse* (g)

8. Idem erit, si venditor *partem census* ab agro vendito in alium, quem habet vicinum, transtulerit, tametsi possessionis censualis translatio publicis actis inserta fuerit; semper enim fundus *vetusto censui* manet obnoxius, nisi à Principe permissa sit translatio, *eod. tit.* (h)

9. Rebus ad *vitæ usum* necessariis, liberisque *capitibus*, non nisi summa urgente necessitate vectigal imponendum: sed hæc ad politicam vergunt. (i)

10. *Immunitas* concessa ad heredes aut posteros non pertinet, nisi

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *sect.* III. *cap.* I. §. 6. (b) *Ibid.* §. 16. (c) *Ibid.* §. 41. *seqq.* (d) *Ibid. d.* § 6.

(e) *Ibid. d.* §. 16. (f) *Ibid* § 7. (g) Auctor in *Præl. ad tit. Qui pot. in pign.* §. 7. (e) *d. l. & in Op. Mai. d. cap.* I. §. 43. (i) *d. cap.* I. §. 17.

nisi diserte privilegio sint comprehensi, *l.* 1. §. 1. *π. de jur. immun.* Et mentione *posterorum* simpliciter facta, rationem habet, quod Lege Romana santitum, posteros feminei sexus non intelligi, sed masculinos duntaxat, *d. l.* 1. §. *ult.* (k)

11. *Collegiis* vero data immunitas, veluti Academiis, perpetua quamdiu durat collegium, esse intelligitur, *l. pen.* §. *pen. eod* (l)

12. Quia tamen vim majorem non habet immunitas, quam *privilegium*, ideo lege contraria tolli & aboleri potest; nisi per contractum promissa & adsignata sit; quo casu jus quæsitum auferri non potest, nisi id quod interest in vicem præstetur. (m)

13. Immunes autem fere sunt perpetuo, *Res fisci*, res exercitibus paratæ, & Præsidum provinciarum, *d. l.* 4. §. *pen. l.* 9. §. *pen. & ult. eod.* studiorum quoque honori datum sæpius, ut *Academiæ*, ibique tam docentes, quam discentes, ab oneribus vectigalium liberarentur. (n)

14. His etiam, qui loca palustria aut eluvione maris vadosa, aliterve inculta emendant & frugifera faciunt, urbesve desertas frequentant, meritò immunitate, saltem ad tempus, sublevantur, *l.* 3. *C. de Alluv. & palud.* (o)

15. *Tributa*, sive *Census*, plerumque immediatè colliguntur. *Vectigalia* proprie dicta solent locari, quia diligentius quæritur pecunia ab his, quorum privatim interest, quam ab iis qui Rempublicam administrant. (p)

16. Qui conducunt vectigalia, *Publicani* dicuntur, odiosum cunctis gentibus nomen, tam ob exactiones, quibus vexant cives, quam ob invisum per se institutum, *l.* 12. *π. d. Publican.* (q)

17. *Pœna* eorum, qui res munificas, sive tributo obnoxias non profitentur, est hæc ubique, quod res celatæ cadunt in *commissum*; & in fiscum, publicani sæpe commodo, redigantur, *l.* 11. §. 2. *d. tit.* (r)

18. Cæterum Vectigalia, sine *Principis jussu*, neque à Magistratibus, neque ab ipsis publicanis augeri, vel minui, vel reformari possunt. (s)

19. Vigor etiam publicæ utilitatis postulat, ut *Reliquatores* publicanorum corporaliter plectantur, nisi perspicue docere queant, nec cupiditate, neque negligentiâ

(k) *Ibid. d.* §. 37. (l) *eod.* §. 37. (m) *Ibid.* §. 38. (n) *Ibid.* §. 39.

(o) *d.* §. 33. (p) *Ibid.* §. 18. *seqq.* (q) *d.* §. 18. (r) *Ibid.* §. 29. (s) *Ibid.* §. 25.

tiâ suâ, verum fato accidisse, quominus solvere possent. (t)

20. Est & hoc rationi consentaneum, ut qui maximos fructus ex redemptione vectigalium consecuti sunt, si postea minime tanti locari queant, iidem ea *prioribus pensionibus* suscipere compellantur, ut Romanis usitatum erat; hodie non perinde servatur, *l.* 11. §. *ult. eod.* (v)

21. *Debitores* autem *fisci*, vel Reipubl. vectigalia conducere prohibentur, nisi forte tales obtulerint fidejussores, qui & reliquis eorum satisfacere parati sint, *l.* 9. §. 2. *&* 3. *eod.* (x)

22. Denique, si *pensionibus* facta sit locatio, prioribus non solutis, pellere licet conductores, tempore licet conductionis necdum impleto, *l.* 10. §. 1. *eod.* (y)

(t) *Ibid* §. 20. (v) *d.* §. 20.

(x) *eod.* §. 20 (y) *d.* §. 20.

CAP. VI.

De Jure Reformandi Civitatem.

FRequenter ita accidit, ut vel jura Civitatis administrandæ ab initio malè collocata sint, vel rectè posita deinde corrumpantur; atque ut ita *Reformatione Reipubl.* opus sit. (a)

2. *Quæstio Juris* imprimis heic est: quis reformationem instituere, quis petere possit? (b)

3. Et quidem sine hæsitatione dicendum est, eam non posse fieri ab aliis, quam qui jus habent *Imperii Summi;* formare enim atque reformare est ejusdem facultatis. (c)

4. Proinde in *Populari Imperio*, quod ad jubendi potestatem attineat, proficisci debet ab ipso populo; suadendi auctoritas à viris sapientibus oritur. (d)

5. Talis erat *Attici Populi* conditio, priusquam *Solon* ejus statum reformaret, qui volenti populo reformationem imposuit. (e)

6. Diversum *Lycurgi* exemplum fuit, is enim leges suas reformatorias

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* III. *cap.* IV. §. 1. (b) *d. l.* §. 2.

(c) *d.* §. 2. (d) *eod.* §. 2. (e) *d. l.* §. 3

torias per vim tulit; Βίᾳ μᾶλλον ἢ πειθοῖ χρησάμενος, *vi magis quam persuasionibus utens*, ait Plutarch. *in vita Sol. p. 87. ed. Par.* (f)

7. At secuta *Populi Laconici* approbatio non modo juris vim, sed incomparabilem quoque gloriam *Lycurgo* addidit, quam meretur hoc unico in rebus humanis exemplo ab orbe condito, ut in in tota aliquâ gente πλοῦτος esset ἄτιμος, ἄζηλος, & reverâ ἄπλουτος; *divitiæ inhonoratæ*, *contemptæ*, imò *non Divitiæ* forent. (g)

8. In *Aristocratiis*, atque *Monarchiis*, reformatio non nisi per eos, qui Summum habent Imperium stabiliri potest. (h)

9. Non posse *privatos* Imperantibus in hoc genere quicquam præscribere jam diximus; *preces*, supplicationesque in hunc finem illicitas reputare non licet; utique in universum: si enim hoc prætextu *fomenta seditionum* quærantur, ut aliquando accidit; maxime, si cœtus concionesque ea gratia instituantur, ipsæ quoque supplicationes hujus generis prohibendæ sunt. (i)

10. Tu dices: qui formavit Imperium, ejus est, idem reformare; sed *populus* dedit primam Imperio formam; ergo in omni Republ. populus efficaciter urgere potest reformationem. (k)

11. At nos *Sect. I cap. 9. & seq.* abunde probavimus, Imperio *simpliciter* translato, populum semet ipsum privasse potestate Reipublicæ curandæ; nec est dubium, quin hæc *positio* concessa quælibet Imperia redderet democratica, & confusionibus obnoxia turbulentis. (l)

12. Ex his porrò sequitur, *Reformationem* nullo modo peti posse, tanquam ab iis faciendam, qui sunt *extra Rempublicam;* imo quoties cives ejusmodi querelas petitionesque reformandi corrigendique regimen civitatis suæ deferunt ad externas Potestates, hi se manifesto reos *Majest. læsæ* præbent. (m)

13. Quomodocunque facta *Reformatio*, fere ita vitio ingenii humani accidit, ut brevi exolescat. Unica ratio constabiliendi reformationem est, *executionem* ejus, observationemque *legum*, diversis in Republ. Ordinibus committere, quorum utilitates atque respectus sibi invicem ita adversi sint, ut conspirare nequeant, sed alii aliis invidere, mediaque *aemulatione* se mutuo & impellere & impedire debeant. (n)

14 Op-

(f) *d. l.* §. 4. (g) *d. l.* §. 7. (h) *d. l.* §. 9. (i) *d. l.* §. 10.

(k) *d. l.* §. 11. (l) *d.* §. 12. (m) *d. l.* §. 13. (n) *d. l.* §. 14. *seqq.*

14. Optimus alioqui Reformator est *Deus*, qui calamitatibus immissis ipsos Imperantes sæpe cogit, ut ni ipsi cum Republicâ interire malint, instituta prava mutare, publicæque saluti cogantur velificari. Cæteræ omnes vix aliud efficiunt, quam ut palam fiat, *quibus flagitiis impares simus*; hujusque dicti veritas innotescat: Reformatione factâ, magis alios homines quam alios *mores* nasci. (o)

15. Sed pluribus hanc rem persequi Doctorum est *Politicorum*, quibus alia multa in hoc loco inculcanda sunt. (p)

(o) *d. l.* § 16.

(p) *d. l.* §. 17. *seqq.*

CAP. VII.

De His, quæ Exteri sibi invicem debent.

SEquitur, quid Juris Publici adversus EXTEROS, qui sub eodem nobiscum imperio non degunt, cuique Civitati sit observandum. (a)

2. Et *primò*, quæ *necessitas* postulat, ea sibi invicem exteri debent: proinde, ut si qua civitas fame laboret, frumentum à vicinis petere potest, precio justo. Si quis *populus virorum* sit, is matrimonii copiam, quâ ex se frui nequit, jure petit à vicinis (b)

3. *Secundo*, quæ sunt *innoxiæ utilitatis*, ea jure à quovis populo petuntur. (c)

4. Hinc non modo ignis & aquæ copia indigentibus danda; sed & *transitus* per terras & aquas patere debet eis, qui hoc transitu opus habent ad causas justas; modo *cautionem* securitatis sufficientem petentibus præstent. (d)

5. Sed & commoratio ad tempus, & perpetua *habitatio* his, qui sedibus suis pulsi sunt, negari non potest; modo *imperium* agnoscant, & recipi possint. (e)

6. Nam ut quisque *suum* quod occupavit secure teneat, non minus primæva hominum conventione statutum videtur, quàm ut res

(a) *Auctor in Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* I. §. 1. (b) *Ibid.* §. 2. (c) *ibid.* §. 3.

(d) *d.* §. 3. (e) *eod.* §. 3.

res dividerentur; ideoque hujus rei *cautio* semper excipienda est. (f)

7. Hinc tempore belli jure suscepti, licet occupare locum in *solo pacato* situm, quoties certum periculum est, ne hostis eum locum invadat, ac inde gravissima damna nobis infligat, multo magis, si jam hostis eum teneat, & inde nobis noceat. (g)

8. Forte ex eodem *fundamento* rectè statuetur, posse vicinum impediri, ne in suo fine aliâ causa, suâque evidenti utilitate, *munimentum* nobis propinquum extruat; aut aliud quid faciat, unde justa formido periculi oriatur, idque non minus quam quilibet recte prohibetur aliquid in suo, re suâ non postulante, facere, quo damnum rebus nostris inferatur. (h)

9. Eòdem pertinet *quæstio*, an Regi aut populo præpotenti, cujus viciniam timeamus, impugnanti regionem, qua captâ, nobis & vicinus sit futurus & nocendi validus, ob hanc causam impedimento esse liceat, ne quod intendit hoc obtineat, quod ex eâdem sequela videmus disputari. (i)

10. *Responsio* est, tametsi, ut se res habent humanæ, in suasoriis hæc causa maxime valeat, justificam per se semperque non videri. (k)

11. Quid enim si lacessitus arma moveat? si optimo jure suam petat ditionem? nobis ob metum incommodi nostri, bello utentem suo jure, licebit aggredi? si hoc, *Politica* est, jus non est. (l)

12. Aliud fuerit, si tali certitudine, qualis sufficit in moralibus, constet, impugnari urbes alienas vel ad hoc maxime, ut *nobis* deinde noceri possit. (m)

13. Hoc quoque *Jus Naturæ* permittit, imo jubet, ut iis qui vim injustam ab aliis patiuntur, suppetias feramus; injurià modo sit manifesta. (n)

14. Multo magis idem licebit, vi *fœderis* icti prius cum eo qui oppugnatur. (o)

(f) *Ibid.* §. 4. & 5. (g) *d.* §. 5. (h) *Ibid.* §. 6.

(i) *Ibid.* §. 7. (k) *d. Sect.* IV. *cap.* IV. §. 32. (l) *d.* §. 35. (m) *Ibid* §. 33. & 35. (n) *d. sect.* IV. *cap.* I. §. 8. (o) *d. cap.* IV. §. 35. *fin.*

CAP.

CAP. VIII.

De Conflictu Legum in diversis Imperiis.

HOdiè, scissa in infinitas Civitates sibi mutuò non subjectas Europa, fit omni die; ut negotium, alibi inchoatum vel celebratum, alibi effectum habeat vel judicetur; atque tunc est *quæstio*, utrum jus ejus loci, in quo acta res fuit, an ubi exitum habet, vel judicatur, sequi oporteat? (a)

2. Nos quam poterimus, facillime brevissimeque hoc caput explicabimus, præmissis fundamenti loco *tribus positionibus* indubitatis, ut arbitramur. (b)

3. Prima *sit*: *Leges cujusque Reipubl. tenent obligantque cunctos eidem Imperio subjectos, nec ultra.* (c)

4. Secunda: *Pro subjectis habentur, quicunque in territorio cujusque Civitatis reperiuntur, quamdiu illic commorantur*, *l.* 7. §. 10. *π. de Interdict. & releg.* (d)

5. Tertia: *Summæ Potestates cujusque Reipubl. indulgent sibi mutuo, ut jura legesque aliorum, in suis territoriis effectum habeant, quatenus sine præjudicio indulgentium fieri potest.* (e)

6. *Exempla*, quibus utemur, ad juris privati species maximè quidem pertinebunt; sed judicium de illis, tantum Juris Publici rationibus constat, atque exinde definiri debet. (f)

7. Hinc constanter receptum est: Actus viventium factos secundum *requisita legalia* locorum, in quibus celebrantur, ubique gentium valere, effectuque judiciali potiri. (g)

8. E contrario, si in vicinia factum sit testamentum, aliusve actus *contra leges* istius loci, judices diversarum provinciarum è tali instrumento jus non dicunt. (h)

9. Neque tantum pertinet hæc ratio ad formam *instrumentorum*, quæ de negotiis inter vivos, aut mortis causâ conficiuntur; sed ad ipsa quoque *negotia*, hominumque actiones. (i)

Q 10. De

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* I. §. 12. *med.* (b) *d. l.* §. 13. *fin.* (c) *d. l.* §. 14. (d) *d.* §. 14.

(e) *eod.* §. 14 (f) *d.* §. 14. *fin* (g) *d. l.* §. 15. (h) *d. l.* §. 17. (i) *d. l.* §. 18.

10. Detur exemplum: *matrimonium*, si justæ sunt nuptiæ illic, ubi contractæ sunt, valet ubique; si non valeant illic, nusquam subsistunt; hoc ita, nisi præjudicium nostris juribus, ordinique Civitatis inde creetur. (k)

11. Exemplum: In Brabantia duxit aliquis *filiam fratris* cum dispensatione Pontificis; Ille, si huc migret non animadvertetur, ut putem. Quod si *Frisius* hinc se in loca Pontificia conferens, ibi neptem è fratre vel sorore duxerit; vix est, ut heic tolerandus videatur, quia pertinent ejusmodi conatus ad manifestum juris ordinisque nostri contemptum. (l)

12. Alius usus: contractum est matrimonium in Batavis, ubi *communio bonorum* universalis viget, ni pactis dotalibus aliter sit cautum; an etiam bona sita in *Frisia*, ubi matrimonium non mutat neque confundit dominia rerum, communicabuntur cum altero conjuge? Communicabuntur, quia spectatur *locus initi matrimonii*, & quia videtur hæc esse voluntas contrahentium, quæ ubique debet habere effectum. (m)

13. Alioqui bene receptum est: *Immobilia* sequi jus loci, in quo sita sunt; *Mobilia*, cum non faciant partem territorii, sed affectionem ad personam ultimi possessoris habeant, sequuntur jus loci, in quo ille defunctus est. (n)

14. Nequidem expressâ partium voluntas operari potest adversus *leges*, quæ in singulis Civitatibus specialiter rebus immobilibus impositæ sunt. (o)

15. Exempli gratia: Frisius habet res soli in *Omlandiâ* nobis vicinâ, ubi non licet testari de rebus immobilibus; vult ille tamen eas res extraneo relinquere. Quæritur an possit? non potest. (p)

16. Ita juris est in *rebus*. In qualitatibus *personarum* spectatur ubique jus loci, in quo cuique personæ certa qualitas impressa fuit. Eum characterem persona quæque per omnia loca circumfert, omnesque judices hactenus agnoscunt *jus loci originalis*; quatenus etiam hac parte nihil præjudicii diverso Imperio creari videatur. (q)

17. Hinc, qui in patria major vel minor annis, prodigus, aut curæ alienæ obnoxius habetur, vel factus est; hic ubique censetur, *eodemque jure* gaudet in omni Republ. quo ibi majores minoresve, prodigi, curæve obnoxii, gaudent; etsi juxta leges illius

(k) *d. l.* §. 20. (l) *d.* § 20. (m) *d. l.* §. 21.

(n) *d. l.* § 22. (o) *d. l.* §. 24. (p) *d.* §. 24. (q) *d. l.* §. 26.

lius Reipubl, pro talibus non haberentur. (r)

18. Exempli gr. in provincia *Trajectinâ* pro majore habetur, qui unum, ni fallor, & viginti annos implevit; hic in *Frisiâ* res immobiles sine decreto potest vendere, quia majoribus ætate competit hoc jus in Frisiâ, licet ille secundum leges nostras pro majore non habeatur. (s)

19. Qui heic *veniam ætatis* impetravit, is alibi quoque pro majore habetur, ideoque si malè contraxit alibi, non restituetur in integrum, etsi hoc beneficium ejus ætatis hominibus illic tribuatur, (t)

20. Tenendum igitur: quemlibet agnosci in *eâ qualitate*, quam in Patriâ acquisivit, ibique eodem jure gaudere, quo personæ ejusdem qualitatis in eo loco, non in Patriâ fruuntur. (v)

21. Exemplo: *Filius familias* utcunque dives & major annis non potest in Frisiâ legare de suis bonis; in Hollandia potest. Proficiscatur igitur filius aut filiafam. nostras in Batavos, faciat ibi *testamentum*; quæritur, an valeat? Videtur: attamen non valebit heic in Frisiâ, quia licet actus in se initioque sit validus, institutus tamen est in fraudem Juris Frisici, atque ad illud eludendum, quod nostræ Potestates approbare non debent. (x)

22. Nec enim tenentur Potestates sequi jus alienum in fraudem sui juris vel civium suorum. Sit hoc exemplum: *Jure Civili* creditor hypothecarius res etiam mobiles debitoris sui à tertio possessore potest evincere, quod apud nos observatur; in Hollandiâ secus. *Creditor* ex hypothecâ in Frisiâ contractâ vult agere contra possessorem rei mobilis sibimet oppignoratæ in Hollandiâ. Nihil aget, si justo titulo bonaque fide res ibi possideatur; quia tum jus ei possessori quæsitum est, quod ei per leges apud nos receptas, licet heic contractus sit celebratus, auferri non potest. (y)

(r) *d.* §. 26. (s) *d* §. 26. (t) *Ibid.* (v) *d. l.* §. 27.

(x) *d. l.* §. 28. (y) *d. l.* §. 29.

CAP. IX.

De effectu Jurisdictionis in alieno territorio.

Notum eſt: *Nemini extra territorium ſuum juris dicendi eſſe facultatem*, *l. ult. π. de Jurisdict.* (a)

2. Sed Poteſtates *diverſorum Imperiorum*, jurisdictiones aliorum, etiam in ſuo territorio, agnoſcunt atque tuentur, quatenus ſine præjudicio ſuo civiumque ſuorum fieri poſſit. (b)

3. Hinc ſi is, qui ſe *extero judici* ſubmiſit, in hujus territorio deprehendatur, ibi proculdubio in jus vocari detinerique poteſt. Atque, ſi tum receſſerit, denuoque in eadem causâ citandus ſit, tum *judex* ejus *ordinarius*, non debet negare citationem requiſitus; quia non expedit utilitati populorum communi, ut jurisdictio ſemel legitime fundata, litisque diſceptatio inchoata intermoriatur. (c)

4. Idem habebit locum, ſi contractus in *certo loco* celebratus ſit, debitorque alibi habitet; at ſi res, de quâ litigatur, ſub eadem jurisdictione ſita ſit, etſi dominus alibi degat, Judex ejus ordinarius non gravabitur requiſitus, eum compellere ad ſiſtendum ſe illic, ubi res immobiles ſitæ ſunt. Unde apud omnes gentes, in judiciis, quæ in rem ipſam diriguntur, *ſitus rei immobilis* tribuit forum. (d)

5. Idem juris accidit ob *connexionem cauſarum*, quando negotium in uno loco vertitur, cujus participes in aliâ civitate degunt. (e)

6. Idem in cauſâ *reconventionis*: civis Batavus convenit Noſtratem apud hoc forem. Hic reciprocam actionem adverſus ipſum inſtituit in eodem foro; debet ſe defendere, & ſi ob cauſam in ea lite incidentem citetur in ſuâ civitate, non debet negare Judex loci *requiſitoriam* citationem. (f)

7. Poteſt etiam, quando jurisdictio in exterum, ita uti diximus, fundata eſt, citatio *per Edictum* fieri, cujus inſinuatio tum peti-

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* I. §. 32. (b) *d.* § 32. (c) *Ibid.* §. 33. & 34.

(d) *Ibid.* §. 35. (e) *Ibid.* § 37. (f) *d.* §. 37.

petitur à judice Rei citati, quam ſi ille neget, cauſæ tamen cognitio procedit. (g)

8. Quod autem *delicta* ubivis terrarum admiſſa puniri poſſunt, ubicunque malefici reperiuntur, non eſt juris extraordinarii, ſed è natura jurisdictionis, ſummæque poteſtatis immediate fluit; & ratio ſalutis humani generis exercitium illius regulæ in criminibus maxime commendat, ut & *Remiſſionem* in locum delicti admiſſi; quæ peti, non exigi, aut flagitari poteſt. (h)

9. Quod juris eſt inter populos diverſi Imperii, id etiam valet inter urbes pagosque *ejusdem Reipublicæ*, cum hoc diſcrimine; quod ſi Magiſtratus rei citati, nolint requiſiti permittere evocationem, ubi cauſa juſta apparet, à *Superiore* compelli queant. (i)

10. Ita ſe habet hoc jus circa in jus vocationem, citationesque durante lite faciendas; ſequens conſideratio eſt de *ſententiis*, quas ab alio judice latas in alia civitate non habere vim effectumque ſua vi, clarum atque certum eſt. Sed *utilitas*, imo neceſſitas adigit Poteſtates diverſorum Imperiorum, ut res uno loco judicatæ ab his qui jus ibi judicandi habebant, *ubique locorum* obtineant; & requiſiti judices aliorum ſententias executioni mandent, tam in cauſis civilibus quam in criminalibus. (k)

11. Niſi forte jurisdictionis noſtræ, civiumque noſtrorum gravius interſit. Exemplo ſit hæc ſpecies: *Homicidium* apud nos eſt admiſſum, Reus evadit è noſtris finibus, & in viciniam ſeſe confert. Illic ſe judicio ſiſtit & abſolvitur; petitur in patria ipſius, ut ſententia executioni detur. Habent illi cauſam recuſandi; quia pertinet exemplum ad ſuam jurisdictionem eludendam. (l)

12. Alioqui non eſt judicum aliorum inquirere in ſententias, nec, ſi Princeps diverſæ Civitatis *veniam dederit* homicidii aliusve delicti, in ſuo Imperio admiſſi; homicida, licet noſter civis, ſine metu apud nos verſabitur. (m)

13. Ex eadem cauſa juris etiam ac moris eſt, ut quicquid ad ordinem judicii, naturamque actionum inſtituendarum pertinet, obſervetur ſecundum *jus loci*, ubi cauſa cognoſcitur & judicatur, non ubi res geſta fuit. (n)

14. Ex his omnibus palam eſt;

 ne-

(g) *Ibid.* §. 38. (h) *Ibid.* §. 40. & 41. (i) *dd.* §§. 40. & 41. *junc. Prael. ad. t. D. de Cuſt. & exh. Reor.*

(k) *Ibid.* §. 42. (l) *Ibid.* §. 43. (m) *d.* §. 43. & 44. (n) *Ibid.* §. 46.

neque leges, neque Jurisdictiones alienas, ullum effectum habere in aliis territoriis, quam ex *voluntate populorum*, Sicut hodieque *Jus Romanum* in Europa viget, aut languet, ut visum cuique populo, cujus peculiaria scita Romanis legibus ubique prævalent, alibi rarius, alibi crebrius. (o)

(o) *Ibid.* §. 47.

CAP. X.

De Legatis.

Quia summopere omnium interest populorum, commercia, amicitiæque officia propagari; aut si bellum sit ortum, id quam primum componi; ideo LEGATI Jure Gentium eximio jure sunt præditi. (a)

2. Est autem LEGATUS nihil aliud, quam Nuncius publicus; vel, si definitione opus, qui cum mandatis publicis ab eo, qui summam habet potestatem, mittitur ad exteros. (b)

3. *Divisio Legatorum* vix à Veteribus ulla traditur; sed moribus hodiernis varii characteres, nomina varia usurpantur, quæ tamen nihil quam *dignitatem*, jus haud magnopere variant. (c)

4. Præcipua divisio est in *Ordinarios*, qui sedem uno loco, moramque longiorem faciunt, ut de omnibus negotiis quotidie occurrentibus agant; & in *Extraordinarios*, qui de certis rebus specialiter sunt missi. (d)

5. Illos *Grotius* antiquis ignotos non ita pridem à Ferdinando Arragonio, cujus summa consiliorum in explorandis aliorum consiliis erat, introductos, ideoque non necessarios, forte nec utiles videri scribit, *lib. II. cap.* 18. *n.* 3. *de I. B. & P.* (e)

6. *Hodie* tamen ita usurpantur, ut sine illis amicitia vix stabilis inter populos diversos coli videatur, etsi nec minus usum habeant *exploratorum*. (f)

7. Quæsita de *Legatis* hoc loco in-

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* II. §. 1. (b) *d. l.* §. 2. (c) *d. l.* §. 7. (d) *d. l.* §. 8. (e) *d.* §. 8. (f) *d. l.* §. 9.

inprimis *duo* sunt: *prius*, an semper admittendi? *secundum*, an usque in infinitum inviolabiles? (g)

8. *Admissio Legatorum* sine gravi causa non potest recusari; sunt autem rationes hæ ferè: si, qui mittit legationem, amicitiæ causam obtendens, verè interim *arma* intentet. (h)

9. Si sceleribus infamis sit, aut ei, ad quem mittitur, *certis* de *causis* admodum ingratus sit. (i)

10. Denique, si causa mittendi *suspecta*, vel indigna sit (k)

11. *Alterum* singulare in *Legatis* est, quod *sancti* sunt, hoc est, ut vocis fert proprietas, inviolabiles; non modo ab injuriis, sed & ab iis molestiis, quæ alioqui illis jure creari possent; nec quidem in his, quæ sunt Juris Naturæ ac Gentium, *delictis* pœnæ sint subjecti. (l)

12. Nam si liceret ex causis crediti, vel criminis vulgaris, aut machinationis fraudulentæ, vel hostilis, detinere & plectere *Legatos*, vix unquam deessent prætextus persequendi vexandique illos. (m)

13. Accedit, quod eum, à quo sunt missi, repræsentent, ideoque *subditorum* loco haberi nequeant. (n)

14. Quâ ratione novissimo congressu orbis Christiani, qui fuit *Noviomagi*, instante, Fœderati Belgii Proceres Edictum publicârunt, re antea controversâ, ne liceret crediti aliâve causâ Legatis ullam creare molestiam. (o)

15. Adeò ut casu *gravioris delicti*, nihil ultrà in Legatum decerni posse videatur, quam ut finibus egredi jubeatur; ac ab eo, qui miserit, puniri postuletur. (p)

16. Nec modò *personæ Legatorum*, sed quicquid ad eos pertinet, eâdem sanctione continetur, quatenus ex jure tralatitio, accessoria sequuntur jus & naturam sui principalis. (q)

17. At hæc omnia non aliter habent locum, quam si absque periculo nostro *Legatis* parci queat; denique per modum *defensionis* etiam jure offendi, & male mulctari possunt. (r)

18. Quin etiam, si ipso *facto vim* inferant, vi illis resistitur, & si cadant, jure cæsi intelliguntur. (s)

19. Obligatio autem de non violando duntaxat inter *Mittentes* & eos, ad quos mittuntur Legati,

(g) *d. l.* §. 10. (h) *d.* §. 10. (i) *eod. loc.* (k) *d.* §. 10. (l) *d.* §. 11. 12. 13. (m) *d.* §. 13.

(n) *d.* §. 12. *&* 14. *fin.* (o) *d. l.* §. 14. (p) *d. l.* §. 15. (q) *d. l.* §. 17. (r) *d. l.* §. 19. (s) *d.* §. 19.

ti, intercedit, ad *tertium* non pertinet. (t)

20. De reliquis ad hoc caput videsis Grotium *d. cap.* 18. *& tractatum* Wicquefortii *de Legatis, nuper editum.*

(t) *d. l.* §. 20.

CAP. XI.

De Fœderibus.

LEgati primò omnium ad exteros dimittuntur, ut FOEDUS contrahant, quod nihil eſt aliud, quam *conventio inter diverſas Civitates non tranſitoria*; ut ab aliis contractibus, in quibus nihil poſt conventionem remanet, diſtinguatur. (a)

2. Fœdera ſunt *æqualia* aut *inæqualia*; utraque vel *pacis* ſunt, vel *ſocietatis:* pax bellum ſequitur, & in noſtra quoque methodo ſequetur. (b)

3. *Societates* maximè de commerciis, aut de bellis ineuntur, aut ſi quæ res aliæ ſint. (c)

4. De *Commerciis*, velut ne vectigalia aut omninò, aut ultrà modum certum exigantur, aliaque infinita. (d)

5. *Societas bellica*, vel eſt de bello pariter communi nomine gerendo, vel de auxiliis alteri præſtandis. (e)

6. Prius eſt vel *offenſivum*, ut vulgo loquuntur, vel *defenſivum*; & rurſus utrumque, vel ad certa, vel ad omnia bella. (f)

7. *Offenſivum ad omnia*, eſt id quod Græci ξυμμαχίαν vocant, quo Athenienſes & Spartani ſuos ſinguli ſocios habebant conjunctos, ſub ipſorum ducatu. (g)

8. *Offenſivum ad certa bella* quid ſit, hoc per ſe patet; ut & *defenſivum*, tam ad omnia, quam ad certa bella; vel denique cuncta, ſub exceptione tamen quorundam. (h)

9. Ea, quibus ſe Populus aut Princeps ad *cuncta* promiſcuè bella adjuvanda obſtringunt, tam nocendi

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* III. §. 1. (b) *Ibid.* §. 3. (c) *d.* §. 3. (d) *eod.* §. 3. (e) *Ibid.* §. 4. (f) *d.* §. 4. (g) *Ibid.* §. 5. (h) *d.* §. 5.

cendi quam tuendi causâ, vix juri consentanea videntur. (i)

10. Tamen sancito tali fœdere, est dicendum, omnino ad *injusta bella* nullam esse obligationem, nec proinde contrà fœdus factum videri, quod suppetiæ illo casu negentur. (k)

11. Idem de illo *fœdere* sit judicium, quo se quidam ad perpetuam *ξυμμαχίαν*, nec unquam ab armis alterum sine altero destiturum, obligarunt. (l)

12. Nam si utrique pax honesta & tuta, plenaque satisfactio ab hoste offeratur, *pactum prius* obstare non videtur, quominus, alter si nolit, alter solus bellum claudat. (m)

13. Quin &, si alterutri justæ conditiones proponantur, vix est, ut prioris vi pacti ad bellum continuandum teneatur. Quia promissio, quæ aliud *bonum morale majus* impedit, non est obligatoria. (n)

14. *Fœdera inæqualia* sunt, quibus alter plus, alter minus promittit. (o)

15. Eaque sunt ex parte vel superiore vel inferiore: *superiore*, ut si quis alterum in tutelam recipiat sine ulla repromissione, nisi reverentiæ & gratitudinis. (p)

16. Quæ ex *indigniore*, ea vel Imperii inferunt diminutionem, vel salva libertate contrahuntur in alias pactiones. (q)

17. De *personis* fœderatorum quæritur, an licitum sit inire fœdus cum impiis & à verâ religine alienis? quod videtur. (r)

18. Modo ne commixtio nimis arcta cum impiis contagium *animis* adferat, ne *potentia* infidelium nimis promoveatur. (s)

19. *Finitur* obligatio fœderis, si pars altera pactis non stet; nisi convenerit, ne ob quaslibet offensiones fœdus rumpere liceat. (t)

20. *Tempore* etiam præfinito finitur, neque enim fœdus silentio utriusque partis renovatum videtur. (v)

21. Quæritur, an & *morte* contrahentium fœdera finiantur? quâ parte inter *personalia* & *realia* distinguendum, ut illa morte intereant, hæc ad posteros transmittantur, sed tutum est renovationem cum successoribus contrahere. (x)

22. Quid differant *sponsiones* à fœderibus dictum est *supra*; sunt enim pacta ducum belli, inita

(i) *d. l.* § 6. (k) *d. l.* §. 7. (l) *d. l.* §. 8. (m) *d.* §. 8. (n) *eod.* §. 8. (o) *d. l.* §. 9.

(p) *d.* §. 9. (q) *eod.* §. 9. (r) *d. l.* §. 10. (s) *d. l.* §. 11. (t) *d. l.* §. 14. (v) *d. l.* §. 15. (x) *d. l.* §. 16.

ta de ejusmodi rebus, quæ ad ſummam poteſtatem ſpectant, & de quibus mandatum illi nullum habebant. (y)

23. *Effectus* earum eſt, ut ſponſores teneantur ad implendum quod promiſerunt. (z)

24. Sed Poteſtas Summa, cujus, ſcilicet, hac parte nullus, ne tacitus quidem intervenit conſenſus, nullo modo tenetur. (aa)

(y) *d. l.* §. 17.

(z) *d. l.* §. 18. (aa) *d.* §. 18.

CAP. XII.

De Bello.

RIxæ Summarum Poteſtatum facile in BELLUM, quia ceſſant inter illas judicia, erumpunt. (a)

2. Eſt autem BELLUM *Certatio per vim*, ut Cicero definit *lib.* 1. *Off.* 16. vel, ut Grotius, *Status per vim certantium, quà tales ſunt*, *lib. I. cap.* 1. §. 1. *de Jur. Bell. & Pac.* (b)

3. De hoc *prima* eſt *quæſtio*, an bellare unquam ſit juſtum, quod *Jure* quidem *Gentium* nullam recipit dubitationem. (c)

4. Sed nec de *Jure Veteri Divino* magna eſt dubitatio, quin non omne bellum ſit illicitum. (d)

5. *Abrahamus* ſine ſpeciali Dei mandato Reges quatuor devicit, laudante Melchiſedeco. (e)

6. Et bella *Davidis*, quorum pleraque non liquet nominatim à Deo fuiſſe juſſa, *Dei prælia*, id eſt, pia ac juſta dicuntur. (f)

7. Imò quod magis eſt, perpetuæ ac generales de modo belli gerendi a *Deo* regulae præſcribuntur, *Deuteron. cap.* 20. (g)

8. In *Novæ Teſtatione* habemus Johannis præcurſoris dictum, quo milites officii ſui non deſerendi, ſed pie exercendi, admonentur. (h)

9. *Paulus* verò Magiſtratus Dei miniſtros affirmat eſſe, qui haud fruſtra gerant gladium, *Rom.* XIII. *v.* 1--4. (i)

10. Quæ

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* IV. §. 1. (b) *d. l.* §. 2. (c) *d. l.* §. 3. (d) *d. l.* §. 4.

(e) *d. l.* §. 6. (f) *d.* §. 6. (g) *eod.* §. 6. (h) *d. l.* §. 7. (i) *d. l.* §. 8.

10. Quæ ex dictis *Christi* contra bellum moventur, de cohibendo vindictæ privatæ studio, & exercenda in rebus minoris momenti patientiâ injuriarum, agunt. (k)

11. Jam in veteri Ecclesiæ historiâ celebrantur *Legiones Thebæa*, & *Fulminatrix*, quique sub Juliano defectore militabant, qui teste Ambrosio, *can.* 94. *C.* 11. *Q.* 3. dicenti Imperatori: *producite aciem pro defensione Reipublicæ* obediebant; cum autem diceret eis: *producite aciem in Christianos*, tunc agnoscebant Imperatorem cœli. (l)

12. Ne de *Martyribus* dicam, quos etiam milites complures antiqua martyrologia memorant & agnoscunt. (m)

13. Sequitur *divisio Belli*: est enim Privatum, vel Publicum. (n)

14. *Hoc* quod geritur auctoritate ejus, qui habet jurisdictionem. *Privata* vulgo *duella* dicuntur. (o)

15. *Mixtum* sit, quod ab una parte publicum, ab altera privatum est. (p)

16. *Publicum* rursus aut solenne est, quod & justum suo sensu, aut minus solenne. (q)

17. *Solenne*, quod utrimque ab illis, qui summam habent potestatem, ritu Jure Gentium necessario, geritur. (r)

18. *Minus solenne* erit, quod vel auctores habet personas, publicas quidem illas, aut superiorem habentes, ut Magistratus; vel quod aliis Juris Gentium requisitis destituitur. (s)

19. At verò *Magistratus* in exteros belli jus gerendi nullo modo habet. (t)

20. Excepto casu *inopinatæ necessitatis*; quo casu præsumptio de voluntate Summæ Potestatis dubitare non patitur, ne non arma permissa sint. (v)

21. Jam *Mixtum* quodnam sit *Bellum*, ex simplicibus facile colligitur, ejusque variæ sunt species: miscetur enim aut ex solenni & privato, vel ex minus solenni privatoque bello. (x)

22. Ex *solenni privato*, cum is, qui Summam habet Potestatem, contra exteros latrones aut prædones, vel suos rebelles, expedit arma. (y)

23. Ex *minus solenni & privato* mixtura conflatur, quoties Magistratus, pro officii sui executione, vim parat in contumaces, aut in prædones. (z)

R 2 24. Mix-

(k) *d. l.* §. 8 (l) *d. l.* §. 10. (m) *d.* §. 10. (n) *d. l.* §. 12. (o) *d.* §. 12. (p) *eod.* §. 12 (q) *d. l.* §. 13.

(r) *d.* §. 13. (s) *eod.* §. 13. (t) *d. l.* §. 14. (v) *d. l.* §. 16. *fin.* (x) *d. l.* §. 17. (y) *d.* §. 17. (z) *eod.* §. 17.

24. Mixtura ex *publico solenni & non solenni* dupliciter potest supponi; aut cum magistratus in suam Potestatem Supremam insurgit, vel cum adversus exteros armis contendit. (aa)

25. *Bellum mere privatum* regulariter illicitum, nec quicquam adeo inimicum est constitutioni civitatis & judiciorum. (bb)

26. Unde liquet, non aliter hoc justum fieri, quam ubi ordo civitatis, & *judicia cessant*. (cc)

27. Exteri, à Summâ Potestate adversarii sui palam spreti, ad suos Imperantes se convertent, quibus si oppressionem negatamque juris copiam approbaverint, ab illis veniam repraedandi, sive literas *Repressaliarum* impetrare possunt. (dd)

28. Superest ad explicationem belli solennis, ut *ritum*, qui Jure Gentium in eo requiritur, paucis explicemus. (ee)

29. Est autem ille ritus, INDICTIO, sive denunciatio, quam propterea placuit recipi, ut constaret, non privato ausu, sed voluntate utriusque populi, aut Imperantium, geri bellum. (ff)

30. Indictio alia *pura* est, alia *conditionalis*. *Pura* fit, cum vel alter jam intulit bellum, aut ea deliquit ipse, quae poenam Jure Gentium non dubiè merentur. (gg)

31. *Conditionalis* instituitur, cum subditi alterius deliquerunt; tunc enim ab Imperantibus postulanda satisfactio, ad quam suos cives compellant; aut si tergiversentur, ipsi causam suscipiant. (hh)

32. Et haec est Indictio, quae cum repetitione rerum conjuncta dici solebat *Clarigatio*, quâ non modo rei vindicatio, aut debiti pecuniarii, sed & criminalis persecutio comprehenditur; unde verba Fecialium antiqua: *reddi*, *satisfieri*, *dedi*, videlicet fontes delictorum. (ii)

33. Et quidem *Pura* indictio cum ipsa vi parata fieri potest; *Conditionalis* deliberandi tempus largiri debet. (kk)

(aa) *d. l.* § 19. (bb) *d. l.* §. 20. 21. (cc) *d.* §. 20. (dd) *d. l.* §. 24. (ee) *d. l.* §. 27. (ff) *d.* §. 27. (gg) *d. l.* §. 28. (hh) *d.* §. 28. (ii) *d. l.* §. 29. (kk) *d. l.* §. 30.

CAP.

CAP. XIII.

De Cauſis, & Jure Belli.

BELLI CAUSÆ non male vulgò in *ſuaſorias* & in *juſtificas* dividuntur. (a)

2. *Suaſoriæ* ſunt, quæ partes impellunt ad bellum ſuſcipiendum. *Juſtificæ*, quæ juris fundamentum armis tribuunt. (b)

3. Nos de *cauſis vere Juſtificis*, hoc eſt, juſtis agimus, quæ non male ad tria fereruntur capita: ad *Defenſionem*, *Recuperationem*, & *Punitionem*. (c)

4. Enimverò de tuitione corporis, ad vitæ vel pudicitiæ cuſtodiam, nihil dubitatur. Sed de minoribus injuriis, aut damnis avertendis *quæritur*, an licitum ſit hominem occidere? (d)

5. Sane inter *privatos*, & maxime in *Civitate*, ubi judiciis locus, illud ipſum præciſe obſervandum; ne ob res ereptas, vel eripiendas, cædes committatur; niſi forte tales ſint res, à quibus noſtra vel noſtrorum vita dependeat. (e)

6. At ſi *Poteſtatibus Supremis* non liceret raptores ſuarum rerum quantivis pretii occidere, ſi reſiſterent armis, palam eſt actum fore de ſalute populorum. (f)

7. Ita quoque ab *injuſtis detentoribus* ſua per vim avocare licet, cui ſi per vim illi reſiſtant, jam cauſa puniendi illos juſta naſcitur. (g)

8. Summis quoque Poteſtatibus competit *jus ulciſcendi puniendique delicta*, quorum ſpecies pridem complures habuimus. (h)

9. Videtur & ad punitionem referri poſſe cauſa belli, quod pro *auxilio innocentium* ſuſcipitur, qui ab aliis, quibus ſubjecti non ſunt, injuriâ afficiuntur. (i)

10. Imo & *pro ſubjectis alienis* licere bellum ſuſcipere, ſi manifeſta ſit imperantis injuria, generis humani refert. (k)

11. De *metu* quoque *alienæ potentiæ* diximus antea. (l)

12. *Libertatis amor* ſuaſoria cauſa, juſtifica per ſe eſſe non poteſt. (m)

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *ſect.* IV. *cap.* IV. §. 31. (b) *d.* §. 31. (c) *d. l.* §. 32. (d) *d. l.* §. 36. (e) *d.* §. 36.

(f) *d. l.* §. 37. (g) *d.* §. 37. (h) *d. l.* §. 38. (i) *d. l.* §. 39. (k) *d.* §. 39. (l) *eod.* §. 39. (m) *d. l.* §. 40.

13. Nec ſtudium *propagandæ religionis*, cujus longe aliam Deus in literis ſuis rationem præſcripſit. (n)

14. Etiam *civibus*, & his, qui *bellis alienis* ſe miniſtros præbent, cauſæ, hoc eſt, conſcientiæ ſuæ, rationem habere debent, quia magis hac parte Deo parendum. (o)

15. Porrò ut ſciamus, quid juris belligeranti competat, teneantur hæ *regulæ*. (p)

16. *Prima*: qui *juſtam* belli *cauſam* habet, huic omnia licent, quæ ad executionem cauſæ neceſſaria ſunt. (q)

17. *Secunda*, ei non diſſimilis: cui *finis* conceditur, huic omnia ad finem neceſſaria conceduntur. (r)

18. Hinc, qui invaditur, & in *vitæ periculum* adductus eſt, poteſt id propulſare quovis modo, neque tenetur primum expectare ictum, aut paribus uti armis. (s)

19. *Tertia*: ſi finis obtineri nequeat, niſi *plus faciendo*, quam per ſe finis requireret, hoc perinde licere dicendum. (t)

20. Hinc plus capere ex hoſte fas eſt, quam ille nobis debeat; ut tamen quod abundat, *reſtituatur*, deductis impenſis, ſi bellum ſtatim componatur. (v)

21. Ex *eadem regula* ſequitur: poſſe etiam prohiberi alios, ne ad hoſtem ea deferant, ex quibus ad bellum inſtructior eſſe poſſit, idque facientes licere deprædari, modo publicè præmoneantur. (x)

22. *Eadem regula* dictat, ſi per vim adſequi finem noſtrnm nequeamus, fas eſſe fraudibus uti, ſalva tamen fide & dignitate. (y)

23. *Doli*, qui in *actu negativo* conſiſtunt, ſine dubio licent: qui in *actu poſitivo*, hi aut in rebus, aut in ſermone committuntur. (z)

24. Qui in *rebus*, cum non habeant certam & infallibilem ſignificationem, ſunt liciti: qui in *ſermone*, ut mendacia, quibus fides non rumpitur; Jure Gentium improbari non videntur, Jure Divino vix tuta ſit affirmatio. (aa)

25. Sunt autem *Jura Belli* vel ejusmodi, ut ſine labe interna juſtitiæ, vel ut tantum impune, & cum effectu externo exerceantur. (bb)

26. *Poſteriori modo* licet omnibus,

(n) *d. l.* §. 41. (o) *d. l.* §. 43 (p) *lib.* III. *ſect.* IV. *cap.* V. §. 13. (q) *d. l.* §. 13. (r) *d. l.* §. 14 (s) *d. l.* §. 14. (t) *d. l.* §. 15.

(v) *d.* §. 15. (x) *eod.* §. 15. (y) *d. l.* §. 16 (z) *d.* §. 16. (aa) *eod.* §. 16. (bb) *d. l.* §. 1.

bus, qui bellum ſolenne gerunt, hoſti nocere quovis modo, jure an injuria nihil refert. (cc)

27. *Primo* igitur licet hoſti *occidere hoſtem*, omneſque inter hoſtium fines verſantes, quia ab omnibus illis damnum poteſt metui. (dd)

28. Imò etiam fœminas, infantes, ſupplices, dedititios; nempè, ut dictum, impune; non tali jure, quod vitio careat. (ee)

29. *Stupra* in feminas, vel pueros, neutro jure licita cenſentur. (ff)

30. *Veneno* hoſtem interficere naturaliter licet, Jure Gentium non æquè. (gg)

31. *Percuſſorem immittere*, ſi fides expreſſe vel tacitè non violetur, utroque jure (vix tamen dignitate ſalvâ) licet, alioqui non licet. (hh)

32. Poſt corpora, *res* quoque *hoſtium* auferre, abigere, rapere, perdere, licet; etiam res ſacras, & religioſas. (ii)

33. Quas res quisque capit, eas *facit ſuas*, nempe, ſi nomine proprio illas capiat. (kk)

34. Nec tantum res, ſed etiam *perſonæ* dominio capientium cedunt; quos enim licet occidere, hos multò magis ſervare licet ad ſerviendum. (ll)

35. Unde *jus vitæ & necis* in ſervos, & facultas quidlibet imperandi, Jure Gentium recte exercetur. (mm)

36. Quod jus in ſingulos, idem in *univerſos* competit, ut victor eam civitati formam det, quam voluerit, eſtque hoc imperium in victoris patrimonio. (nn)

37. Porrò ad perſonas, & res privatas ab hoſtibus captas, Jure Gentium obtinet POSTLIMINIUM, quod definitur; *Jus ex reditu in fines publicos.* (oo)

38. Eſtque *duplex*, perſonale, & reale. (pp)

39. *Perſonale Poſtlimininium* eſt jus, quo is qui captus ab hoſtibus, & eodem bello reverſus eſt, perinde omnia recuperat ſua jura, ac ſi captus non fuiſſet. (qq)

40. *Reale poſtliminium* efficit, ut res ab hoſtibus captæ, iisque iterum ereptæ, prioribus, dominis reſtitui debeant, ſcil *immobiles.* (rr)

41. *Mobilia* enim ſunt in præda, nec poſtliminio recuperantur, niſi quæ res uſum in bello habeant; ut tamen ab his arma & veſtimenta excipiantur, quia hæc

(cc) *d. l.* §. 2. (dd) *d. l.* §. 3. (ee) *d.* §. 3. (ff) *eod.* §. 3. (gg) *d. l.* (hh) *Ibid.* (ii) *d. l.* §. 4. (kk) *d.* §. 4.

(ll) *d. l.* §. 7. (mm) *d.* §. 7. (nn) *d. l.* §. 9. (oo) *d. l.* §. 10. (pp) *d.* §. 10. (qq) *eod.* §. 10. (rr) *d. l.* §. 12.

hæc ſine dedecore non amittuntur. De hoc jure videantur ICti in *l.* 18. *ſeqq. π. de Captivis & poſtliminio. Adde* Grotium *lib.* 3. *de jur. bell. & pac. ſub fin. paſſim.*(ss)

(ss) *d.* §. 12.

CAP. XIV.

De Fide Publica, dum Bellum geritur, & dum finitur.

N*Aturalis obligatio*, quæ ex *fide data* oritur, etiam viget inter hoſtes; quia promiſſio jus tribuit ei, à quo acceptatur; nec aliud ad hoc requiritur, quam ut rationis ſit capax. (a)

2. Quod adeo verum eſt, ut nec latronibus, nec tyrannis qua talibus, fides data infringi poſſit; niſi remedio *Juris Civilis*, quod illos loco pœnæ juris effectu privet. (b)

3. Si quis tamen *præſenti metu* ſit coactus ad fidem dandam, hic non tenetur, niſi *juraverit;* quoniam Deo non obſtat metus exceptio. (c)

4. Hæc de obligatione interna; nam *jus externum* latrones, quique ſocietati hominum noxii ſunt, nullum habere poſſunt. (d)

5. Ad fidem, durante bello, pertinent INDUCIÆ, per quas intelligitur conventio, ut partes *ad tempus* bellicis actibus abſtineant. (e)

6. *Pacta captivorum* cum hoſtibus omnino valent. (f)

7. Et *dimiſſus ſub conditione* redeundi captivus, ni faciat quod convenit, redire debet; etſi per ipſum non ſteterit, quominus faceret. (g)

8. Qui colloquium facit cum hoſte, *tacito pacto* eatenus, de non offendendo, obligari intelligitur. (h)

9. Conventio, quâ bellum finitur, PAX eſt, quam inire poteſt is, qui Summam habet Poteſtatem. Ducum pacta ſunt SPONSIONES, inquam. Vid. *cap.* XI. *de Fœder. ſupra.* (i)

10. Si

(a) Vid. Auctor in *Op. Mai. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* V. § 18. (b) *d.* §. 18. (c) *d. l.* § 20. (d) *d.* §. 20.

(e) *d. l.* §. 22. (f) *d. l.* §. 23. (g) *d. l.* §. 23. (h) *d. l.* §. 24. *fin.* (i) *d. l.* §. 25.

10. Si dubitetur de *interpretatione Pacis*, pronunciandum est adversus eum, qui legem clarius dicere potuit. (k)

11. *Rumpitur Pax*, cum quid adversus pacta conventa committitur, quanquam nova belli causa pace integrâ etiamnum, hoc est, non violatâ, præberi potest. (l)

12. *Facto subditorum* rumpitur pax, si summa potestas id sciverit, at reparare noluerit. (m)

13. Solet confirmari pax OBSIDIBUS, quos violatâ pace, *jure externo* licet occidere, *jure interno* (sic liceat loqui) non nisi ob culpam ipsorum. (n)

(k) *d. l.* §. 28. (l) *d. l.* §. 29.

(m) *d. l.* §. 30. (n) Conf. Grotius *lib* III. *cap.* IV. §. 14. *cap.* XI. §. 18. *&* *cap.* XX. §. 52.

CAP. XV.

Quomodo Civitates, & Imperia finiantur.

Ut omnia orta intereunt, ita quoque Civitates & Respubl. vel ipsa *multitudine* extincta, vel ejus *unione* sublata. (a)

2. MULTITUDO perire potest inundatione, terræ motu, bellis. (b)

3. UNIO tollitur sublato omni imperio & communitate juris. (c)

4. Quod (1) fit *dissipatione hominum*, peste, seditione, bellis (2) *servitute publica*. (d)

5. Sed *mutatio loci* non extinguit Civitatem, si maneat ordo aliquis imperii, ut cum Athenienses, bello Medico, urbe deserta, naves conscenderent. (e)

6. *Formâ* quoque *Imperii* mutatâ neque Civitas neque Respublica periisse censetur; semper populus Romanus idem mansit, sub Regno, Consulatu, & Cæsaribus. (f)

7. *Unio* quoque plurium populorum non extinguit Civitates, sed conjungit diversas. (g)

S 8, *Ju-*

(a) Auctor in *Op. Mai. lib.* III *Sect.* IV. *cap.* V. §. 33. *seqq.* (b) *d.* §. 34. (c) *eod.* §. 34. (d) *ibid.*

(e) *d. l.* (f) *d. l.* §. 35. (g) *sup. sect.* I. *cap.* I. §. 12. *seqq.*

8. *Justitià deficiente*, Civitas non amittit formam, quamdiu juncta manet societas, juris etsi minus perfectè fruendi causâ; ut ne barbari quidem *Algerienses*, & *Tunetani*, Civitates esse negandi sint. (h)

(h) *d. l. lib.* III. *Sect.* IV. *cap.* V. §. *ult.*

FINIS.



I N-

INDEX CAPITUM.
INSTITUTIONIS
REIPUBLICÆ
SECTIO. I.

INDEX CAPITUM. &c

SECTIO II.

SECTIO III.

FINIS.

ULRICI HUBERI,

De Jure Popularis, Optimatium, & Regalis

I M P E R I I,

ſine vi, & à ſui juris Populo, conſtituti,

Ad regenda hominum circa res maximas judicia, contra periculoſiſſimos errores,

D I S S E R T A T I O.

DE JURE IMPERII, ſine vi, à Populo ſui juris, conſtituti.

CAP. I.

Conſtitutio Quæſtionis, & de Origine Imperii Voluntarii.

DIſputationes de JURE IMPERII, quod non à vi bellicâ, ſed *a voluntate liberi, & ſui juris Populi*, originem habuit, noſtro ſæculo à clariſſimis ingeniis agitatæ, his diebus, occaſione motuum Britannicorum, denuo incaluerunt. (1)

2. Nec abs re forte quis ita exiſtimaverit, inanem hujus rei eſſe diſputationem; *quando Regnantes ubique tantum juris habere creduntur, quantum manu complecti & viribus exequi poſſunt*; ut hic fere unicus ſit Arbiter hujus Quæſtionis.

3. Præſertim, quando tam immanis eſt diverſitas opinionum, ut cum omnium ſingulorumque rationes examinaveris, incertior ſis multò quam pridem.

4. Non diſplicuit adeo inſtitutum cujusdam ex *Anglia* ſcripti, quod publico nomine, vero an prætexto, prodiit; narrans eò rem diſputando eſſe redactam, *ut fidei potius quam doctrinae res videatur.* (2)

5. Proinde ſibi eſſe propoſitum, ajebat, exemplis rem conficere, ut quod *Britanni* fecerunt, id jure factum videri approbet iis Populis, qui exempla duntaxat ab ipſismet edita refellere nequeant.

6. Non eſt tamen hæc omni ratione deſtituta res, & quanquam victoriæ ratio non redditur, cauſam tamen quisque ſuæ cauſæ prætendit; quin nec parum in animis populorum momenti habet juris conſcientia.

7. Duæ ſunt opiniones ſummæ

A 2 de

(1) Anno 1688. *Wilhelmo & Maria* in profugi locum *Jacobi* II. publice ſurrogatis.

(2) Vid. Hiſtoria nuperæ rerum mutationis in Anglia, authore E. B. id eos, *Exech. Burridge*, iterum edita Londini, a. 1697. 8.

de efficaciâ Imperii non violenti, altera quæ *Principibus*, altera quæ *Populo* indiſcretam poteſtatem tribuit.

8. Prior duplici viâ procedit, unâ, quæ poteſtatem Imperantium *à Deo immediatè* arceſſit; alterâ, quæ populum in Reges *omnia*, quæ transferre *potuit*, transtuliſſe contendit.

9. Sed hanc, uti nunc eſt, paulisper miſſam faciemus. Poſterior ſententia *Poteſtatem Supremam ſemper & in omni Republica Populi* eſſe commemorat; idque nunc quaſi jure ſuo poſtulat ab iis, qui ſucceſſu Anglicano gaudent, nec illa conſilia laudare non audent.

10. Angli tamen diligenter id agunt, ne hoc jure ſuum Regem nuper expuliſſe videantur; quando ſe Regi Imperium non *abrogaſſe*, ſed hunc illo *ſe abdicaſſe* videri voluerunt, idque decreto publico enixe proſecuti ſunt.

11. Quo magis neſcio quam gratiam ab illis inituri ſint, qui ſe *Britannicam methodum* aliter, quam *Miltonianis* rationibus, tueri poſſe deſperant.

12. Meo loco jam pridem factum eſt, ut cum hæc pars Juris, cujus eſt eam tractare Quæſtionem, mihi commiſſa fuiſſet, curæ habuerim, ut Auditores mei intelligerent, *non opus eſſe ad effrenem dominandi licentiam intra Juris cancellos coërcendam*, ut omnis Imperii vis aboleatur.

13. Quod parum aut nihil abeſt, quin eâ ſententiâ fiat: quæ ſtatuit: *Imperantes nihil eſſe quam Populi procuratores, Mandatarios.*

14. Procul habeo cauſas ægrè ferendi, quod adverſus rationes meas, quibus inter *impotentiam Tyrannidis, & inſolentiam Plebis, mediam viam* curatè indagaveram, apud Academiam noſtram diſputari declamarique videmus & audimus.

15. Nam etſi id actum fuerit, ut rationes mihi propriæ refellerentur, quia tamen eſt problema tralatitium, ineptus ſim, id ſi ullo modo ſuccenſendum putem.

16. Quin gaudeo potius, occaſionem mea preſſius examinandi exponendique veritatem liquidius eſſe datam.

17. Quod quidem plane faciendum mihi fuit, ne primum caput Artis, quam fere quotannis vivâ voce tradimus, indefenſum *in loco* deſtituiſſe videamur.

18. Sententia, quam volunt eſſe hujus temporis, noviſſime renovata eſt his verbis: *Imperium à libero & ſui juris Populo in Magiſtratum, Principem, aut Regem, ſimpliciter collatum, primitus & unicè ex natura* MANDATI *arceſ-*

ſen-

sendum; vim autem majorem aliquam esse à Pactis *inter Populum & Principem initis.* In quibus terminis prora & puppis, initium & finis, Orationis hac de re scriptæ continetur. (3)

19. Bene habet, quod Collator Imperii statuitur *Populus liber & sui juris*, ut vis belli, præcipua & antiquissima Regnorum origo, ab hac disceptatione removeatur.

20. Sed hoc novum est in illa propositione, quod cum Imperii constitutio simpliciter in civitate facta, Mandato perpetrari dicitur, *vis aliqua major* è Pactis, inter Populum Imperantesque initis, proficisci statuitur.

21. Nam quæ Pacta inter populos atque Reges iniri videmus hodie, vel quæ unquam inita fuisse accepimus, omnia pertinent *ad Regiam potestatem limitandam*, ac *intra certos terminos coërcendam*.

22. Qualia certè videmus esse, quæ *Britannorum* populi olim novissimeque cum suis Regibus inierunt.

23. Adeo ut si potestas Regia simpliciter delata nihil sit quàm *Mandatum*, pacta nihil esse possint quam circumscriptiones, & quasi *instructiones* mandati exercendi ac administrandi, ne sit Procurator *cum liberâ*, quem vocant.

24. Nec mihi venit in mentem, ulla unquam pacta cum Regibus augendi juris eorum causa fuisse inita; nisi tu facultatem successionis ad heredes, quæ naturæ *Mandati* non inest, huc referendam putes.

25. Verum hoc pactum temporis quidem extensionem adfert, juris intensionem augmentumve præstare non potest:

26. Nam constitutio successionis nihil est aliud, quam juris primo delati in heredem continuatio.

27. Unde colligi potest, quam juris & prudentiæ sit inops hæc sententia, *quæ Regiam potestatem simpliciter, & sine Pactis delatam, à natura Mandati, pendere statuit.*

28. Nam si Regia potestas simpliciter delata, *eodem quo constituta est arbitrio* revocari & aboleri potest, ut natura *Mandati* fert, & novi Auctores diserte statuunt, palam est:

29. Mandatum cum pactis adjectis, ne successorio quidem exclusо, plus continere non posse, *quam ut Mandatarius semper ab arbitrio Mandantis dependeat.*

30. Proinde, si Britanni suum Re-

(3) Oratio intelligitur *Jac. Perizonii*, ad calcem hujus Opusculi adiecta.

Regem ex lege Mandati destituerint, ut hujus sententiæ Auctores volunt, non est recusandum, quominus eâdem lege Mandati Rex novus, ubi populis visum fuerit, ab re ipsorum administrandâ curandâque removeri atque dimitti possit.

31. Idque tametsi leges Mandati exactè servaverit; sub præstatione *imdemnitatis* ratione impensarum, & *gratiarum actione* pro operâ præstita.

32. Nam hanc facultatem inesse *Mandati* obligationi, notissima Juris omnium Gentium ratio & observatio dictat.

33. Sed absit omen! credo, ipsos *Mandati Regalis* Patronos esse dicturos.

34. Quamdiu tamen *Pacta* Britannorum cum Regibus suis *ad augendam potestatem Regiam simpliciter positam inita*, non demonstrantur, Thesin nobis contrariam ita ferre satis est manifestum.

35. Atque hæc ad statum Controversiæ. In ipso tractatu Quæstionis occurrit primo adversus *Hobbesium* disputatio de jure *Naturæ*, nobiscum *Oratori* communis.

36. Nisi quod minimè negandum est, ut visum illi, *Statum naturæ esse statum belli;* hoc est, naturam hominum adeo esse corruptam, ut suum quoque proximum oderit, eumque si prævaleat, spoliare cupiat; adeò ut, si homines sine imperio agant, pax inter eos custodiri nequeat.

37. Etsi hæc humanæ naturæ perversitas non juris, ut *Hobbes* sed injuriæ causa sit, quando ratio naturalis, utcunque, corrupta in alia omnia concedit.

38. Hunc casum belli promiscui, in quem incidit omnis *Anarchia*, tam necessariò, quam id semper & ubique factum vidimus, *ubi nulla civitatis erat unitas cum Imperio* maximum esse malum, cujus sit capax humanum genus, non potest negari, & fatentur dissentientes.

39. Idcirco hanc acerrimam hominibus causam extitisse *constituendi civitates*, tam clara res est, quàm certum, *Anarchiæ* vitium nonnisi contrario stabiliendi Imperii instituto posse devitari.

40. Non excluso licet amore societatis, & mutuarum necessitudinum communicatione, rerumque judicandarum necessitate, de quibus *Orator* prolixè.

41. Quæ bona sine pace & unione Reipubl. haberi non possunt, & cum bello promiscuo pariter amittuntur.

42. Quamobrem *nihil actum erat* ab hominibus, quamdiu talem non

non statuissent *Unionem*, quâ statum illum funestum arcere, bonaque pacis conservare possent.

43. Proinde nec dissolubilem, *nisi ob mala non minora quàm erat ille status belli promiscuus*, absque Imperio inevitabilis.

44. Hoc populos voluisse tam est dictu necessarium, quam illos *bellum omnium contra omnes* quam maximè aversari manifestum est.

45. Verum enimvero modus formandi talem unionem, *in libero suique juris Populo*, inde ab initio plane est arbitrarius.

46. Sive Imperium *uni* demandare homini, vel *pluribus* simul, aut *ipsi per se* retinere velint, ut contendit *Orator*, & fateri necessum est.

CAP. II.

De Jure Imperii Popularis, quale Romae ac Athenis fuit.

IN quâvis autem formâ Reipubl. Summam Potestatem, si modo *summa* sit, eandem, quod ad vim ac intentionem ejus attinet, esse oportet.

2. Qualis autem illa vis ac intentio sit, nos viâ quâdam demonstrationis propriâ indagavimus in *Libro* 1. *de Jure Civitatis*; cujus, etsi ab *Oratore* comiter irrisæ, cur nos pœnitere debeat, causam necdum videmus. (4)

3. Initium facimus à facultate Imperii in Civitate *Populari*, quam proximè à statu naturali, longissimeque ab invidiâ, quæ hominum judicia præstringere solet, abesse manifestum est.

4. *Nihil est propius & promptius, quàm ut Populus sui compos, & generosus, ipse retineat Imperii moderamen*; nec aliis se committat, summæ memor hominum improbitatis, avaritiæ, sævitiæque, dum adest licentia.

5. Nec aliter cordatissimi quique populi, vel inde ab initio, vel post experientiam, *præcipuis auctoribus Romanis & Atheniensibus.*

6. Modus exercendi *regimen populare* ab iisdem est editum, *idemque est unicus in multitudine, qui dari potest; prærogativa numeri SUFFRAGIORUM in rebus summis, & MANDATUM in minoribus*, per Magistratus procurandis, quorum

(4) Vid. Auctor *lib.* I. *Sect.* II. *cap.* I. *seqq.*

rum jus scilicet à majoris partis voluntate pendet.

7. Effectus conclusionis à majori parte factæ fuit idem, qui est in omni universitate, quæ certo regimine continetur; ut *decretum majoris partis, omnium & singulorum voluntas censeatur.*

8. Quod tam liquidæ in Campo Martio fuit observantiæ, *ut cum pars major centuriarum consentiebat, reliquæ centuriæ,* cum earum voluntas majori parti inesset, ne quidem rogarentur, ut memoriæ prodidit *Dionysius Halicarnassensis lib. IV. cap.* 24.

9. Hoc autem ex *prævià submissione, & renuntiatione singulorum* manasse, tam certum est, quam clarum, quod in libero populo non detur exitus dissensionum, nisi hac viâ, vel pugnâ belli.

10. Insignem igitur Juris imprudentiam animadvertere licet in his verbis, de unione liberi populi factâ in civitatem, prolatis: *Coiere in fœdus & societatem sui æqualiter conservandi causâ, nec ulli suo juri, in quod erant geniti, vel verbis, vel animo* RENUNTIAVERANT. (*pag.* 26.)

11. Namque *libertas faciendi quod libet, in quam maxime sumus genti*, per fœdus civitatis & Imperii Popularis, majoris partis arbitrio subjicitur, in casum, *si quem in minore numero esse contingat*, eaque tam late patet renuntiatio, quam pene sunt actiones humanæ.

12. Proinde sine renuntiatione facultatis illius faciendi quod libet, si Populo secus videatur, nullam posse constitui Civitatem, manifesta res est.

13. Nec quicquam refert, quod ad vim obligandi attinet, utrum *rectius* an *pejus* major pars sentiat; alioqui lis super hoc judicio rem identidem ad primam redigeret confusionem, quam ut omnium malorum maximum cives supra omnia vitare voluerunt.

14. Nec aliud dicendum, etsi malitia in parte majori adversus aliquos appareret. Ejus enim injuriæ patientia, longe optabilior est præ bello ἀναρχίας, idque singuli, antequam eveniret, rogati præferre non cunctarentur.

15. Proinde, quod in *thesi* quisque censuit esse faciendum, id in *hypothesi* nemo improbare potest.

16. Hoc Cicero dixit his verbis: *Est enim Conditio liberorum populorum præcipueque hujus Principis populi, & omnium gentium domini atque victoris;* POSSE SUFFRAGIIS VEL DARE VEL DETRAHERE QUOD VULT CUIQUE. *Nostrum autem, qui in hac tem-*

tempestate populi jactamur, ac fluctibus, ferre modicè populi voluntates, allicere alienas, retinere partas. Orat. *pro Plancio, cap.* 4. *fin.*

17. Hæc est *Obedientia* quam vocant *Passiva*, Oratori nimis exosa: FERRE populi VOLUNTATES & injurias. Nam jus verum Populus inique agendo non magis quam Privatus quilibet adsequitur. Et hinc pendet judicium de *Petalismis & Ostracismis* antiquorum.

18. Nec tamen in infinitum durat hæc submissio & renuntiatio; non sane, si pars major *coitione facta* id agat, ut reliquos omnes, aut magnam partem vitâ bonisque pro lubitu exuere possint. Id enim non esset minus malum, quam promiscuum bellum.

19. Verum ut vis, aut damnum singulis illatum, Imperii solvendi causam præbeat, id Reipubl. conditores nullo modo voluisse palam est; salvo tamen moderamine inculpatæ tutelæ contra vim more latronis illatam.

20. Ita enim in animum omnes inducunt; non posse Rempub. *sine magnis injuriarum exemplis haberi*; quæ ferenda; *eo quod utilitate publicâ contra singulos rependuntur*, ut de hoc genere *Tacitus, lib. IV. Hist. cap.* 44. *fin.*

21. Atque ad hujusmodi consensionem submissionemque Populi facile descendunt, *quoniam in fœdere Democratico conditio, spes, & ratio, par est omnium*; nec quisquam magis se superatum iri, quàm alios superaturum præsumere potest.

22. Equidem a dissentiente conceditur, *minorem partem, utcunque dissentientem, ad sequendum majoris partis sententiam teneri*; ferenda etiam *minora* quævis *incommoda*.

23. *Sed majora mala*, liberorum abductionem, mancipationem, decimationem gregum, armentorum, omniumque proventuum, *non esse ferendam.*

24. Ad ea sic est ratio: Si pars major in id *conspiret*, ut minorem partem simul aut carptim eo modo vexet, affligat, & exhauriat, hic casus à nobis jam olim est exceptus; etsi vix facultatem habeat, neque extet, opinor, exemplum.

25. Injuriæ singulorum paucorumve ferendæ sunt, ut Cicero monet: *Est enim hæc conditio & facultas Populi, ex primaevo instituto acquisita, faciendi injurias impune.*

26 Nec ideo tantum laudabiliter fecit *Aristides*, & *Camillus*, quod exilia injusta patienter tulerunt; sed *Themistocles*, & *Coriolanus*, injustè quoque fecisse judican-

dicantur, quod ob ſimiles injurias, quàs pati debuiſſent, bellum Patriæ intulerunt, aut paràrunt.¶

27. Imo, ajunt Diſſentientes, nec injuriæ, neque juris iniqui quicquam, *major pars Civitatis in minorem habet*, *aut exercere ullà ſpecie*, *vel colore poteſt*.

28. Imo pars major, addam, agit *perfide & ſceleratè*, quis neget? jus tamen ex conſenſione ſtabilitum eſt, propter injurias privatis illatas *Imperium civitatis non reſolvi*, nec vi agendum.

29. Dictum vetus & ſanctum eſt, *vim patriæ & parentibus non inferendum*. Hoccene tantum de Patriâ, parentibusque beneficis accipiemus? Digna res monitu, ſcilicet! ad duros & iniquos inprimis ſpectat.

30. Quid opus heic notiſſimam Juris, *quod eſt bonum & æquum*, & Juris, quod eſt, *facultas ad aliquid habendum vel agendum*, inculcare diſtinctionem? qui neſcit vim ejus, temere ſe talibus immiſcet.

31. Sed ajunt: *ſaltem ſecedere fas erit*. Fugere quominus liceat male habitis, nulla vetat ratio. Sed novam per ſeceſſionem in iisdem ſedibus inſtituere Remp. contra fœdus unitatis eſſet, & belli principium inevitabilis.

32. Ajunt: *Romana plebs*, *quum à Senatu*, *quocum comparata erat veluti minor*, *certe inferior civitatis pars*, *durius tractaretur*, *ſeceſſit plus ſemel ex ſede Patriâ*, *quod nemo veterum non laudavit*, *pag. 66.*

33. Verſamur in hypotheſi *Popularis Imperii*, quale fuit Roma vetus, & hæc verba majorem partem è dignitate metiuntur. Tu dic: Senatus fuit inferior pars, quia numero *minor*. Auctoritatis aliquid, poteſtatis nihil habuit, *quæ tota fuit Populi*, *ut partis majoris*. Denique nihil aptius in rem noſtram, quam ſpecimen illud exempli proferri poteſt.

34. Supereſt aliud argumentum: *Major*, ajunt, *pars*, *ſi à toto Populo ſeparari ac diſtingui poteſt*, *omni populo eſt inferior*; *quippe qui ſemper reſcindendi poteſtatem habet*, *quicquid major illa pars ſtatuerit*.

35. Argutantur, & fingunt majorem partem, quaſi ſemper eandem iisdemque ſemper hominibus parti minori prævalentem. *Major pars in ſingulis decretis cum minore comparanda eſt*, *ut ratio Imperii intelligatur*, neque ulterius extendi poteſt; cum ipſa facultas perpetua penes populum ſit, qui Imperium in ſe habere non poteſt; ſed ratio Imperii, inquam, in ſingulis actibus, decretis, & maximè in ultimo quovis decreto elucet.

36. De-

36. Denique, non opus est moneamus, partem majorem eventu suffragiorum identidem repertam obligare ceteros; non vi *Mandati* ab his accepti, nec eandem partem majorem reliquis esse inferiorem. Expedit tamen heic eas positiones præsumi.

37. Si qua *Pacta* in antecessum, quæ major pars servare debeat, adjecta sint, hæc servari debere non est dubium; sed de his commodius infra agetur, *cap. V.*

CAP. III.

De Imperio Optimatium,

VErum ejusmodi species, *Popularis Imperii* jure modoque administrandi, vix est, ut ulla detur amplius in mundo. Confusionum tumultuumque experientia Monarchias, vel *Aristocratias*, sive Regna, & *Optimatium* Imperia, passim introduxit.

2. Utraque, si de vi bellica non constet, *Populi voluntate ac consensu, expresso vel tacito, post Deum, constituta esse oportet.* Tertium enim non datur, nisi Tyrannides ponas.

3. Nos de *Optimatium potestate*, quæ proxime à populari civitatis genere abest, primo videbimus; sitne per *Mandatum*, an per *translationem juris irrevocabilem*, constituta.

4. Quantum intersit, utrum statuas, ex suprà dictis intelligi potest. Nam si *Mandatum* sit principium Aristocratiæ, *Populus aut major ejus pars, semper est superior Optimatibus Reipubl. præpositis. Hi semper tenentur ad rationes reddendas; semper in ordinem redigi & puniri possunt. Denique, semper iis potestas, etsi ad tempus certum, aut ad vitam constituti sint, adimi potest.*

5. Hæc enim est notissima *Mandati* natura, quod cum totum sit in gratiam mandantis, *quicquid de tempore aliisve conditionibus sit adjectum, à Mandantis nutu, qui manet rerum suarum arbiter & moderator, dependet.*

6. Non valde acutum esse opus est, ad intelligendum, quantum è Republicâ petatur hoc impru-

dentiſſimo poſtulato, *quod omnis Imperii vis, & jus, petendum ſit à natura Mandati.*

7. Nec minuitur inſolentia dicti, hac limitatione; *quod pactis inter Populum & Imperantes major aliqua poteſtas deferri ſoleat.*

8. Quid enim hæc limitatio *in Regibus* valeat, NIHIL ſcilicet, jam *primo capite* probatum eſt.

9. In Ariſtocratiis adhuc minorem habet uſum; *quia in ſtabiliendis Ariſtocratiis, præſertim laxioribus, rarior uſus pactorum venit.* Nulla ſunt in *Venetis*; pauca, ſi qua ſunt, in *Batavis*, in *Friſiis.* (5)

10. Singulorum Municipiorum ſua ſunt privilegia; ſed totus Populus non habere ſolet pacta *cum Proceribus Reipubl.* ad univerſum regimen ſpectantia; quemadmodum *Friſiæ* populus nulla habet pacta cum *Immobilium poſſeſſoribus*, quos penes eſt ſumma poteſtas. (6)

11. Nihil apparet, quam ſimplex Imperii conſtitutio; quæ proinde ex Oratoris diſciplina pendet unice ex lege *Mandati.*

12. Ac ita ſubjecta eſt Populo, *ſemper ab eo dependet*, huic reddenda ratio, ab hoc aboleri, mutari, ad Mandantes revocari, aliisve deferri poteſt.

13. Hæ non ſunt conſequentiæ, quibus adverſam opinionem oneramus, ſed explicitæ notiſſimæque *Mandati* proprietates, quæ hunc titulum audienti ultrò ſeſe offerunt.

14. Si quis autem in his rebus Optimatium Imperio adſcribendis nihil incivile reperiat, eum nec hoc movebit, *quod ſecundum hanc ſententiam una tantum ſit Reipubl. ſpecies*, DEMOCRATIA, modis adminiſtrandi variata.

15. Nam *Democratia* eſt, *quando ſumma poteſtas eſt penes totum populum*, qui *mandat* exercitium ſui juris Magiſtratibus, ut miniſtris ſuis. *Mandatum ſemper relinquit jus ipſum penes Mandantes.*

16. Proinde ſi mandatum à populo proficiſcatur in Regnis & Ariſtocratiis; *hæ non ſunt ſpecies oppoſitæ* quomodo adhuc creditum eſt, *Democratiæ;* ſed huic *ſubordinatæ*, ſive modi illius.

17. Summa Poteſtas eſt *anima* Civitatis eique dat formam. *Si hæc ſemper eſt penes populum, non poteſt aliunde forma Reipubl. quam a populo arceſſi.*

18 Quan-

(5) Batavorum tamen, & Friſiorum regimen, magis eſſe *Democraticum* videtur, Grotio & Ubone Emmio auctoribus.

(6) Immo vero apud *Nobiles* qua tales, & memoratos *Poſſeſſores* coniunctim. Illi *Principes*, hi *Ingenui* apud Tacit. *de M. G. cap.* 12. 20. 25.

18. Quanto rectius *Populi* jus in *Optimates* translatum, iisque Summa Potestas, in *Aristocratiis nulli extero subjectis*, competere dicitur!

19. Nemo quidem antehac dubitavit, quin Summa Potestas, ut in Democratia penes Populum est, ita in Aristocratiâ Penes *Proceres*, in Regno nullis pactis limitato penes Regem esset; ita finire sunt soliti Juris Publici intelligentes.

20. Sed qui ad omnia solita apud nos pridem nauseare sunt visi, non est mirum, si & hæc paradoxa præferant.

21. Ceterum exempla populorum, qui Democratiam, habitâ deliberatione, & expresso consensu, mutaverint in Aristocratiam, vel hanc primitus constituerint, pauca memoriæ prodita sunt, ut *pleraque à tacitâ voluntate repetenda videantur*.

22. Cujus rei hanc ego rationem existimo esse; quod plebs libentius paret uni celso Principi, quam pluribus se paulo majoribus.

23. De *Florentinis* notabile est, quod cum hi populariter agerent, aliquando suum jus totum in paucos conferre sunt soliti ad tempus, & ad certas causas, instar *Dictaturæ*.

24. Modus, quem deinceps in perpetua translatione, sed involuntariâ, similiter observarunt, his verbis describitur à Guicciardino, *Histor. Ital. lib.* XI. *cap.* 5. *ad a.* 1512. quæ cum venia Lectoris heic collocabo.

25. *Convocato insu la piazza del Palagio, col suono della campagna grossa, il popolo al Parliamento, consentirono, che à circa cinquanta cittadini fusse data sopra le cose publiche la medesima autorità, che haveva tutto il popolo. Chiamano Florentini questa potestà cosi ampla, BALIA.* Id est; „ Convocatus „ in forum palatii per sonitum „ campanæ magnæ populus ad „ Comitia, consensit, ut in quinquaginta circiter cives conferretur eadem potestas in res civitatis quam totus populus habebat. Hanc potestatem adeo „ amplam vocant Florentini *Baliam*.

26. Credo nec Oratorem negaturum, si hoc modo liber & sui juris populus *Optimates* in perpetuum civitati præficiat, quin hi verè summam potestatem, non ex *Mandato*, quod summæ potestati repugnat, sed per translationem habeant.

27. Verum ubi de tali translatione non constat, videndum quid tacitus consensus ferat: ut si Po-

pulus Romanus acquievisset in usurpatione Senatus post Reges expulsos, eique Rempublicam permisisset.

28. Quemadmodum in *nostra Patria* contigit, post ejuratum Dominum. Summa Potestas nonnisi ad populum *per se* redire poterat, nec adeo ad Rectores Civitatium in *Hollandiâ*, nec ad Possessores immobilium in *Frisiâ*.

29. Quoniam pauci, vel saltem longe minor pars populi, non potest in omnes habere potestatem, nisi vel ex *Consensu*, vel ex *Bello*.

30. Posterius cum nullum fuerit, quo Proceres plebem subegerint, nihil superest, quam *consensus*, quo summa potestas vacua stabilita fuerit.

31. Quando igitur nihil expressum est, fieri debet, quod unice in rebus humanis fieri potest, ut dubia voluntas è conjecturis & effectis colligatur.

32. Ex his autem manifesto liquet, nostrates populos non *mandasse* tacitè, sed abdicasse ab se jus summæ potestatis, ac ita transtulisse in *Optimates*.

33. Passi enim sunt inde ab initio, Rectores Civitatium, & Possessores immobilium, non *expressè* ab ipsis constitutos, suo arbitratu Rempubl. administrare.

34. Ipsi populi nunquam de publicis rebus in unum convenerunt, ut vel præscriberent Optimatibus, vel rationes ab illis exigerent.

35. Existimarunt, quod res erat, ejusmodi conventibus universi populi, bonum publicum retardari, & omnium rerum foveri confusionem.

36. Neque deinceps dubitatum est, quod *Optimates* egissent, perinde habendum ac si à populo toto id actum fuisset.

37. Ardua quæque pacis & belli negotia, ultimis & peremptoriis *Procerum* decretis, constitui & finiri, ne tacitis quidem rumoribus unquam sunt questi, idque jam toto sæculo continuatum est. (7)

38. Nullus ordo, nulla facultas, nulla potentia totius populi in unum convocandi. Nec ulli unquam fuere tales conventus, nisi per deformes & insanas seditiones.

39. Quas qui jure summæ potestatis, in populo sitæ, factas adseveret, tàm egregius auctor politicus fuerit, quam qui omne civitatis Imperium è populi *mandato* arcessat.

40. Quod

(7) Ab instaurato avitæ libertatis jure, *anno* 1581.

40. Quod igitur nunquam habet actum exercitum, ei nec actum primum, nec adeo juris facultatem, adſcribere fas eſt.

41. Atqui jus totius populi, majorisve partis, apud *Friſios*, & in cæteris noſtratibus liberis populis, (ſive *Provinciis*, ut more ſæculi loquar) nullum habet actum exercitum, nec habuit unquam.

42. Ergo nec actus ei primus, qui ſemper & neceſſario eſt in *Mandante*, poteſt adſcribi.

43. Conſequenter tam ſua voluntate noſtrates populi jus ſuum, quod ipſi per *majora* exercere potuiſſent, tranſtulerunt in *Optimates*, quam Populus Romanus id ſe nolle facere palam teſtatus eſt.

44. Non poteſt igitur populus *Venetorum*, *Batavorum*, *Friſiorum*, à ſuis Optimatibus repetere jus quod alienaverunt, quod tranſtulerunt, & quod repetere iisque adimere poſſent, ſi Proceres *mandatam* à populo haberent poteſtatem.

45. Ne quidem, etſi perverſe conſulant *Proceres*, etſi publicam rem negligant, majorem ſui commodi, *ut fit*, quam communis rationem habeant, multisque hominibus præter rationem graves & iniqui ſint, non eſt tamen Populo jus *arma* capiendi, atque reſiſtendi.

46. Cum enim nihil ſit conteſtatius & liquidius hodiè, quàm quod olim Plato ad Dionem de ſui temporis civitatibus ſcripſit, ὅτι κακῶς ξύμπασαι πολιτεύονται, *quod omnes malè adminiſtrentur*, ſententia quæ *mandantis* jus populo, *mandatarii* regnantibus adſcribit, nullum unquam ſtabile jus parendi imperandique relinqueret.

47. Duntaxat, niſi palam ſit, hoc agere Optimates, quod vix fieri poteſt, *ut hoſtes ſe populi ſui gerant*, vel civitatem peſſumdent; hoc caſu ceſſare fœdus civitatis, antea demonſtratum eſt.

48. Quod ſi Populus *certa pacta* cum Optimatibus inierit, inde ab initio, vel deinceps; aut ſi *ad tempus* illos præeſſe voluerit; non eſt dubium, quin acta factaque Optimatium poſt illud tempus, aut contra leges conventionis, *ſint ipſo jure nulla*.

49. Tantum abeſt, ut pacta *vim aliquam majorem Mandato*, ſcilicet *Imperii*, circumdent, quod Orator volebat.

50. Neque tamen illa pacta conditionesque faciunt, ut delatio Imperii fiat *Mandatum*; verum faciunt, ut ſit tranſlatio conditionalis.

51. Hac

51. Hac ratione *Decemviri* apud Romanos, acceptâ ſane poteſtate ſummâ, verum ad tempus & ad certum finem, elapſo tempore vel expleto fine præſcripto, nihil erant quàm privati, ut jure Cives etiam privati illis reſtiterint.

52. Nec idem adfirmare verear, ſi qua Respublica *Rectores* habeat *Annuos* cum ſumma poteſtate, qui poſt annum ut Imperantes ſe gerere perſeverent.

53. Ut adeo fruſtra Decemvirali exemplo in rem ſuam & *mandati* probationem utantur Oratores.

54. Verum, ut antea dictum, *Pacta* vitandæ tyrannidis cauſa in *Optimatium* Imperiis adeo pauca ſunt, quam rara tyrannidis in *Ariſtocratiis*, præſertim laxioribus, exempla memoriæ ſunt prodita.

CAP. IV.

De Jure Regni ſimpliciter delati.

SEd Imperium Regale, quod jure belli non eſt fundatum, voluntate populorum expreſſâ plerumque conſtituitur, idque vel *ſimpliciter*, vel cum certis Pactis.

2. Quantum interſit, utrum conſtitutio Regis ſimplex ſit *Mandatum*, an *tranſlatio* juris quod populus habet, *ſuperius* intellectum eſt, *cap. I.*

3. Nos ita exiſtimamus; *Conſtitutionem Regis ſimpliciter factam eſſe tranſlationem* juris imperandi totius, *quod habet populus*, aut alioquin Optimates; cui *Pacta* tantum *derogant*, quantum in iis *continetur.*

4. Orator conſtitutionem Regis ſimpliciter factam eſſe *Mandatum*, Pactis fieri ut major aliqua poteſtas quandoque regnantibus tribuatur, contendit (*pag.* 10.)

5. Videamus primo de Rege ſimpliciter conſtituto, ſine ullis pactionibus; quales plerique *Orientis* Reges olim, hodieque habentur; qualis & *Daniæ* Rex nuper creatus. *Inf.* §. 29.

6. Ejusmodi ſimplicem Regis conſtitutionem non eſſe *Mandatum*, probabimus tam ex naturâ Mandati, quam & ex Jure, quod in talibus regnis omnes inveniri fatentur.

7. Ad

7. Ad naturam Mandati pertinet, primò quod *Mandans est Superior, & Dominus;* Mandatarius *inferior, & minister*: ac ita appellantur.

8. II. Mandans de singulis rebus Mandatario *præscribere* potest, & hic non tantum de dolo, sed etiam de culpâ negligentiâque tenetur.

9. Mandans *semper revocare potest Mandatum*, modo indemnem præstet Mandatarium; non tantum si male res gerat, sed etiam quoties *Mandator* per se vel per alium res suas administrare mavult.

10. Hæ proprietates non modo in privatis, sed etiam *in publicis Procuratoribus*, id est, *Magistratibus, qui Mandatu summæ potestatis constituuntur*, ita se habent ac ita observantur, tam in Democratia quam in aliis civitatibus.

11. Sed in *Regibus* simpliciter constitutis nullo modo habent usum.

12. Nam Reges à populis suis vocantur *Domini Clementissimi*, non tantum à singulis, sed etiam ab universis, populique se appellant *subjectos Regum fidelissimos*, ut non modo *Dani*, sed etiam *Angli* πανδημεὶ congregati.

13. Ita nemo unquam Dominus mandans, adversus Mandatarium suum, locutus est aut loqui potest.

14. Nunquam populi Regibus simpliciter constitutis de singulis rebus præscribere instituerunt; etsi aliquando *supplicantes*, quod mandantis qualitati repugnat, videas; extremis solummodo violentiis resistere quandoque solent.

15. Nullus unquam populus contendit, ut jam postulatur: *jus sibi esse Regi simpliciter constituto abrogare potestatem pro lubitu, & pari libertate quâ constituit illum*: nihil naturæ negotii, manifestæque partium voluntati, magis est contrarium.

16. Proinde Regiæ potestatis constitutio nihilo secus se habet, quam fert natura cujuslibet potestatis, cui volentes se aliquando subjiciunt.

17. Minor qui Curatorem, Uxor quæ virum, servus qui Dominum eligit (ut juris est Hebræi, atque Romani,) quam potestatem voluntate suâ fecerunt, ei subjecti sunt, ut eâdem se eximere nequeant.

18. Quod si Jus Regium non sit ex *Mandato*, sicut non esse probavimus, debet esse è translatione juris, quod eligentes habent, & quod Regi cesserunt, in eumque alienaverunt.

19. Hoc eſt evidentius, quando populus Rege conſtituto dilapſus eſt, ut nunquam redeat, nec ullus ordo, nulla facultas conveniendi, & de publicis rebus deliberandi jubendique reſervata eſt.

20. Nullum enim poteſt evidentius ſignum eſſe, quod totum jus ſuum abdicaverit, idque univerſum in Regem tranſtulerit, quam hujusmodi infinita diſſolutio.

21. Præſertim ſi antea, cum juris non parum ipſe populus & Optimates retinuiſſent, convenire ſint ſoliti, ſicut in *Dania* vidimus factum.

22. Quod tenendum ad hanc poſitionem: *Rex nunquam in mandata ſibi à populo Republ. tantundem juris obtinet, quantum ipſe populus; niſi is diſertiſſime id ei conceſſerit, & clariſſimis verbis, indubiisque locutionibus, ſuum à ſe jus prorſus & plane in Regem illum tranſtulerit.* (*pag.* 67.)

23. Valde vereor, ut qui ſic loquuntur, quid *Mandatum* ſit, intelligant; dum à mandato *tranſlationem* juris, quæ ſunt res oppoſitæ, excipiunt.

24. Verum qui antea Mandatum ita explicuerunt, quod ſit, *ubi poteſtas quo arbitrio data eſt, eodem adimi poteſt*, oportet heic memoriâ connexionis ſint lapſi.

25. Tu potius ita collige: ſi Imperium non ſit ex *Mandato*, ut demonſtratum eſt, ſed ex translatione juris ac alienatione, ſimplex ejus conſtitutio eſt alienatio univerſalis.

26. Propter hanc regulam: *oratio indefinita æquipollet univerſali*, non minus in populari ſermone, quam in definitionibus Artium.

27. Hoc agnoſcunt omnes populi, quibus ſolenne eſt, ſimplicem Regni delationem limitare pactis & exprimere, quas res Imperio delato velint exceptas.

28. Quod nullius uſus & ineptum foret, ſi vera eſſet Oratoris ſententia: *ſimplicem Imperii delationem unice æſtimandam à Natura Mandati.* Tunc enim nihil proprium haberet Rex, nihil quod excipi poſſet, exiſteret.

29. DANI cum abſolutum in Regem ſuum Imperium totumque jus populi & Optimatium *nuper a.* 1660. in illum transferrent, nihil aliud fecere, *quam quod Pacta Legesque Regiæ poteſtati præſcriptas aboleverunt, librumque earum Regi tradiderunt*, ut teſtatur oculatus teſtis *Terlonius* in ſuis *Memoriis.*(8)

30. Ar-

(8) Conf. *Moleſworthii* liber anonymus, Etat du Danemark, *cap.* 7. eiusque refutatio, Defenſe du Danemark, *eod. cap.*

30. Argumento, se Pactis sublatis rem intelligere esse redactam ad summam *sine fine* potestatem, *nisi quem finem populus & Optimates ipsi habuissent.*

31. Verba Terlonii cum venia Lectoris, etsi peregrina, apponam: *Les Estats s' assemblerent dans la grande salle du Chateau, ou le Senateur Trolle presenta au Roy de Dannemare, de la part de la Noblesse, le* Handfestnung; *qui est un livre que l' on nomme ainsi, ou sont toutes les Loix contraires à la Souverainetèe qui s' alloit establir.* Id est: *Ordinibus in Aulà majore congregatis, Senator Trollius Regi Daniæ tradidit librum cui nomen erat* Handfestnung, *quia in eo continebantur omnes leges contrariæ absolutæ potestati, quam erigebant, idque nomine Nobilitatis:* urgente imprimis populo, ut satis constat.

23. Omnis igitur ratio generis humani omnino conspirat in hoc, quod Juris-Consulti Romani colligunt ex *Lege Regiâ:* Imperio populi *simpliciter* in Regem vel Optimates *translato*, totum quod populus in se suasque res habuit, jus esse translatum.

33. Atque adeo Populum vi suæ voluntatis non posse redire ad bellum, *nisi Rex hostis populi sit factus*, atque ut talem se gerat, quem casum & in Democratia excepimus.

34. Quod facere intelligitur, *si datâ opera quoslibet ex populo perimat, spoliet, vexet;* in eoque præfractè perseveret, fere ut unus olim talis; *Hoc agamus*, ait, *ne quisquam quicquam habeat.* (9)

35. Verum ut singuli ob ejusmodi injurias, *quamdiu institutum illud non patet nimis late, nec sit generale*, se armis opponant, non convenit cum natura fœderis, quo civitas constituitur.

36. Multo minus cum patientiâ Christi populo imposita, neque cum Literis Sacris, aut usu veterum Christianorum.

37. Quatenus satis constat, in Dei literis nihil esse, quo privatis potestas fiat ob injurias corporis aut bonorum, vel populo toti aut ejus parti, ob talia quæ non arguant animum hostilem, aut præsentem Civitatis magnæve partis ejus ruinam, se Regum actis opponendi armis belli. De moderamine inculpatæ tutelæ contra vim *more latronis* illatam antea diximus, nec est heic locus agendi. *Sup. cap. II.* §. 19.

38. Textus Samuelis περὶ δικαιώματος τοῦ βασιλέως alibi à nobis absolutus, & probatum est, nihil opus esse, ut vocem Hebræam

(9) Verba Neronis, apud Suet. *cap.* 32.

bræam aliter quam solito more per *Jus* reddamus; sed *Jus*, quale Prætor facit, quando *inique* decernit, ut Paulus docet in *l. pen. de Justitia & Jur.* obligans scilicet *ad patientiam*, sive *passivam obedientiam*, in quam vocem valde ringuntur politici Mandatarii. (10)

39. Novi quidem ad locum istum nihil admodum adtulerunt. Nam quod multis verbis populo non fuisse propositum, se Regum injuriis subjicere, sed judicia & ducatum in bellis quæsiisse contendunt, hæc est indubitata mens omnium, qui veniunt in civitatem.

40. Sed quia prudentium est scire, quam perverse homines potentiâ sibi delatâ soleant uti, secunda consideratio est, quam Samuel iis inculcat, fore ut, si Reges male regnent & injurias committant, idcirco jugum excutere nequeant.

41. Nec id unquam legimus, populo auctores fuisse Prophetas, ne quidem adversus Reges impientissimos.

42. Nam defectio *decem tribuum* à Roboamo, unde juris argumentum ducit Orator, justo quidem Dei judicio & decreto, sed nullo bono exemplo consiliove, viâ pervulgata tumultuantis plebis, & ambitione tyrannidi imminentium perpetrata est.

43. Valde sibi placent dissentientes in eo quod Prophetam à Deo inspiratum, morem tyrannicum *juris* nomine fuisse demonstraturum minime credendum sit.

44. Ego vero *jus* esse statuo, per quod filius à Patre, uxor à Marito, servus à Domino, civis à Civitate male habitus, ad *passivam*, fas erit hac voce opinor uti, *obedientiam* tenentur.

45. Ejusque juris Deum Auctorem, atque eundem injuriæ à parte facientis vindicem esse probo, quod nullo modo pugnare sciunt Divini atque Humani Juris Consulti.

46. Definendum igitur in hoc est, Regiam potestatem simpliciter à Populo, nullam Imperii partem excipiente, delatam, non esse *Mandatum;* sed esse juris, quod populus habebat, *translationem*, ita ut de Aristocratiis intelleximus.

47. Atque ideo de Regibus ita constitutis, recte dixeris, quod Argivi antiquissimi ad suum Regem *apud Æschylum*, *in Supplic. vs.* 402. *seqq.*

ΣΥ

(10) Vid. Opus *de Jure Civit. lib. I. Sect. II. cap. VIII.* §. 12. & Inst. Reip. *Sect. I. cap. V.* §. 7.

ΣΥ ΤΟΙ ΠΟΛΙΣ, ΣΥ ΔΕ ΤΟ ΔΗΜΙΟΝ, ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΑΚΡΙΤΟΣ ΩΝ.

TU QUI ES POPULUS, TOTAQUE CIVITAS,

JUDEX JUDICIS EXPERS.(11) Quod hodie nemo de Senatu *Veneto*, de Ordinibus Universis *Bataviæ*, & Possessoribus immobilium in *Frisia*, juxta urbium Rectores, prædicari insolens arbitretur.

(11) Vid. de hoc loco Gronovius Avus *ad Grot. lib. I. cap. III. §. VIII. num. 10. not.* 98.

CAP. V.

De Contractu originali, & Jure Regni pactis limitati.

PORRO ad Imperii simpliciter aut certis pactis constituti naturam pertinet *Quæstio*, nuper etiam in Angliâ mota: an inter Imperantes atque subjectos intercedat omnino aliqua Conventio, sive *Contractus*, quo primum fundatur Imperium, unde *Originalis* vocetur?

2. Qui *negant*, hi simplicem Imperii constitutionem per modum *Compromissi* omnium singulorumque civium inter se considerant.

3. Ne de illis, qui Imperium à *Deo*, sine medio suprà cives impositum, derivant, loquamur.

4. Quando litigantes metu belli judiciarii in Arbitrum *compromittunt*, hoc fit mutua conventione inter ipsos; *Quod Titius de nostra controversia statuet*, *id tu servaturum te spondes? Et Tu* vicissim *? Spondeo*, dicitur utrimque. Hoc est *Compromissum*, cujus vi partes stare coguntur Arbitri sententiâ, *sive æqua sive iniquâ*, sine ullo provocationis remedio.

5. Quanquam autem omnis Arbitri potestas ex compromisso veniat, nullus tamen inter litigantes & Arbitrum vertitur *contractus*, quo hic se bene judicaturum promiserit, sed tantum, quo Arbitrium *recepit*.

6. Interim litigantes certos limites Arbitro futuro præscribere solent, quos si excedat, *ipso jure nullum est*, quod facit & jubet; quia potestas ejus unicè de compromisso partium pendet.

 7. Eo-

7. Eodem modo, ajunt, qui illorum ſunt moderatiores: Civitatis Imperium metu belli fundatur in reciproca promiſſione Civium, hujuſmodi in Democratiâ; *Quod pars major populi ſtatuet, id tu facere, pati, ſpondes? Spondeo. Et Tu viciſſim? Spondet* ſimiliter; ſic totus populus conjungitur. In Ariſtocratia, in Regno: *Quod Optimates, quod Rex ſtatuet, ei te pariturum ſpondes?*

8. Hactenus cives inter ſe conjuncti ſunt; *pars major* quæ tum adhuc nulla eſt, caeterique *Imperantes*, etſi recipiant Imperium, ad certum modum regnandi nullo contractu tenentur.

9. Si tamen ante receptum Imperium certae *leges* regnandi præſcribantur, has limitare poteſtatem regnantis, ut acta contraria ſint ipſo jure nulla, dictum & certum eſt.

10. Non quod leges iſtæ per modum Contractus eum obligant, ſed quia vim habent *legum fundamentalium*, ne plus juris habere poſſit quam Populus voluit.

11. *Jusjurandum* quod ferè ſequitur, non facere novum cum populo contractum, Imperio jam pridem ſtabilito, ſed obſtringere Imperantes Deo.

12. Quando igitur hi male rem gerunt, *perjuri* ſunt, nec tamen fidem populo datam violant; quia id actum non eſt, ut nova obligatio contraheretur.

13. Nam ante præſtitum jusjurandum Rex electus, aut hereditarius, eandem poteſtatem exercet, quam poſtea; niſi aliter expreſſe cautum ſit, ut nuper à *Scotis*. (12)

14. Hæc in caſu *Regni conſtituti*, ſicubi de contractu initio non conſtet, haud inſubtiliter diſceptantur.

15. Imò *in dubio* contractum inter Regem populumque, præter acceptationem ejus, quod cives inter ſe compromiſerunt, præſumi non poſſe videri, quia contractus ſunt *facti*, quos ut probari oporteat, præſumi non ſolent.

16. In *Democratia* non videtur ejusmodi contractui locus eſſe poſſe, quia pars major quæ exercet Imperium, ſtabilito demum imperio exiſtet.

17. In *Optimatium* quoque Republica vix eſt ut talis ſtipulatio interveniat; quia plerumque ſtabilitur in incertas perſonas, ſicut in exemplo *Baliæ* Florentinæ ſuperius demonſtratum eſt, *cap. III.* §. 25.

18. Ad-

(12) *Anno* 1689. Vid. Burnet. *lib. V. Hiſt. ad d. a. p.* 23. *ed. in* 4. Mutatum vero poſtea *anno* 1707. in tractatu unionis. Idem *lib. VI. p.* 59. *ſeqq.*

18. Adversus hanc tamen sententiam disputavimus in *lib.* 1. *de Jure Civit. Sect. II. cap.* 4. ubi probatum, in ipsa quoque Democratia dari *fœdus* inter Imperantes atque subjectos.

19. Ideoque illos, si non proponant sibi ut Legem Supremam, populi salutem, *perfidiæ* reos non modo in Deum, sed in ipsum quoque populum fieri demonstravimus.

20. Sic tamen ut ab illo *fœderis* articulo separatus sit alius, qui est de Imperio ob injurias Imperantium non dissolvendo.

21. Nisi ob demonstrationem *hostilis in populum animi*, vel ob caussas specialiter expressas.

22. Tenemus igitur in universum: dari *contractum originalem*, inter quemlibet populum Imperantesque à populo constitutos.

23. Sed contractus ejus partes plerumque multo evidentiores sunt in *Regno*, quam in Aristocratiâ.

24. Qualis sit contractus speciės, ex re gestâ, naturaque negotii intelligendum est.

25. Plane si populus ita faciendum putet, ut Regem *Mandato* constituat, quominus ita faciat, nihil magis impedimento est, quam in Magistratibus constituendis.

26. Quin si Magistratibus suis *Regum* nomen tribuere velint, nec vocis etymologia, nec forsitan exempla deficiant, etsi à more populorum id est alienum.

27. Talis Rex Mandatarius fuit *Theseus* Atheniensium, ut ipse quidem fatetur apud Euripidem *in Suppl. vs.* 404. *seqq.*

Δῆμος δ' ἀνάσσει, κ'οὐχ' ἑνὸς
Πρὸς ἀνδρὸς ἄρχεται πόλις.

Heic populus imperat, nec uni
Subjecta civitas tenetur. (13)

28. Hoc autem fit, quando ipse populus jura *summæ potestatis* sibi reservat, pacis & belli, ferendarum legum, summam provocationem, creationem Magistratuum præcipuorum, & cætera τὸ κράτους instrumenta.

29. Quando autem populus Regem constituit, nihilque sibi retinet; si quis tum velit, MANDATUM concipere, non potest aliam imperandi formam habere in animo, quam fuit in castris apud Trojam, apud Eurip. in *Iphig. Aul. vs.* 927.

Καὶ

(13) Egregius locus, unde comparatio haud inelegans Frisiorum inter & Atheniensium rempubl. percommode institui posset. Conf. Grotius *d. lib. I. cap. III.* §. *VIII. num.* 11.

Καὶ τοῖς Ἀτρείδαις ἢν μὲν ἡγῶνται καλῶς,
Πεισόμεθ᾽· ἐὰν δὲ μὴ καλῶς, οὐ πεισόμεθα.

Et nos Atridis, si quidem bene imperent,
Parebimus; sin minus, non parebimus.

30. Hæc enim est ratio *Mandati*, quamdiu placet administratio, continuatur; quando piget, revocatur.

31. Et credo eos, quibus à puero Civitatis imperium à *Mandato* pendere visum est, difficulter limites inventuros, quos ultra citraque Rectores simpliciter creati procedere nequeant.

32. Aut enim Mandatum non est; aut à Populi arbitrio, non à Rectorum prudentiâ, judicium, bene an male fungantur regimine, dependet.

33. Quam bene autem se talis civitas habitura sit ad pacem, si quis ad intelligendum demonstrationis egeat, cum eo de his rebus disputari non posse, merito quis dixerit.

34. Qualis igitur est *Contractus?* Est cessio & alienatio, cujus titulus Imperium: eaque vel simplex, vel limitata pactis & conditionibus.

35. De *Simplici* actum *capite præcedenti*, deque eâ tenendum: etsi nullæ conditiones ei palam adjiciantur, inesse tamen nonnullas ex natura negotii quod agitur.

36. Præter eas, quibus etiam in *Democratiâ* locum esse diximus, de animo hostili, & de vi more latronum facta.

37. In *Voluntariis* tacite intelligitur, I. Salvam civibus esse debere *libertatem* personarum, rerumque suarum *Dominium*. (14)

38. II. Imperantes non posse *alienare* civitatem vel ejus partem, Regesque nihil ultrà terminos *vitæ* de Imperio statuere posse, & si qua similia.

39. Sed *expressa Pacta* in Imperiis Voluntariis plura vel pauciora sunt, ut quisque populus libertatis suæ providus, aut fiduciâ erga Principes securus est.

40. Nam in *Aristocratiis*, ut sæpe dictum, maxime laxioris numeri, pauca vel nulla sunt inter populum & Optimates pacta conditionalia.

41. Utrum autem *tollant* conditiones Potestatem Summam, an *arctius* duntaxat exercitium ejus faciant, ex qualitate sententiâque singularum est colligendum.

42. *Tol-*

(14) Quod nescio, an quisquam plenius ostenderit acutissimo Lockio, *de Regim. Civ. cap.* 3. *&* 4. imprudentius vero negaverit Jo. Fried. Hornio, *in Archit. de Civit. lib. II. cap.* 2. *&* 3.

42. *Tolli* videtur, quando ſic conſtitutum eſt, ne quicquam Rex in ſummâ Repub[l]. ſine conſenſu Senatus vel Ordinum populi facere poſſit.

43. Quo caſu ſumma poteſtas inter populum Proceresve cum Rege *communicatur*, atque ita omnino in hujus perſona deſinit eſſe *ſumma*: ſicut uſu venit in *Polonia*. (15)

44. Quod ſi communicatio non fiat in univerſum, ſed de certis capitibus, ibi non tolli, ſed *minui* ſummam poteſtatem, ratio dictat; ut fit in *Magnâ Britannia*.

45. Hujusmodi conditiones *tribus modis* conſtitui videntur. Aut per modum ferendi leges inde ab initio; vel prævio conſenſu Regnantis; vel per præſcriptionem.

46. Inde ab *initio*, per modum legis, priusquam Regnum conſtituatur, vel cum poſtea thronus vacat. (16)

47. Vacare thronus dicitur in *Electivis* regnis, quoties Rege mortuo novus eligitur, cui novæ conditiones identidem præſcribi poſſunt, ut fit in *Capitulationibus*, quas vocant.

48. In *Succeſſivis* Regnis vacat thronus, quando Regia ſtirps deficit, aut quando ſucceſſio interrumpitur.

49. Quod *jure* fieri nequit, ſi verum eſt quod probavimus: Imperium à populo eſſe alienatum; niſi quando *verè* caſus exiſtit, quo Respubl. aliter ſalva eſſe non poteſt, qui caſus eſt *facti*.

50. Quod ſi demonſtrare voluerint, qui nuper in vicino regno ingeminabant: *Rege opus eſſe de jure, vel de facto*; & hunc modum poſſe legitimari; nec ratione, neque exemplis, deſtitui videntur. (*)

51. Quatenus nulla forte gens tam monarchica aut ſucceſſoria eſt, in qua plura ejusmodi exempla *juris facultatem* non induerint, ſicut bis apud Francos *Galliæ*. (17)

52. Non vacante throno, novæ regnandi leges ſtabiliri non poſſunt, niſi Rege conſentiente per modum *Contractus*; quorum obvia ſunt exempla, nullumque πραγματικώτερον *Friſia Orientali*. (18)

D 53. De-

(15) Minus convenire exemplum *Poloniæ* ex fundamentalibus ejus Regni legibus perquam manifeſtum eſt Vid. Conringius *de Rep. Pol. tom. IV. Opp. p.* 426. Becmannus in *Hiſt. Civ. cap. VIII.* §. 6.

(16) Immo ſolius pacti, de quo in *cap. ſeq.* (*) Regnum *Angliæ* intelligitur.

(17) Sub *Pipino*, anno 752. & ſub *Hugone Capeto*, anno 987

(18) Immo vero prorſus alienum, ſecundum principia *Juris Publici Imp. Rom. Germ.* Vid. Ubb. Emmii Hiſtoria noſtri temp. *ſub init.*

53. Denique *Præscriptione* Regna simpliciter delata sæpe fieri conditionata; quemadmodum limitata quandoque simplicia, & absoluta fiunt, probavimus in *lib.* 1. *de Jure Civit. Sect. III. cap. IX.*

CAP. VI.

De Sanctione Legum Fundamentalium.

CONditiones alienationi summæ potestatis adjectæ, sive per modum Legum, quas *fundamentales* vocant, sive per modum paciscendi concipiantur, *sanctione* sive clausula executoria, quæ det illis effectum, confirmantur. (19)

2. Sanctio autem illa est expressa vel tacita: *Expressa*, quando populus, aut Proceres stipulantur; *ut si Rex non servet eas Leges, eave pacta, tum cives ad obsequium non teneantur.*

3. Talem *Poloni* & *Hungari* suis electionibus adjicere sunt soliti, & illi quidem non desierunt; hi novo Regi suo volentes nolentes, eam nuper, sub titulo *de Edicto R. Andreæ tollendo*, remiserunt. (20)

4. *Tacita* sanctio est, quæ verbis non exprimitur, sed ex animo sententiâque partium, negotiique naturâ, tacite intelligitur.

5. Inter expressam autem & tacitam hoc interest, ut videtur: vi *expressæ sanctionis* singuli cives, aut Magnates, habent jus opponendi se & resistendi his, quæ contra pacta fundamentalia fiunt.

6. Sicut in *Polonia* singuli Nobiles habent jus tribunitium intercedendi, & comitia rumpendi; atque in edicto *R. Andreæ* continebatur; rebelles non fore, qui Regum actis contra leges susceptis vim opponerent.

7. Ex *tacita sanctione*, quam recte dicas inesse cunctis Imperii pactionibus originariis, duplex effectus

(19) Omnem istiusmodi vim *legum* a naturali *pactorum* inter pares obligatione arcessendam esse, res ipsa loquitur. Vid. *Instit. Reip. Sect. I. cap. X* §. 26 *seqq.*

(20) De *Polonis* id Pacta Conventa nominatim testantur; sicuti de *Imperatoribus* nostris Capitulationes. De Principibus *Belgarum* Schookius *Lib. I. cap. I* Privilegium Regis *Andreæ* ab anno 1201. usque annum 1687. quo in Comitiis abolitum. Vid. Gundlingii *Discurs. Eur. p. II. p.* 743. *seqq.*

effectus oriri videtur, primus, & secundarius.

8. *Primus* est *nullitas*, quatenus acta Regum Pactis Fundamentalibus contraria, sunt ipso jure nulla.

9. Quia Rex potestatem sibi delatam notoriè excedens, hactenus ipso jure sit *privatus*.

10. *Secundarius* effectus est, qui inde mediatè oritur, jus *de facto*, ut ajunt, se opponendi, atque resistendi.

11. Hoc singulis non competit, verum his qui pacti sunt, aut *parti* illorum *majori*.

12. Nam *singuli* qui non pacti sunt, jus universorum occupare non possunt, quibus competit existimare, quando leges exequi, vel pacem præferre velint.

13. Proinde singuli tenentur *obedientiam* duntaxat *passivam*, ut ne consentiant, nec faciant quicquam parendi causâ; sed vim ne opponant. (21)

14. Quod si tantus sit excessus legum & tanta vis dominationis, ut nullum sit dubium, quin hi, quorum est jus pacti, si possent, opponere se vellent; dicendum est, initium à *paucis* fieri posse.

15. *Ratihabitio* quoque libera eorum, qui jus pacti habebant, eandem vim heic loci, quam semper, obtinebit, ut pro *Mandato* habeatur.

16. Harum rerum evidens usus venit in *motibus Belgicis*, qui à paucis Proceribus & infimâ plebe, non ab iis quibus ab antiquo jus populi erat, sunt inchoati(22)

17. Sed postquam de *nullitate* plurium à Principe actorum non dubitabatur, nec etiam de animo majoris Procerum partis, ut ex ratihabitione liberrimâ dein approbatum est, acta gesta *paucorum* legitimata sunt.

18. Idem in novissimo *Angliæ Scotiæque* processu, ac eventu, curatè observatum esse, facile animadversum est. (23)

19. Ex his facile colligitur, in Regnis, & in Aristocratiis simpliciter constitutis, ubi nulla sunt *Pacta Originalia*, non oriri tale jus primævum, aut secundarium; nisi faciant Imperantes contra quod tacitè in omnibus Imperiis excipi *suprà* demonstravimus.(24)

 20. Sed

(21) Meretur de abusu hujus obedientiæ apud Anglorum quosdam, ex rigidiore *Torr-siorum* secta, evolvi Thoyrasius, *pec. diss. p.* 81. *seqq.* & de *Hugonotis* Galliæ Baylius, *Dict v. Amyraut p* 186.

(22) Vid Grotius, *Lib* 1. *Annal. sub init.* & *de Antiq. Reip. Bat. cap.* 6.

(23) Sup. *cap* 1 §. 4 & 5.

(24) *Cap. V.* §. 37. & *seqq.*

20. Sed an violatis quibusdam pactis originalibus, imperantes idcirco excidant Regno, si *clausula Commissoria* expresse non sit addita, non facile dictu est.

21. Fit autem clausula Commissoria, hoc modo; *si is, in quem rei vel juris aliquid translatum est, non stet pactis, tunc illam rem vel jus illud, amissum iri.*

22. Satis constat, si pacta contractibus adjecta non serventur, agi ad *reparationem*, non ad *rescissionem* contractus.

23. Nam illi plurimum errant, qui inter *pacta* contractibus adjecta & inter *conditiones*, à quibus contractus suspenduntur, non distinguunt.

24. Dicendum igitur: jus *removendi* Imperantes non oriri ex violatione quorundam pactorum fundamentalium; sed jus *in ordinem* illos *redigendi.* (25)

25. Verumtamen & hoc certum est, *Tyrannos* posse removeri, non tantum eos qui *titulo* tales dicuntur, sed etiam qui jure constituti in *exercitium* tyrannidis degenerant.

26. Quid autem sit *Tyrannus*, perplexa disputatio est. Tu nihil errabis, opinor, si dicas: *Tyrannum* esse in Imperio simpliciter delato, *qui hostilem animum induit adversus suum populum.*

27. Et in Imperio pactis limitato; *qui jus sibi delatum notorie atque præfractè egreditur, idque exequitur.*

28. *Egressus* notorius inchoat, *executio præfracta* absolvit Tyrannum.

29. Ne quis putet, hoc vocabulum solis convenire *sanguinariis.*

30. Quando igitur Princeps non contentus *egredi* terminos potestatis sibi delatæ, monitus aut rogatus non desistit; sed iis se *nolle teneri* demonstrat, in eoque præfractè perseverat, hunc esse *tyrannidis* reum, & posse removeri, nulla dubitatio est. (26)

31. Hac ratione *Belgarum populi* sunt usi, qui plus decennio se intra terminos resistendi continuerunt; antequam Principi suo Imperium abrogarent.

32. Nec id faciendum credidere, nisi postquam *τὸ præfractè* multiplici experientia constiterat, cujus rei momenta *Decreto Abrogationis* sollicite recensuerunt. (27)

33. Ut

(25) Vid. Grotius *Lib. I. cap. III.* § 16.

(26) Grotius *Lib. I. cap. IV.* §. 11. item Schelius *de Jure Summi Imperii*, & Noodtius *de L. Regia*

(27) Vid. Epistola *de Motibus Belgicis*, apud Schurtzfl. *diss. LI.* Decretum abrogationis anno 1581. promulgatum d. 26. Jul. habet P. Borrius *Lib. XVI. p.* 276.

33. Ut tamen *longi temporis spatio*, quod decennio à Juris-Consultis finitur, non sit opus, ad colligendam ejus rei certitudinem; praesertim si quis populus Regem habeat præsentem, ejusque acta testis oculatus inspiciat.

34. Hoc etiam inter Tyrannum populi *hostem*, & Pactorum *violatorem*, interesse merito statuetur.

35. Ut qui *animum* erga populum *hostilem* ultro & ex libidine suscipit, eumque demonstrat, is etiam jure possit occidi; adeoque si res ferat, per sententiam damnari, ut factum est in *Neronem*. (28)

36. Qui vero *pacta* duntaxat *servare* præfractè noluit, in hunc pœna, *remotio* ab Imperio, & *cautio*, ne redeat, ex Juris quoque ratione sufficit.

37. Denique, *Personam Principis* extra consequentiam remotionis, male haberi, nec juris, neque dignitatis, nec humanitatis, ratio patitur; ut exemplo Davidis in Saulem recte probatur. (29)

(28) Apud Sueton. *cap.* 49. Verum minus recte, ante tempora *Diocletiani*, ius summi imperii Principibus Romanis tribuitur. Vid. Eutropius *lib IX cap.* 16.

(29) Vid. Grotius *lib. I. cap. IV.* § 7. *n.* 6. *ibiq. Barb.* & Baelius, *Diction. v. David*, *&* *Tom. IV. p.* 655. 662. *& seqq.*

CAP. VII.

Comparatio Mandati, à quo Imperium pendere dicitur, cum priore sententiâ.

Ex his rebus expositis denuo satis evidenter intelligitur, nullos populos, Imperium simpliciter deferentes, ita existimare, se cum Imperantibus contrahere *Mandatum*, & hos esse *Procuratores* suos.

2. Cui bono Leges Fundamentales, jura reservata, pacta limitantia Regiam potestatem, ut his violatis potestas Imperantium *revocetur*? cum Mandata semper revocari possint?

3. Quin satis indicant populi, inquam, se excipiendo *casus certos*, quibus Regi negare possint obsequium, ita statuere: quamdiu leges illas servant, non posse

iis obſequium à civibus negari, & ſic non eſſe Mandatum.

4. Denique *Mandati*, & *Alienationis* diſcrimen circa Imperium, non minus eſt ob oculos in quibusdam *Ariſtocratiis*, ut Venetorum exemplo jam pridem illuſtratum eſt, quàm in *ſingulorum*. (30)

5. Manifeſtior, quam in *Venetis*, datur oppoſitio Mandati & Alienationis, in florentiſſima *Batavorum* Republ. ubi Summa Poteſtas eſt penes *Ordines*, hoc eſt, Equites & Civitatium Rectores, veriſſimâ Ariſtocratiâ.

6. Hi per *Legatos* in unum coëunt, quos eſſe veros Procuratores & Mandatarios Ordinum, non Ordines ipſos, res ipſa demonſtrat.

7. Quia de ſingulis rebus ſibi mandatis, quas *egredi* nequeant, inſtruuntur, denique perpetuo à ſuis Mandatoribus dependent.

8. Sed hi *Mandatores* iterum non ſunt mandatarii populorum, ut ab his ita, quemadmodum Procuratores à ſuis Mandantibus, dependeant.

9. Cujus enim rei nulli ſunt effectus, hanc in civilibus non exiſtere certum eſt: nec tamen ulla pacta ſunt, quibus majorem aliquam poteſtatem acceperint Ordines à *Populo*.

10. Unde igitur, quod à *Populo* non dependent, quod rationes ei reddere non coguntur, quod *Populus* formam regiminis mutare non poteſt? (31)

11. A Deo, ſine medio, voluit Graswinkelius, in Tract. *de ſummâ poteſt. Ordd. Holl.*

12. Sed non eſt recedendum à doctrinâ Petri Apoſtoli, quod Imperium ſit *κτίσις ἀνθρωπίνη*, *humana creatio*; licet ad curam divini moderaminis eximie pertinens. (32)

13. Proinde ſi volente & conſentiente *Populo*, ut dictu neceſſarium, inde ab antiquo ſtructum eſt Imperium, quod *Populus* nullo modo participat, oportet eſſe ſimplicem atque inrevocabilem *alienationem*, à Mandati naturâ diverſiſſimam.

14. Vi ſimilis cum in Batavis Mandato, patrum noſtrorum memoriâ, Conventus Ordinum *Friſiæ* agebantur. Legati erant veri

(30) Vid. Inſtitt. Reip. *Sect. I. cap. III.* §. 8. & 9.

(31) Potius ab imperio *Francorum* hæc jura repetuntur, unde ad *Comites*, *Duces*, *Reges*, Imperii vaſallos, & ab his ad *Ordines* tranſierunt anno 1581. *Pace* demum *Weſtphalica* publice confirmata, anno 1648. *art.* 1. & 53.

(32) Vid. *Inſtitt. Reip. Sect. I. cap. II.* §. 9. *ſeqq.*

veri Procuratores, & Mandatarii. (33)

15. Nomen idem manet hodieque; tabulæ quibus instructi ad Comitia mittuntur, vocantur *Procurationes*, ipsi Procuratores cum liberâ, barbare, *Plenipotentiarii.*

16. Sed accidit, quo nihil in Jure frequentius, ut *re mutatâ*, nomen idem manserit.

17. Olim à *Mandantibus*, qui sunt Immobilium possessores, & Senatus Urbium, dependebant; ad quos de rebus majoris momenti referebant, nec iis inconsultis quicquam novi decernere poterant.

18. Deinde comperto, multitudine Mandantium publica consilia inretiri, placuit, ut *annua potestas* independenter, & sine relatione, Legatis daretur. (34)

19. A quo tempore constitutio Legatorum fuit *translatio juris*, quod habent Constituentes; ita ut omne eorum jus ad Rempubl. spectans habeant *Plenipotentiarii*, sic jam dicti ἐμφατικῶς, non ut Mandatarii, sed ut ita loquamur, *Cessionarii*, jus plenum habentes.

20. Non tamen ultra *annale spatium*, quo finito, jus eorum sponte finitur: nihil enim vetat translationem juris æquè fieri ad tempus, ac in perpetuum.

21. Non tenentur igitur tales Legati ad rationes reddendas, non possunt ante *annum elapsum* revocari, aut circumscribi, juberi, vetari à Constituentibus: quæ facultates sunt inseparabiles à *Mandato.*

22. Cujus quidem *hypothesi* nihil periculosius aut Imperantium Majestati inimicius, & imprimis à juris ratione alienius, excogitari potest.

23. Ultimum isthuc abunde demonstratum est, & *consequentiam* reliquam ipsa res loquitur.

24. Credendum est equidem, obtestantibus viris egregiis dissentientibus: nunquam illos favisse *tumultuanti & seditiosæ plebi*, quam fatentur esse teterrimam postem & sentinam Civitatum.

25. Sed qualiscunque sit Populus, etsi fæx Romuli, si modo cives & major pars sint, in *Mandatore*, & ejus potestate non distinguuntur mores. Quisque liber est arbiter & moderator suarum rerum, bonus an malus, prudens an imprudens, nihil interest.

26. Si *Populus* semper habet supremam potestatem, si *Mandator*; sit

(33) Ubbo Emmius *pec. tract. ad calc. Histor.*

(34) Ab anno 1629. apud Auctorem *de Jure Civit. lib. I. Sect. VIII. cap. I* §. 3. 29. *seqq* Salvis tamen Legibus Fundamentalibus, de Juribus *Præfecti*, & superiorum *Collegiorum*, &c.

sit Imperantium; hi debent ὑποτήσσειν, nec ægre ferre, quod à pessimis Dominis pendeant, & reposcentibus rationes aut summam Imperii, non habent negandi causam.

27. Quod igitur Mandati Regalis, aut Optimatium Imperii, Auctores testantur: nihil sibi cum *plebe seditiosa*, neque nunc, nec unquam alias commercii aut negotii esse velle, bene habet, ac credi fas est.

28. Sed hæc ratio non convenit cum *hypothesi Mandati*. In *Democratiâ* major populi pars, etsi pessime consulat Imperio, potestatem Magistratibus optime meritis abroget, omniaque misceat; jure tamen suo, licet injuriam committat, utitur.

29. Idemque juris est, ubicunque summa Imperii à Mandato populi, quod est fundamentum *Democratiæ*, pendet.

30. Si plus juris habet populus, *quam ipsi expediat*, ut de quâdam in Belgis civitate scribit *Grotius*, hoc ad juris quæstionem non pertinet; non magis quam prodigentia Patrisfamilias, cui nemo interdicit, vim dominii infringit. (35)

31. Frustra dantur Imperantibus *vires & copiæ* ab Oratoribus, per quas cohibeant tumultuantes; frustra additur modus; *ne tales sint copiæ, quibus ipsum opprimere & in servitutem redigere queant.*

32. Hæc sunt monita *prudentiæ*; Jus mandatarii à voluntate Mandantis populi pendet, qui vel nullas tribuit copias, vel quas tribuit, has iterum, ubi visum fuerit, adimit.

33. Ut nihil sit manifestius, quam motus populi rerum domini & mandatoris, si quando *major pars* consensit, quicquid etiam moliatur, nullo juris repagulo posse cohiberi.

34. Plane destitutam ratione & ordine sententiam ratione & ordine velle gubernare, tam est irritum, quam conciliare rem ipsam cum philosophiâ juris, est ἐκ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀσυστάτων.

35. Ajunt præterea: *infinitis modis plura evenisse mala in humanum genus ex eo, quo fræna laxantur tyannidi*; quam quod summa potestas populo vindicatur.

36. Sed præter quod ἀναρχίας mala facile vincunt tyrannidem, velim & mihi vicissim credant Oratores politici, *me nunquam favisse tyrannidi*, sed contemnere populos, qui Imperia simpliciter, &

(35) De Civitate *Groningana* ita Grotius loquitur in *Hist. Belg. ad ann.* 1594.

& ſine exceptione transferunt in Principes. (36)

37. Laudare me *Ariſtocratias* populosque prædicare beatos, quibus ſub optimatibus agere licet.

38. Aut ſi *Regno* careri non poteſt, cenſeo id agendum, ne poteſtas Regum ſit effrenis, & neſcia legum.

39. Verum, ut populi, qui ſponte ſe abdicant Imperio, nihilque facultatis reſervant, *ſupremam poteſtatem* in Reges & Optimates *retinere* dicantur; miror civili judicio præditos homines non animadvertere, quam ſit alienum à ratione juris, & evidentia rei geſtæ. (37)


40. Atque hæc ad explicationem ſententiæ noſtræ, & demonſtrationem, quam *inconſulta* ſit contraria, ſufficere arbitramur.

41. Ex his quæ *Mandatum originale*, quod omnibus Imperiis det fundamentum, noviſſimè adſtruxerunt, nihil quod ullam oppoſitionis ſpeciem haberet, omisſum recordamur.

42. Pleraque utrimque concesſa transmiſimus, qualia cum Oratoribus ingeminare licet: *Utinam ubivis Gentium re ipsâ eſſet*, *ſimul Salus populi Suprema Lex*, *ſimul declarata ejusdem voluntas & Conſenſus Supremum jus!* & id genus alia paſſim.

(36) Ex genio & voluntate cujusque populi id aeſtimandum eſſe, prudenter monet Grotius, *lib. I. cap. III.* § 8.

(37) Omnem vero litem facile componet Majeſtatis in *realem* populi, & *perſonalem* imperantium diſtinctio, perperam vulgo intellecta, ideoque & reprehenſa. Grotius *Lib I. cap. III.* §. 7. *n.* 1. *&* 3. eodem ſenſu Subjectum ſummae poteſtatis duplex ſtatuit: unum Commune *Populi*, & alterum Proprium *Imperantis*: prius in *iure* publicæ poteſtatis, a ſingulis in civitatem collatæ; poſterius in *exercitio*, ſecundum cuiusque populi leges, ſitum eſt.



JAC. PERIZONII, ANT. F.

ORATIO

DE

ORIGINE ET NATURA

IMPERII, IN PRIMIS REGII,

A

LIBERO ET SUI JURIS POPULO

SIMPLICITER DELATI,

DICTA

KALENDIS JUNIIS, CIƆIƆCLXXXIX.

Quum Annum Academiæ Frisiacæ Magistratum pro concione inivisset.

AUDITORES,

Varia Aetate, Dignitate, & Eruditione:
Omnes praecipuo divinarum humanarumve Literarum ſtudio & amore Inſignes, ac publice privatimque Honorandi.

p. 3. REcte Ego atque Ordine a Majoribus noſtris inſtitutum cenſeo, ut, quicunque Magiſtratus hujus Academici ſtationem & inſignia vel dimittunt vel ſuſcipiunt, faciant id publice Veſtra pro concione, atque ita occaſionem habeant non orationis tantum apud Vos dicendæ, ſed & in ea, partim vel reddendæ publico, ſervatæ ſibi in adminiſtrando hoc mune-
p. 4. re rationis, vel ejus, cui lampada tradunt, admonendi, quid ſui jam ſit futurum officii, partim etiam teſtificandi declarandique palam animi, quo, qui honorem hunc iniit, eum deinceps ſit geſturus. Sed habet hoc quoque inter egregia ſua utilium exemplorum documenta, quæ imputare nobis queat Romana illa Urbs, ſapientia ſua non minus & prudentia civili, quam fortitudine & fortuna illuſtris. Nam & illic coram omni populo adibatur quotannis ſummum, ſed legitimum tamen, tantæ Civitatis imperium, Conſulatus, & incuſabatur in libera quidem Rep. ut nefas, & contra imperii majeſtatem factum, immo in ipſis notabatur Caeſaribus, ut alienum a moribus majorum, ſi qui Conſulatum extra Urbem & concionem Quiritium iniviſſent. Romæ illud, & Roſtris, & populi totius oculis erat dandum. Teſte eo jurabat in p. 5.
Leges novus Conſul, probareque illi ſuum animum nitebatur, ſuamque fidem, commemorando, ſi nobili quidem eſſet & antiqua oriundus proſapia, quicquid ſui Generis Auctores Propagatoreſque e Rep. unquam feciſſent, ſin novus eſſet ho-

mo, quicquid ipse, domi militiæque, re aut exemplo utile civibus suis jam præstitisset, vel si quid aliud esset sua in indole, aut vita, aut honoribus jam actis conspiciendum, quo certus fieri posset populus & spei securus, secundum Leges & Jura Patriæ tantam a se Potestatem curatum iri. Similiter vero, quando idem exacto jam anno Consulatu abibat; in eodem iterum loco, postquam omnibus in memoriam revocasset res a se gestas, dum amplissimam hanc in
p. 6. Rep. personam sustinuerat, atque eos simul & Jovem illum, quem Imperii & Nominis Romani Statorem Custodemque vocitabant, testes adhibuisset suæ affirmationis jurejurando firmatæ, nihil se contra Leges, dolo malo, scientem prudentemve fecisse, ita demum pro concione se abdicabat.

Quod si nostram mediocritatem conferre licet & comparare cum tanti Imperii majestate, quo & potissima Orbis Terrarum pars, & ipse Victor ac Dominus Gentium Populus continebatur, vidistis modo imaginem quandam rerum, quas in ponendis sumendisque summis Magistratibus Civitas illa in usum & exemplum induxit. Vidistis modo, & audivistis Virum Clarissimum, quem honoris causa nomino, PHILIPPUM MATTHAEUM JUNIOREM, Academici hujus imperii vigilia, quam mihi vere per manus tradidit, postquam ea erat maxima sua cum laude perfunctus, p. 7.
se exsolventem, & dum mihi singillatim mei officii rationes studiose adeo inculcavit, per modestiam tacite quodammodo, quod verissime palam potuisset, de se prædicantem, quam ipse secundum Leges & Mores dudum receptos, secundum jus, non illud strictum & summum, sed quod bonum & æquum appellamus, potestatem suam exercuerit. Conspicitis jam & me in eodem hoc loco, in quo tantum quod omnia istius Magistratus jura atque insignia ab illo accepi, adhuc constitutum, ut publica Oratione, tanquam auspicio quodam mei jam per Academicum hunc annum muneris, vestræ me commendem exspectationi, & omnem ex

ani-

animis, si qua forte inhæreat, evellam suspicionem, quasi collatum illud in me qualecunque tandem impe-
p. 8. rium, asperius, aut ex mea unius lubidine, præter Amplissimi hujus Senatus Consultum, vel Judicialis Consilii Sententiam, essem administraturus. Sed quid agam? Permulcere igitur vestras ego aures conabor, multa ipse de me, meaque modica adeo laudum supellectile, prædicando? Abhorret illud meo ab ingenio, meaque consuetudine, quippe qui nunquam ita magnifice de me sentire, nedum opinari soleo. Abhorret & a moribus publicis omnium Civitatum, a quibus Democratia abest, seu in quibus præcipuam Reip. partem sibi non sumit ipse exercendam populus.

Ne tamen vel nihil, vel aliud quid hoc tempore agam, quam quod oportunum est, dabo saltem quoddam veluti pignus ac symbolum, unde pernoscere possitis, quo animo, aut qua animi mei inter-
p. 9. pretatione isthaec ego sceptra hisce manibus modo acceperim, quidve iis in me delatum putem. Videlicet etsi ea, ut quis unquam, optimo jure ac lege habeam, nihil tamen in iis aliud me habere, nisi quod mihi impositas jam esse has partes sciam, ut de omnibus, prout quidque inciderit, Vos ego, Conjunctissimi Collegæ, continuo consulam, Vestram animi sententiam diligenter exquiram, eique jam exploratæ morem sine exceptione geram: Deinde ut vestras quoque rationes, Carissimi Adolescentes, ut vestram omnem causam mihi primum curæ semper cordique habeam; atque ita Amplissimo huic Ordini studiose prorsus & prolixe commendem, quicquid autem ab eo mandati retulerim, gnaviter pro mei officii ratione exsequar. Quod vero isthæc ex animo ita autumem, meque igitur hoc p. 10.
anno potius in splendida quadam servitute, vel obsequii gloria, quam in libera atque ampla constitutum potestate, revera arbitrer, non videor mihi alia ratione certius Vobis & planius declaraturus, quam si hac hora, Vobis arbitris, edisseram, quid de omni *Imperio, ejusve jure & natura*, quod quidem a li-

a libero & fui arbitrii popu-
lo in Magiſtratum, Princi-
pem, aut Regem ſimpliciter
collatum eſt, ego ſentiam;
ſeu ſi probare vobis anni-
tar, quæ mea eſt opinio,
arcesſendum primitus talis
Imperii jus, (nam aliud alio
majus nunc eſſe ex pactis in-
ter populum & Principem
initis, non ignoro) unice ex
natura Mandati: Neque ab-
jectum re ipſa omnem popu-
lum ex Imperii ipſius natu-
ra infra unius hominis aut
paucorum adeo libidinem,
qui trahant agantque publi-
p. 11. cam rem pro lubitu ut ſuam;
qui titulo Imperii, tanquam
jure quodam, non Magi-
ſtratum aut Regnum, ſed
Dominationem ac tyranni-
dem exerceant: Quibus po-
pulus contra nihil juris oppo-
nere habeat, niſi abjectiſſimæ
ſervitutis & obedientiæ, quæ
omnia etiam iniquiſſima æ-
quo animo excipere & pati
debeat. Quod quid eſt aliud,
quam libertatem populorum
radicitus exſtirpare, & om-
nem Remp. immo omne ge-
nus humanum paucorum ho-
minum affectibus, eorum-
que inconſultis plerumque
deſideriis uſu & mancipio ad-
dicere? Hoc velint proba-
tum Hobbeſii, & magno
mercentur Pelopidæ, quo-
rum utinam nec nomen, nec
facta amplius inter Chriſtia-
nos audirentur.

Ego vero, quum ab illa
ſemper alieniſſimus fuerim
ſententia, & pene jam a
puero in contraria omnia
abierim, exiſtimavi non
poſſe me ea vobis oportu- p. 12.
niore tempore & loco ex-
ponere, quam hocce, in quo
me iſtis noſtri imperii inſig-
nibus, ſpecie quam reipſa au-
guſtioribus, ornari modo vi-
diſtis. Non diffitebor ta-
men, etiam hunc mihi fuiſſe
ſtimulum vobiſcum de iſthoc
argumento nunc potiſſimum
agendi, quod ipſo hoc anno
per cauſſam excuſſæ a Bri-
tannis nuper admodum do-
minationis regiæ, contra jus
& fas humanitatis, in eos
exercitæ, quæſtio iſta mul-
tum caluit magnis diſceptan-
tium ſtudiis agitata. Eam er-
go dum & Ego, ſed meo
prorſus more ac modo, ſine
cujusquam diverſum forte
vel contrarium ſentientis in-
juria aut contumelia apud
Vos, Clariſſimi atque Orna-
tiſſ. Aud. diſputando exſe-
quor,

quor, rogatos vos majorem in modum volo, ut interea
p.13. temporis æquo adesse animo, & faciles mihi ac commodas paulisper gratificari aures ne gravemini, etiamsi forte nihil audituri sitis, nisi quod dictum sit jam pridem. Quid enim reliqui nobis factum a tot diversissimorum in Rep. sensuum Scriptoribus, qui omnes hujus materiæ partes perreptaverunt, omnia exhauserunt jamdudum loca? Sed tamen, quum identidem contraria opinio per eos, qui Regum & Principum assentantur Majestati, voce ac stylo inculcetur gnaviter, & ita sensim quasi invalescat, expedit enimvero & conducibile est publico, etiam hanc nostram, Libertati & Legibus amicam, sæpius itidem veluti ex situ & tenebris protrahi, vindicarique ab oblivione, ne, si repetatur nunquam, penitus tandem, tanquam obsoleta jam prorsus, & obliterata, quæque alteri suum
p.14. ultro locum cesserit, ex animis hominum deleatur.

Dabitis ergo veniam, ut spero, si jam a principio quaedam minime vobis ignota præfari aggrediar. Cui enim ignotum esse queat, homines æquali prorsus jure & fortuna primum natos, fuisse cunctos, ut ejusdem generis, ita ejusdem conditionis & Libertatis: sicuti omnes per unum Deum una ex terra suam duxerant originem, unoque ex cœlo spiritum pariter hauriebant, sic omnibus idem fuisse jus in omnia a Deo producta, quæ quidem inter ipsos adhuc erant nullius: nullum vero in alios suæ naturæ & fortunæ undiquaque consortes? Ceteroquin enim exstincta statim fuisset illa maxime naturalis singulorum inter se æqualitas, quæ nesciebat discrimen Dominorum Servorumque, Opulentorum ac Pauperum, Nobilium aut Novorum ho- p.15.
minum. Neque porro ignotum est vel negatum a quoquam mortalium: Naturam hujus Universi, seu ejus Auctorem Deum, distinxisse genus Humanum a reliquis Animantibus sola Ratione, atque idcirco in ea potissimum quærendam esse statuendamque hominis Naturam, & Jus inde natum. Habet enim corpus ceteroquin iisdem neces-

 sita-

ſitatibus obnoxium, quibus
illud Animantium. Habet
partem illam animæ, quæ
omnia ex corpore trahit, ac
deſideriis ex eo ortis affici-
tur, ſibi cum Brutis commu-
nem. Sed habet præ iis ſo-
lus Animæ aliud quid im-
menſo modo præſtabilius,
particulam illam ſeu imagi-
nem Divinæ Auræ, quæ non
incaſſum profecto aut vanæ
diſtinctionis ergo eſt ei da-
ta, ſed ut doceat etiam re-
luctantem, quid rectum, quid
pravum ſit, quid Deo tri-
p.16. buere, quid hominibus de-
beat. Quam opprimere qui-
dem, ſed exuere nunquam
aut abjicere penitus poteſt,
quo minus, quando etiam
deteriora ſequitur, meliora
tamen videat, ac ingratiis
ſuis probet.

Quum itaque extra omne
dubium non modo pari jure
ac fortuna nati ſint, quan-
tum eſt humani generis, ſed
& pariter tali ſint ratione
omnes omnino prædititi, quis
mirari ſatis queat illum ab
Anglia Philoſophum, qui &
extra Civitatem, & in ea,
liberos homines ut in Regum
ſuorum ſervitutem dedat, ad
belluas ſemper detrudit, &,
quod omnem pene fidem ſu-
perat, utramque iſtius ſen-
tentiæ partem ſpecioſo *Juris*
nomine velare non erube-
ſcit? Etenim dum fingit, ſin-
gulis hominibus, antequam
coierint in Civitates, ſeque
Imperio ſubmiſerint, eſſe ab
natura jus in omnia, etiam p.17.
ab aliis jam occupata, ne-
que agnoſcit illo in ſtatu *Me-
um* & *Tuum*, ex eo dein-
ceps conficere laborat, lice-
re igitur quaſi naturæ inſtin-
ctu, & jure ex ea ipſa or-
to, unicuique facere quæ-
cunque & in quoſcunque li-
beat, atque adeo vivere ab
natura omnes in perpetuo
adverſus ſe invicem bello, &
metu mutuo, ſummumque
inter homines jus eſſe illius,
qui viribus corporis præ aliis
valeat aut præſtet. Hoc ille
Jus, hoc *Statum Naturæ* vo-
citat. Hoc nomine prætexit
non Culpam, ſed Scelus &
Flagitium. At vero, ubi jam
odio iſtius belli, ſuique con-
ſervandi ſtudio, ſocietatem
contraxerint, inierintque
convictum, eo ipſo tradit,
illos e veſtigio, quoniam ta-
lis Societas conſiſtere non
poſſit ſine imperio, veluti
renunciaſſe ſuis in rebus,
certe

certe ſua in Rep. non tan-
p.18. tum Juri & Libertati, quam
a natura habebant, ſed &
Voluntati ſuæ ac Judicio. A-
deo enim non licere cui-
quam, non modo nihil face-
re aut velle ſecus, quam is,
qui Imperium habeat, velit,
ut ne quidem liceat, non
dicam ſingulis, ſed neque
omni populo, judicare, u-
trum voluntas Regis, vel
quicunque in imperio eſt
conſtitutus, ad ſui conſer-
vationem, an contra tendat,
rectene an perfide & ſceleſte
reſpectu ſuorum Civium ſe
habeat: certe ei, quanquam
ſceleris rebus ipſis & factis
jam manifeſtæ, reſiſtere ne-
que jus neque fas ſit; ſed
ut, tanquam bruta vere ani-
mantia & judicio ac ratione
omni prorſus deſtituta, quo-
quoverſum ſe ex lubidine
imperantis ferri & agi, æquo
an iniquo animo, pati de-
beant omnes. Valeant ſane,
qui ita ſentiunt, ita docent,
dummodo nos ab ejus doctri-
p.19 næ contagio abſimus quam
longiſſime. Ego enim vero
nihil in Naturæ ſtatu homini
magis proprium reperire poſ-
ſum, quam ut primum qui-
dem ſe conſervare ſtudeat,
quanta poteſt cura ac dili-
gentia; deinde vero, ut alios
quoque ejusdem ſecum ge-
neris & naturæ participes,
tanquam Cognatos ſibi &
Conſanguineos, amore ac
benevolentia proſequatur,
eorumque convictum & con-
ſuetudinem deſideret. Nihil
autem ex his elici poteſt vel
debet, quod alterutri ſit ad-
verſum. Nihil, ex illo primo
ſuæ ſalutis ſtudio, juris con-
ſequitur homo in hominem,
niſi ut liceat, vim, ſi liqueat
parari, vi prævenire; ſi jam
inferatur, repellere; ſi pe-
riculum ſit juſtum, ne alia
iterum occaſione repetatur,
etiam punire. Ceteroqui tan-
tum abeſt, ut naturale ſit
hominibus inter ſe bellum,
aut ut ex vero Naturæ motu
oriatur mutuus ille homini ab p.20.
homine metus, atque ita ex
eodem fonte Jus aliquod no-
cendi etiam nullodum male-
ficio cognitis: ut e contrario
nihil magis averſetur & hor-
reat prima & intima ingenii
humani indoles, quam ſoli-
tudinem, nihil magis amet
& expetat, quam conjun-
ctionem cum aliis & fami-
liaritatem. Quin immo cer-
tus ſum, antiquiſſimis tem-

poribus nullo plane metu
fuiſſe captum, qui alium ſibi
ignotum videret, niſi ſi vel
ipſe malo Genio natus, ſuæ
ſibi malæ mentis malique
animi fuerit conſcius, atque
ita alios ex ſuo æſtimarit in-
genio: vel experimentis ip-
ſis & uſu vitæ jam didice-
rit, aut fando etiam acce-
perit, metuendum eſſe ab
iis, quorum animum quis &
indolem nondum ſatis habeat
exploratam. Nec enim infi-
cias iri poteſt, fuiſſe, uti
poſtea quamplurimos, qui
p.21. ipſas Civitatum Leges præ-
ſenti & gravi pœna ſancitas
violare tamen ſunt auſi, ſic
& tunc minime paucos, qui
Legibus Naturæ & Rationis
non auſcultantes, contra jus
ex iis natum, involarint in
ea, quæ ab aliis vel jam oc-
cupata erant, vel ſua ſibi ſe-
dulitate & ſtudio comparata:
Immo qui neque occidere
alios dubitaverint hoc ſolum
nomine, quod poſſiderent ſua
vel fortuna vel induſtria, quæ
ipſi expetebant. Neutiquam
tamen ex eo conficitur, pro-
ficiſci proxime ex hominis
natura mutuum aliquem me-
tum & inteſtinum veluti bel-
lum, nedum ut iſtius belli
odium fuerit unica Societa-
tum Civilium cauſa. Nam
unde, quæſo, etiam ipſum
hoc odium, niſi ab natura
longe aliud quid, quam belli
ſtudium, conjunctionem ſci-
licet & corporum & animo-
rum, benevolentiamque mu-
tuam, hominibus etiam at-
que etiam ſuggerente. Certe p.22.
humanas illas Societates con-
ciliavit haud dubie primum
naturalis inter ſe amor & fi-
des eorum, qui jam aliquan-
diu iisdem in locis alter al-
terius ſine noxa vitam ege-
rant, &, quod inde exſtitit,
amicitiæ & emolumenti vel
commodi in mutuis operis
& contractibus ſimpliciſſi-
mis ſiti deſiderium. Arctius
deinde eas aſtrinxit commu-
ne periculum ab incurſioni-
bus alienigenarum, qui un-
dique accurrentes ſuis jam in
agris perſultarent impune,
niſi conjunctis a ſe viribus
talis latrocinii feritas vel ex-
cluderetur vel depelleretur.
Hoc demum modo, hac ra-
tione & conſilio, cœptum
eſt tandem aliquid publicæ
rei & curæ formari; Hanc
originem habuerunt, hæc
initia, haſce cauſas antiquiſ-
ſimæ pleræque Civitates, quæ
pro-

proinde primis temporibus,
p.23. præsertim quum & quandiu
essent Civium vel Sociorum
numero exiguæ, steterunt
maximam partem sola mu-
tuæ operæ & auxilii fide sub-
nixæ.

Sed tamen desiderabatur
brevi in iis administratio
quædam publicæ jam rei, li-
tigiorumque, quæ inter ip-
sos subinde existebant socios,
æqua disceptatio. Eam vero
in rem haud dubie convene-
runt primum omnes pariter,
sicuti & ad bellum exibant
itidem omnes: atque ita
consuluerunt in commune,
suaque simul auctoritate &
veluti arbitrio exortas forte
rixas composuerunt. At ve-
ro ubi illud jam difficilius e-
vaserat, cum propter multitu-
dinem sociorum, tum etiam,
quod per hanc ipsam causam
indies magis magisque fre-
quentarentur lites, decucur-
rerunt tandem ad illud, quod
agrestibus istis, & vere ad-
huc rudibus, omniumqum
p.24. artium imperitis hominibus
maxime obvium & in promp-
tu erat: ut constituerent u-
num ex omni Societatis cor-
pore, spectatæ fortitudinis,
compertæ sapientiæ, fidei-
que ac moderationis speratæ
virum, cui potissimum rem
publicam committerent, in-
que ea has maxime deman-
darent partes; Curaret sacra
Deorum: præiret sibi in ho-
stes: controversias civium
sua sententia ex æquo & bo-
no decideret: denique de
omni majoris momenti ne-
gotio consuleret populum,
& quicquid ab eo jussum fo-
ret, bona fide exsequeretur.
Luculentam ita, & magnæ
profecto jam dignationis su-
stinebat ille in Rep. perso-
nam, vulgoque *Rex* appella-
batur; sed tamen, rem ip-
sam si spectes, nihil erat a-
liud, quam veluti alienorum,
vel saltem communium sibi
cum aliis negotiorum Procu-
rator & Administer: neque
alio jure in Judiciis, quam p.25.
quo est Arbiter utrimque
consilio communi sumptus:
in Bello, quo est Ductor co-
piarum, quæ ex fœderatis
populis adversus unum eun-
demque hostem bellantibus
constant: in reliqua Rep.
quo est Præses Senatus aut
Consilii, summam rerum gu-
bernantis: denique in omni-
bus, quo est, qui Sociorum
mandatu communem sibi

cum iis causam curat & agit. Quo in casu sicuti is quidem potissimum a sociis deligitur, quem credunt præ aliis intelligere dandum sibi negotium, idque curaturum integra fide, justaque diligentia: sed tamen ita, ut, si deinceps non respondere suæ exspectationi sentiant eventum, illumque vel imperitum rerum sibi mandatarum, vel mala fide aut omissiore animo eas administrare deprehendant, summo semper jure removere eum
p.26. queant, & revera remoturi sint; sic plane etiam in primis Civitatibus, quod ad earum Reges, olim se res habuit & habere debuit Etenim erant in iis omnes, ut supra diximus, natura & fortuna prorsus æquales; erant omnes ejusdem plane juris, libertatis & conditionis: coierant fœdus & societatem sui æqualiter conservandi, rebusque suis tutius fruendi causa: nulli suo juri, in quod erant geniti, vel verbis vel animo renunciaverant: Constituerant quidem in illa conjunctione unam rempublicam, eique procurandæ præfecerant simpliciter, quem maxime idoneum rebantur, sed haud aliter, quam ut revera penes se maneret summa publicæ suæ rei potestas, penes illum esset administratio, quæ quo arbitrio data erat ipsi, eodem etiam poterat adimi. Quid enim inter tales universæ Reip. aut alios priva- p.27.
tarum rerum socios, veri discriminis in ipso Societatis jure fingi potest aut ostendi? Dicam amplius, quid inter singulos priscarum Civitatum homines plane liberos, aut complures suæ spontis populos, unam sibi Remp. pariter constituentes? Utrique summa utique libertate, & æquo jure convenerunt, rationibus suis consultum ducentes, icto quodam societatis fœdere, in unum coalescere veluti corpus, & præcipuam communium rerum administrationem, seu partem ejus aliquam, summam videlicet belli, aut judiciorum, vel uni demandare homini, vel aliquot simul Magistratibus. Ceterum sicuti jam plures illi unius Reip. populi semper, communi certe consensu, suæ Societatis curandæ formam mutare, quosque ei præposuerant, data

ta

ta ipsis potestate exuere pos-
p. 28 sunt, salva sibi Republica, salva quoque Societate, etiamsi nullum adeo infinitum imperium suis domi Magistratibus, aut belli Imperatoribus, vel etiam integro totius fœderatæ jam gentis Senatui concedant: sic idem sua in Civitate facere olim potuit omnis populus, quippe quum utriusque Societatis revera sit eadem plane ratio, nisi quod hæc singulorum sit Hominum, illa Urbium vel Populorum. Manifestum ergo ex iis, quæ fuerint incunabula, quæ origo, quod primum & antiquissimum jus summi illius Imperii, quod *Regium* appellatur, cujusque ex natura Regibus hodie tribuitur immensum illud & iniquissimum vere jus, res Civium suorum impune rapiendi, consumendi, aut servis vel Adulatoribus donandi, immo ipsa, si velint, liberorum hominum corpora in suum privatim servitium
p. 29. trahendi. Qualem sive licentiam, sive jus, vel disertis verbis, vel tacita cogitatione, cuiquam in se dedisse priscos illos homines, adeo æquali in libertate natos, si quis in animum inducere posset, is enimvero Anticyras foret ablegandus.

Quidni? inquiunt: quum utique Israelitæ jugum istius Juris, licet sibi jam prædicti & denunciati a Samuele, vel sic tamen ultro subierint, & quidem ad exemplum aliarum gentium, quæ idcirco idem illud isto jam tempore videntur recepisse. Nihil minus, inquam Ego. Quin immo, præterquam quod alia erat ratio Israelitarum, Veteris jam Populi, alia priscorum hominum, qui tantum quod in unam convenerant societatem; postularunt illi Regem, non, ut se ei in servitutem addicerent, sed ut is sibi duo hæc, quemadmodum alii aliis Gentibus,
præstaret; exerceret judicia, p. 30.
& bellum adversus hostes curaret instrueretque. *Rex*, ajunt; *præerit nobis, ut eadem simus conditione, qua aliæ gentes: Ut Rex noster nos judicet, & nos ducens ipse in hostem bella nostra gerat.* Auditisne heic diserte satis, quæ in & a Rege, suo desideraverint munia, quam potestatem & curam illi detulerint, quod jus ei dederint? Et profecto tan-

tantum abest, ut insuper violentiæ ac libidini cujuscunque, seu Regis, seu Judicis, se subjectos degeneri animo voluerint, ut hæc potius causa fuerit & occasio unica petendi Regem, quod ægerrime ferebant, filios Samuelis, qui Patris sui in judicando vices exceperant, a publico & recto tramite, quem Egregius ille Senex iis præiverat, deflexisse, dum muneribus capti, jus ac judicia per gratiam & sordes adulterabant.
p. 31. Qui ergo tantillis de caussis, si cum memoratis istic Regiæ Dominationis exemplis comparentur, removerunt, quos jam receperant Judices ac Magistratus perpetuos, & quidem Viri de se optime meriti, summoque jure omni populo venerabilis, filios, an cuiquam in mentem venire potest, illos ipsos homines, exuta adeo omni libertate, volentes prudentesque, infinito isti ac immodico Regiæ potestatis Juri ad scelera omnia & flagitia impune perpetranda, rapinasque & gravissimas exactiones sine fine modoque exercendas, se permisisse, immo se ac liberos suos mancipavisse sua sponte in irrevocabilem simul & durissimam unius hominis servitutem, jure quodam sancitam? Hoccine annon vere esset, quod vulgo dicitur, Fumum ut vites, lubenter & consulto ruere in Ignem? quod in gentem non omni ratione defectam, aut suæ p. 32.
mentis compotem, qui cadere queat, nullus video. Quin acceperunt illi verba Samuelis, non, tanquam verum aliquod jus Regum in populos, qui se eorum fidei & curæ tradidissent, exponentia, sed ut augurantia potius & ominantia sibi ex ex eo, quod aliis jam Gentibus accidere soleret, quid & ipsis aliquando ex Regiæ potestatis abusu evenire posset, quibusque adeo periculis se, Regem flagitando, implicitum irent. Credebant autem hanc ejus veluti obnunciationem plus ex paterno in filios affectu, quam ex vero trahere: eorum magis caussæ illum in hoc negotio servire, quam populi fortunis. Melius opinabantur de futuris sibi Regibus, rejicientes tamen haud dubie suis cogitationibus jam tunc & illos, si in immodicam ejusmodi

p. 33. modi licentiam præcipites ruerent. Certe quam non acceperint aut agnoverint tale Regium in se Jus, declaraverunt satis superque primis adhuc constituti apud se Regni temporibus, quando Roboamum, clarissimorum Regum, Salomonis filium, Davidis nepotem, quia justis eorum desideriis obsequi recusabat, destituerunt, immo in Roboamo ipsum quodammodo Davidem Regno Regiaque in illum & ejus familiam collata dignitate abdicaverunt. Quid enim, quum pariter longe maxima totius populi pars renunciaret Roboamo, *nihil sibi amplius fore negotii cum Davide Jessæi Filio*, quid, inquam, hoc erat aliud, quam quod ipsius Davidis Regnum in ejus nepote aboleverint?

Neque vero est, quod reliquas heic gentes mihi quis ingerat, & apud quas illa Regiæ violentiæ exempla a
p. 34. Samuele Israelitis exposita, impune, & quasi suo jure, edita fuerint. Nam Samuel certe aut Israelitæ non potuerunt alias istic respicere, quam quæ erant Orientis, & quidem illorum jam temporum in Oriente, Regione, quæ omnium prima, & deinceps ad hoc usque seculum præ aliis servire suis Regibus est sueta, adeo ut illa potissimum & olim & nunc præcipua quidam patientissimæ servitutis atque obedientiæ gloria Regio nomini commendare se queat. Taceo, quod plerorumque istic Populorum Regnorumque initia nobis sint prorsus ignota; ut adeo quid juris Reges eorum ex populi institutis habuerint, & ab ipsis rerum initiis; Quid postea quasi usu ceperint, vel dolo aut etiam vi quadam sibi vindicaverint, utique definire nequeamus. Apud Medos certe, præcipuos & antiquissimos totius Orientis, si ab p. 35.
Assyriis & Babyloniis discesserimus, constituti sunt olim Reges *bene morati*, testibus Herodoto ac Cicerone, & quidem *justitæ fruendæ*, neutiquam juris istius, quod Regibus impune in se grassari, & omnem justitiam pervertere permittat, condendi *causa*. Neque secus se rem apud alios istic populos primis quidem temporibus habuisse, magna profecto veri-

 simi-

similitudine colligitur ex eo, quod Regiæ Dignitatis appellatio apud illos, quorum lingua ad nostram usque memoriam est propagata, minime infinitam aliquam omnia pro arbitrio agendi potestatem, sed potius Populum aut Senatum semper *consulendi*, pariterque cum eo de publica re deliberandi officium notaverit, ipsisque Regibus veluti inculcaverit,
p. 36. ne temere animos supra Populum efferrent, ejusve rationes, quibus maxime, immo unice consulere debebant, suis posthaberent.

Verum missis Orientalibus, pervestigemus potius Europæos, inque iis cultissimos omnium, & quorum originem ac natales habemus præ ceteris compertos. Et sane æquius est nihil, quam ut ipsi sint populi nostræ controversiæ Judices atque Arbitri, habeanturque certissimi, sicuti revera sunt, istius juris, quod ab iis ipsis est profectum, Interpretes. Quamvis enim Imperia & Magistratus sint vere a Deo, sed non aliter, quam omnia humana; nihilo tamen minus ipsum illud jus in populos ac homines liberos est proxime ex *Humanis constitutionibus* ortum, vel ipso id nos docente Petro, docente etiam rerum natura. Quoniam ergo primi Reges a
populis suis instituti, non p. 37.
potuerunt quicquam juris habere ultra, quam illi in eos voluerunt conferre: quoniam, etiam in cujusque populi, qui quidem erat liber & suæ spontis, potestate fuit, quousque in Imperio aut Rege sibi constituendo a Naturali Libertate recedere vellet, undenam tandem certius rectiusque, quam ex Historiis & factis ipsis populorum definire atque affirmare poterimus, quid sibi juris ac potestatis vere servarint, quid Regibus suis detulerint, quando iis publicæ suæ rei administrationem simpliciter & sine conditionibus ac Legibus, quæ primis temporibus nullæ, mandaverunt?

Primum omnium, si in res gestas Græcorum, gentis inter Europæas vi & cultura ingenii facile principis, inquiramus, docebit nos ipse
Aristoteles, antiquissimis tem- *Lib.*
poribus illos Heroas simul & *III. Politic.*
Reges, non immodicam po- *cap. 10.*
testa- p. 38.

testatem, sed triplicem omnino sustinuisse curam: nempe, ut Sacra Diis publice facerent, bella pro populo gererent, & judicia æquabili jure exercerent; immo quibusdam ex illis nihil aliud tandem relictum a suis Civibus, quam ut solam rei bellicæ præfecturam haberent. Succenturiatus sit illi Dionys. Halic. *qui in principio*, ait, *apud Græcos, & deinceps in longum usque tempus, Civitates omnes administratas a Regibus, sed ita, ut Regnum Lacedæmoniorum*: quod certe Legibus non fuisse solutum, sed populo atque Ephoris obnoxium, adeo ut Reges in carcerem rapi, damnari & supplicio affici potuerint, in confesso est inter Eruditos. *Cum vero inciperent nonulli*, ut addit, *pleraque ex sua libidine agere, populi id ægre ferentes, Regna & eam reip. administrationem sustulerunt.* An vero credibile est, Auditores, hisce populis unquam in mentem venisse istius Regii juris, de quo nunc ambigimus? Quin & in Vrbe Atheniensi, quam veluti templum habuerunt non literæ modo ac facundia, sed etiam ille civilis

Lib. V. Antq Rom cap. ult.

p. 39.

disciplinæ ordo, quo loco tamen aut jure fuerint Reges, testabitur Rex ipse Theseus, professus ultro apud Euripidem, *liberam esse suam civitatem, quippe quæ non plane regatur] ab uno Viro, sed in qua populus regnet.* Poetæ hæc sunt, fateor, sed tamen non accipienda, ut poetica nimis, exitus probavit, siquidem Athenienses postea hunc ipsum Thesea, Regem suum, Vrbe summoverunt, seque in insulam Scyron, tanquam in portum quendam exsilii, coëgerunt recipere. Quumque deinceps filium ipsius & familiam ad regnum tamen revocassent, mox nepotem ejus Thymœten, quoniam pro patria in singulare certamen descendere cum Xantho Bœotorum Rege detrectabat, suum denuo locum cedere jusserunt Melantho, qui duellum illud feliciter depugnavit. Quidni & Argivos heic memorem, Regnum omnium, de quibus constat, in Græcia antiquissimum? Certe enim neque hi ullo se Regio jure impediri censuerunt, quo minus Regem Sthenelum, Inachidarum ultimum, extra omnem seditionem, re

In Suppl.

p. 40.

 sedu-

sedulo deliberata, regno spoliarent, ut eo ornarent Danaum, qui se, quum siti infestarentur, habitantes quippe in regione siticulosa, demeruerat ostendendis aquarum fontibus.

Sed quid ego in Græcia tam diutinas ago moras? quum idem animorum sensus in plerisque aliis gentibus p. 41. & nationibus undiquaque se prodat; Quum omnes populi Remp. primum ordinantes, *jus semper*, ut ait Cicero, *quæsiverint æquabile: Idque si ab Vno*, sed *Justo & Bono Viro consequebantur*, *eo fuerint contenti*: *Quum vero id minus contingeret*, suo jure usi, eum Vnum Virum, seu Regem, potestate ipsi mandata abdicare se adegerint, & vel suffecerint ei alium, vel omnem istam Reip. formam prorsus immutarint. Certum profecto documentum, quam non existimaverint, se, dato Regibus simpliciter imperio, summum in Rep. amisisse jus, inque Reges illos transtulisse. Et quid amisissent, qui *auctoritate magis regebantur*, *quam imperio*, ut diserte de Euandro testatur Livius? Nec abhorret, quod de nostris majoribus Tacitus, tractari apud eos in Conciliis potissimam Reip. partem, inque iis *Reges audiri magis auctoritate suadendi*, *quam jubendi potestate*. Appellent sane, quiqui velint, tales nomine tantum *Reges*, dummodo liqueat manifestum plane in modum, antiquissimos plerosque, immo haud dubie omnes, qui primum *Reges* appellati, non alio fuisse jure: atque adeo jus illud, quo hodie Principes supra Leges ipsumque populum extolluntur, necessario aliud quid esse, quam proprie *Regium*, si quidem *Regia* isthæc appellatio, quando exorta est, nihil tale fuit complexa, ut populus, si simpliciter Regem sibi præfecisset, eo ipso detulisse illi censendus esset legibus solutum & obnoxium nemini imperium, quod maxime hujus est loci ac disputationis.

Lib. II. de Offic. cap. 12.

Lib. I. cap. 7

De Morib. Germ. cap. 11. p. 42.

Sed tamen ait Justinus, *Principio rerum arbitria Regum pro Legibus fuisse*: & ipse *Romulus* primus Romanorum Rex ex sententia Taciti *iis, ut libitum ipsi, imperitavit*. Præstabant sane priscis illis tem-

Lib. I. cap. I.

P. 43. *Ann. III. cap. 26.*

temporibus Regum arbitria in judiciis & litibus idem, quod postea Leges, quæ nullæ tunc erant; nam neque populus, ut ibidem affirmat Justinus, *ullis Legibus tenebatur.* Leges inventæ sunt tum demum, quum vitia ingenii humani jam essent usu cognita. Quin immo præcipuæ earum ex delictis sunt natæ, & idcirco in corruptissima quaque Rep. quamplurimæ, at rudibus adhuc hominum animis simplices fuerunt & paucissimæ, immo nullæ, ut dixi, sub primis Regibus, quibus proinde feruntur passim Leges veluti successisse. Quum igitur Reges illi jus dicerent, prout ipsi jus ac leges naturæ interpretarentur ista animi facultate, quæ ab natura est hominibus insita discernendi æquum ab ini-
p.44. quo, sane quam tunc *regum Judicia & arbitria pro Legibus erant*, hoc est, Reges erant Arbitri in litibus & causis nulla Lege definitis: sententiæ eorum ex æquo & bono latæ idem tunc præstabant officium, quod postea Leges de jure privato constitutæ. Eadem porro ratione *imperitasse* dicitur & *Romulus Romanis, ut libitum.* Nempe haud secus ac Judex, qui nullis Legibus in casus singulos est astrictus, controversias dirimit, ut ipsi æquum & bonum videtur, licet illud sæpe sit iniquissimum. Agitur enim apud Tacitum ex professo de Legibus, quas Romanis ante Servium nullas ait fuisse, sed tunc demum sancitas, *quibus etiam ipsi Reges obtemperarent;* Tantum abest, ut fuerint illi apud Romanos legibus soluti, aut omnia, ut libitum ipsis, agere potuerint. Quid, quod Sallustius disertissime *imperium* Romæ fuisse *legitimum*, p. 45.
nomen imperii Regium dicat? B. Catil. cap.
Scilicet quo juris vinculo Re- 6.
ges istic subjecti erant Legibus, postquam jussit eas populus, eodem etiam ante Leges auscultare populo huic debebant, quippe qui jam ab initio in Rep. præcipuas sibi partes vindicaverat sumseratque per se gerendas, curandasque. Quo enim certiori argumento declarari potest, penes populum Romanæ Vrbis summam fuisse totius Reip. potestatem, quam quod sibi habuit ac servavit jus pacis & belli; quod suos ipse

ipse designavit Reges & Magistratus; quod nihil ista in Civitate vim Legis obtinuit, nisi quod jussum a populo; quod denique ad eum etiam provocatio ab Regum Tribunali capitalibus in caussis fuit facta, ut docuit teste
Epist. Seneca Cicero in libris de
CVIII. Republica.

p. 46. Fateor equidem durius postea & adductius regnatum plerisque in gentibus, etiam in Vrbe Roma, etiam a Romulo, sed factum id nullo, ut plurimum, jure, sola vi, & sæpe factione populari, qua pene omnium populorum libertas convulsa est, & prostrata jacet. Quin & quum exempla latius serperent, suoque contagio infecissent plerasque jam Civitates, largior ultro, plerisque tunc Regibus majorem quoque, quam priores habuerant, a Civibus suis, ex pacto cum iis inito, permissam fuisse potestatem, minime tamen infinitam illam impune quælibet faciendi licentiam, quæ nobis *Regii juris* specie ex Samuele obtruditur, quæque ab homine libero simul & non insano aliis in se concedi vix potest. Qua in re, non mihi velim, sed Aristoteli, Regibus ceteroqui neutiquam inimico, credatis, affirmanti, *neminem liberorum hominum sponte sua subire aut sustinere imperium vel Monarchiam, quæ rationi reddendæ non sit obnoxia, quæque Reip. administrationem non ad Civium, sed ad suam unius utilitatem & libidinem referat.* p. 47. Lib. IV. Polit. cap. 10. Quod si illud verum est, ut est, unde ergo in liberis Civitatibus controversum illud Jus ad Reges pervenit? Non utique ab hominibus, qui sui erant juris, suæque spontis. Minime omnium ab illis, qui inter populos prudentia & ingenio maxime valebant, atque ipsam Civilis Sapientiæ doctrinam profitebantur. Hi enim si quando ab aliis in consilium adhiberentur de constituenda Reip. forma, quid iis suaserint, discamus sane ex Platone, Philosophorum omnium Principe, qui consultus a Syracusanis, quum Dionysium illi minorem expulissent, jubet eos p. 48.
ita componere Remp. *ut Ci-* Epist. VIII.
vibus sit Libertas cum Regno: Reges imperium habeant populo subjectum: Leges vero dominatum obtineant supremum non

modo

modo in alios Cives, ſed & in ipſos Reges, ſi quid & hi contra eas committerent. Vtinam, utinam præſtantiſſimam hanc Civitatis ſpeciem Gentes cunctæ & inſtituiſſent, & potuiſſent ſervare! Vtinam tales ſemper conſiliarios & auctores rerum gerendarum haberent ſequerenturque populi! Sed fatendum eſt, ſæpe eos ſua imprudentia lapſos, & popularitatis captos illecebris, ita ſummæ poteſtatis adminiſtrationem Regibus demandaſſe, ut non quidem ſuum & ſupremum jus in eos tranſtulerint, ſed tamen illud deinceps adverſus eorum violentiam non valuerint tueri.

Nihilo tamen minus ſi quando poſtea experimentis
P. 49. ipſis comperirent, ſua ſe ſpe, quam de iis conceperant, falſos, viderentque eos vi ac libidine graſſari in quoſlibet, tum ſane, quam non exiſtimaverint hoc eſſe jus Regium, ut non liceret neque populo reſiſtere eorum violentiæ, multis profecto & clariſſimis, quotieſcunque potuere, demonſtraverunt documentis. Non dicam, quod *Tyranni* nomen, quo primum ſignificabatur apud Græcos ſimpliciter quiſque Rex aut Princeps, inviſum adeo ac deteſtabile evaſerit omnibus pene gentibus, ut proprie denotarit Regem, qui populi Libertatem, qui Leges, qui jura patriæ opprimeret, ſuamque poteſtatem in Cives violenter exerceret; quod ipſum hoc *Regis* vocabulum Romanis quoque eadem de cauſa tanto in odio fuerit, ut invidioſiſſima cum acerbitate exprobraretur illis, qui præcipuam quandam in Senatu aut Foro obtine- P. 50.
rent auctoritatem, quaſi & ipſi ſupra Leges ſe efferrent: immo ut prudentiſſimi ipſorum Cæſarum *Regis* appellationem tanquam maledictum aliquod aut opprobrium exhorruerint, ſeque *Cæſares eſſe, non Reges*, ita ſe ſalutantibus Suet. Caeſ.
reſponderint. Illud vero haud cap. 79.
poſſum, quin vobis iterum atque iterum inculcem, quod, quandocunque Reges in eam præcipites irent ſententiam, Licere ſibi, quicquid liberet, & Impune quælibet facere, id demum eſſe Regium: atque adeo ſi jam calumniis & rapinis animum applicarent, vel ſimpliciter do-

dominationem supra Leges exercerent, quod, inquam, populi tunc omnes, qui quidem non essent plane barbari aut stupidi, sine hæsitatione tales Principes, quotiescunque facultas ipsis esset, removerint, civitate exterminaverint, & sæpe etiam

p. 51. mortem oppetere coëgerint, facturi id haud dubie sæpius, si sæpius fuisset copia. Quin si maxime id vel non auderent ipsi, vel non possent, & si qui tamen suorum Civium privatim tam glorioso facinore patriam demereri & vindicare sustinuissent, immensis illos honoribus & laudibus in cœlum usque semper extulerunt, longe alia mente præditi, quam qua nunc traditur, nefas esse non modo singulis, sed etiam omni populo, Reges suæ libidinis potiorem, quam justi & æqui, rationem ducentes in ordinem cogere. Fatigarem haud dubie vestram, Auditores, patientiam, si oratione mea exsequi tentarem, quæ in hanc partem de communi cunctarum gentium consensu cum ex aliis, tum inprimis ex Cicerone, immo ipso Sozomeno, Christianarum rerum Scriptore antiquo, commemorari possent, ut *omne illud pestiferum atque impium genus tyrannorum*, hoc est, Regum, qui præter voluntatem populi supra Leges escendunt, *ex hominum communitate exturbandum* censuerint, ut *Græci etiam Deorum honores tribuerint iis, qui tyrannos*, licet a populis vel diserto vel tacito consensu receptos, *necaverant*, immo ut eos *non Græci modo, sed & omnes homines ad Sozomeni usque ætatem palam laudare* fuerint soliti.

p. 52. Cic. III. de Offic. cap. 6.

Cic pro Milone

Sozom. Hist. Eccles. lib. VI. cap. 2.

Sed malo his præteritis devertere vobiscum ad Sacrum nobis Codicem. Video enim passim istic populum Israeliticum ipso belli & victoriæ jure oppressum, arma tamen, quum durius haberetur, adversus Victores, & Dominos, & suos jam ab longo tempore Reges, fidenti animo, Deoque bene juvante, cepisse, jugumque sibi impositum exuisse. Video istic privatum hominem a Deo excitari ad Eglonem p. 53. Moabitarum quidem, sed decem atque octo annos etiam Israelitarum, Regem in Aula ipsius obtruncandum

dum, quum ille graviori, quam fas erat, servitute hosce premeret. Non refero tamen hæc, Auditores, ut ea in exemplum, quod imitari quibuslibet liceat, proponam, aut ut temere armem & veluti telis instruam Civium manus adversus suos Reges vel Principes, sed ut ostendam solummodo, neque Deum, neque homines sanxisse jus illud Regium, quo, si ipsis libeat fas humanitatis negligere, atque omnes perversi animi affectus laxis veluti habenis effundere in populum, huic contra neutiquam liceat adversus illos, tali modo in se grassantes, se suosque liberos & uxores, suas possessiones & opes, suam sibi libertatem ac jus ab Natura datum asserere,
p. 54. atque illatam sibi vim vi repellere, vel saltem Regibus, ut res suas sibi habeant, renunciare.

1. Sam. cap. 8. Sed quid, si ab ipso tamen Deo diserte satis hocce jus Regibus communiter tributum vel concessum in libro Samuelis reperiatur? Enimvero non ignarus sum, quam raro homines vera rerum vocabula adhibeant, immo quam sæpe ea etiam penitus amittant. At Deum quoque ejusque oracula in hasce partes advocatum iri, nullus sane credideram. Quid enim? Sanctissimus ille Deus, ille, qui ab omni vitiorum labe est omni modo purissimus, qui abhorret planissime & detestatur, quicquid ea in rebus humanis exsistit infectum, ille, ille ergo nefas appellaret fas, pravum diceret rectum, injuriam ab homine homini fœderato, immo hominum multitudini, quæ se unius curæ commiserat, factam, specioso *Juris* elogio ornaret? Ille istic tale
p. 55. Jus Regibus daret, qui longe aliud iis Mosaica in lege præscripserat, qui præceperat iis, ne sibi præter modum præterque æquum augerent feminas, equos, aurum argentumve, neve se efferrent supra fratres, seu consanguineos, hoc est, supra Cives suos: immo qui per Mosen, si qua fides Josepho, monuerat disertissime populum, ut obviam Regiis irent conatibus, si id ab eo ageretur, ut evaderet potentior, quam ipsis expediret? Ne igitur, ne induca-

Deuteron. cap. 17.

Antiq. Jud. lib. IV. cap. 8.

mus quæso tam alienam ab absolutissima Divini Numinis integritate nostrum in animum opinionem: quin existimemus potius, quod res est, fuisse hoc *Jus Regum*, quale illud filiorum Eli, immo filiorum Belialis, qui sacrificia Israelitarum non Deo, sed sibi, impio plane ausu, prosecabant, quum etiam inter Gentes religiosissime caveretur, ne quis gustaret
p.56.
quicquam ex hostiis, antequam earum proficiæ Diis essent oblatæ.
1 Sam 2. §.13
Hocce tamen factum eodem prorsus vocabulo a Samuele insignitur, quo illa Regum facinora, licet paulo post diserte item,
§.17.
ut erat revera, *peccatum valde magnum* appelletur. Quid ergo aliud id fuit, quam Consuetudo, cum filiorum Eli, tum Regum, orta pessimis ab exemplis impune editis, atque ita veluti usu jam receptis, tacitoque approbatis consensu, quæ sane apud improbos *Juris* vicem abunde sustinent, quoniam, ut ait Tragicus, exemplo qui peccat, minus est nocens? Neque vero aliena est hæc interpretatio a cetero apud Hebræos istius vocabuli usu, quippe apud quos etiam quamcunque vitæ secum vel inter alios agendæ rationem, quam sibi quisque sumit & proponit suo ex judicio, licet sæpe pessimam, notare certum est. Quid, quod &
P 57.
apud Latinos *Jus sceleri* quoque *datum* canat Poeta?
Lucan. lib. 1. vers. 2.
Immo vero, ut simile prorsus & exemplum & locutionem adferam, notabile omnino arbitror, quod Livius, quum narrasset, L. Postumium Consulem, primum contra mores Romanorum, sociorumque jus, imperasse Prænestinis sumptus, quibus se exciperent, monet & observat, *silentium nimis aut modestum aut timidum Prænestinorum, JUS, veluti probato exemplo, fecisse Magistratibus graviorum indies talis generis imperiorum.*
Lib. XLII. cap. 1.
Pari enim modo & Reges, qui facinora isthæc, quæ Israelitis a Samuele denunciantur, impune designaverunt primi, dederunt successoribus quoddam quasi *Jus* similium flagitiorum, exemplis suis jam veluti receptum & probatum, dum populus contra ea nihil, nisi timido plane ac de-
p. 58.
generi silentio, tacitave indigna-

dignatione, mussabat. Illud autem Jus quid erat reipsa aliud, quam consuetudo, nulla lege, nullo vero jure, sed sola hinc patientia, illinc usu, firmata & quasi licita?

At vero, opponunt, nisi revera Jus tale sit, sive Regium, sive summi saltem Imperii, quicunque tandem id teneat, non potest ulla consistere Civitas: quin immo exercet illud extra controversiam Democratico in statu Major pars in Minorem. Jam vero, quicquid Juris illa istic obtinet, idem plane habent Reges in populum, quando is simpliciter imperium illis dedit, nullamque simul iniit aut præstituit rationem administrandæ per se quoque Reip. summæque potestatis aliqua ejus in parte exercendæ. Hæc illa sunt, in quibus se jactant, ac sibi mirifice plaudunt, tanquam
p. 59. egregie prorsus locuti, qui Regii Juris causam tuentur.

Ego vero, qui meus est stupor, primum nullus video, cur non optime constitura sibi sit Civitas, & quæ unice in omni Civitate spectanda erat, salus populi, si Reges semper cogitarent & crederent, sibi quidem permissam totius Reip. procurationem, sed tamen summam ejus potestatem hærere usquequaque in toto populi corpore: si persuasi sint & certi, jus sibi quidem esse, quando æqua, immo quando non iniqua plane, eaque sæpius, imperant, cogere singulos in obsequii & obedientiæ officium: verum si regnandi gratia nihil habeant pensi, quo minus jus violent, divina humanaque omnia misceant, vix ullis in rebus pietatem & fas colant, posse se tunc a populo ad reddendam rerum gestarum rationem adigi, & exigi re- p. 60.
gno tam male ac perfide a se administrato. Spectemus obsecro fortunam Romanorum, immo cunctarum pene gentium. Non dicam felicissimam fuisse Civitatis Romanæ faciem, quando Jus summum haud dubia ratione erat penes populum, licet ejus longe plurimis in rebus exercitium & administratio penes Senatum esset & Consules. Illud rogo, annon infinitis modis meliori etiam loco fuerint fortunæ Civium, salva simul & illibata vi imperii,

perii, ſub Auguſto & primis
Principibus, qui jus illud
populi agnoverunt partim,
partim metuerunt, quam ſub
quibus nulla tandem ejus ha-
bita eſt ratio? Quis & Græ-
ciæ olim, inque ea Vrbis
Spartanæ, fuit vigor inge-
nii, fuit fortuna & gloria,
quando ſeu Reges ſeu Ma-
giſtratus comiter revereban-
tur majeſtatem populi? At
poſtquam ea jugo infiniti
p. 61. iſtius imperii collum ſubdere
eſt coacta, non gloria tan-
tum ac fortuna, ſed & in-
genium & animus ipſe ita in
Græcis exſtingui paulatim
coepit, ut hodie nulla Græ-
ciæ veſtigia in Græcorum
præcordiis reperias.

Deinde vero, neque juris
iniqui quicquam, mea ex
ſententia, Major pars Civi-
tatis in Minorem habet, aut
exercere ulla ſpecie vel co-
lore poteſt. Coierunt enim
omnes in eandem ſocietatem
æquo prorſus jure ac fœde-
re, eoque potiſſimum ani-
mo, ut ſalutem ſuam, ac li-
bertatem, rerumque ſuarum
ſecuram poſſeſſionem tanto
certius tueri valerent. Con-
ſtituerunt etiam receperunt-
que certam curandæ Socie-
tatis iſtius publicæque jam
rei rationem, ut inter ſe jure
ac juſtitia fruerentur. Quo-
niam vero neutiquam expe-
dit hominibus, ut temere
rurſus aboleant mutentue ini- p. 62.
tam jam Societatem, eique
etiam adminiſtrandæ pro-
prium eſt & veluti naturale,
ut in pleriſque ſaltem rebus
id, quod complurium ſuffra-
gio eſt decretum, juſſum ra-
tumque habeatur, idcirco,
quicquid Major pars, malæ
fidei non comperta, ad ſo-
cietatis iſtius rationes vel
ſpecie quadam accommo-
datum ſciverit ac ſanxerit,
id ſervandum eſt haud dubie
Minori, licet ipſi aliter in
Concilio fuerit viſum. Quin
immo ferenda ſunt etiam mi-
nora quævis incommoda, ac
veluti penſanda maximis, quæ
in ſingulos ex ſocietate ipſa
redundant, bonis. Sed &
ſubire ea, utcunque invitos,
quodammodo tamen ſua
ſponte, exiſtimandum eſt,
qui eadem Civitate, quæ
iſtiusmodi quid decrevit, uti
perſeverant, quum utique
relinquere eam potuiſſent.
Verum tamen ſi Major illa p. 63.
Civitatis pars tale, ſeu ſum-
mi Imperii, ſeu Regium,
Jus,

Jus, quod ex Samuele nobis obtruditur, sibi vindicare vellet in Minorem, si filios hujus partis abduceret invitis parentibus ad faciendum sibi opus rusticum, si filias ad parandos sibi cibos, instruendamque mensam, si vineas ejus invaderet & agros, si decimam gregis & armenti, decimam omnium proventuum sibi sumeret, tum vero Insanam ego & servitute dirissima dignam haud dubius pronunciaverim Minorem illam, quæ, si modo possit, non resisteret, neque illatam sibi vim quocumque modo repelleret.

At seditio ea ratione & tumultus incesset Civitatem, societatemque solvet. Fateor illud & agnosco. Verum omnis causa & culpa residet in iis, qui vim fecerunt, non qui prohibuerunt. Est utique
p.64 etiam generis humani aliqua inter se societas, est & arctior generis Christiani. Quid ergo? Si quando iste publicus jam gentium Europæarum hostis suas illas ferales, illas incendiarias, illas sacrilegas in nos cohortes immitteret, an sederemus ignavi & inertes, pateremurque in tristissimam nos servitutem redigi, ineptissima hac scilicet solicitudine ducti, ne, si moverimus lacertos adversus vim ingruentem, ita per nos distraheretur communis illa societas, bellumque exoreretur, quod ut jam olim Græcus Poeta dicere fuit solitus, *magnum* vere est *malum hominibus*, & præciqua eorum calamitas? Enimvero ludibrium præberemus hostibus, joculare quidem illis, at nobis eventu luctuosissimum, si ita essemus animati. Ceterum eadem pene est & Minoris partis in una Civitate ratio, si ab altera con- p.65.
tra jus & fœdus societatis dolo malo opprimatur, quæ gentibus adversus gentes æquo sibi junctas fœdere. Sin autem minoribus illa urgetur malis, sed quæ tamen item iniqua sint prorsus, & societatis initæ, vel expressis, vel tacitis, legibus repugnent: sive illa exercitam in se tyrannidem injustamque dominationem a suis cervicibus depellere nequit; nullum est dubium, quin summo tunc jure liceat ei saltem

secedere, & societati, quæ præter exspectationem suam, præterque æquum & justum, infida evasit & leonina, nuncium remittere; nisi quis tamen & hoc, Regii Juris, supremique Imperii forsan putet, Cives omnibus modis prius divexatos, seque servituti & violentiæ subducere jam gestientes, etiam effugio & exitu regni excludere. Exempla ceteroqui, si p. 66 heic quoque locum ea habent, suppeditabit iterum illa optimorum feracissima Resp. Romana, sed prisca, sed adhuc vitæ & morum integra. Etenim plebeja Urbis istius multitudo, quum a Senatu, quocum comparata erat veluti Minor, certe inferior Civitatis pars, durius tractaretur, secessit plus semel ex Sede patria, Senatumque res suas sibi habere jussit, & vacuis, si vellet, dominari in moenibus. Ecquis est vestrum, Auditores, qui licitum illud fuisse neget? qui factum hoc incusare ausit? Nemo certe Veterum id tentavit, nemo non laudavit hoc in negotio plebis modestiam.

Comparetur itaque, per me licet, Rex cum Majore populi parte, vel sic tamen nullam ex eo speciem, nullum colorem, nihil ne imaginarii quidem Juris recta ratione elicere potest ad continendum in servitute populum, ad subjiciendas suæ libidini Leges, ad ludifican- p. 67. dam impune omnem Remp. Sed tamen neque justa est illa comparatio Majoris partis in populo Democratico cum Rege, & Minoris cum integro populo sub Rege. Major enim vel accipi heic debet, ut ipse populus, vel si ab eo separari ac distingui potest, est omni populo inferior, quippe qui semper rescindendi potestatem habet, quicquid Major illa pars statuerit. Rex autem nunquam in mandata sibi a populo Rep. tantundem juris obtinet, quantum ipse populus, nisi is disertissime id ei concesserit, & clarissimis verbis indubiisque locutionibus suum a se jus prorsus & plane in Regem illum transtulerit. Neutiquam enim heic sufficit ad illud Regibus asserendum populoque

ab-

abjudicandum, quod forte populus, quum imperium
p. 68. iis simpliciter deferret, non constituerit simul rationem, secundum quam vel conveniret ipse, vel advocaretur ab illis, ut consuleret in commune, & quid in Rep. fieri velit, declararet sciseretque. Enimvero rarissime quidem illud, si modo unquam, evenisse arbitrer. Nam quod reperiuntur Regna vel Dynastiæ, in quibus nullum exsistat Concilium vel totius Populi, vel Electorum, vel Optimatum, id haud dubie ortum ex eo, quod, invalescente paulatim Regum ac Principum potestate, vis Conciliorum, fatali quadam omnium populorum socordia, dum singuli suarum sunt rerum, omissa publica, sensim abolita fuerit, atque ita tandem ipsa illa Concilia quoque penitus sublata. Ceteroquin enim antiquis temporibus plerasque Civitates ea habuisse, inque classes, tribus, & Comitia, fuisse ordinatas di-
p. 69. scriptasque, ex Historiarum monumentis satis superque constat. Neque tamen idcirco per se, aut forte temere, conveniebant, sed per Regem aut Magistratus suos vocati: neque sciscebant jubebantque quicquam, nisi de quo ad se ab iisdem esset relatum. Quid ergo, si forte vel Rex, vel Magistratus illi conspiratione quadam nullum unquam advocarent Concilium, nulla haberent Comitia? Interciderint tunc quidem, & exstinctum sit plane jus illud populi? Immo vero, quando ille jam convenit integer, quoquo etiam modo convenerit, jus suum semper obtinet, nulla parte imminutum, si modo se ipse nunquam diserte eo exuerit. Id quoque, ne de hodierno hoc Angliæ & Scotiæ Concilio loquar, Urbs Roma probabit firmabitque. Dederat istic populus Decemviris, Legum scribendarum gratia constitutis, amplissimam profecto potestatem p. 70.
Reip. totius administrandæ, adeo ut Viri Eruditissimi istis quoque Regium illud tribuant imperium, licet multis tamen documentis ostendi queat, jus illud summum, quod populis sua in Rep. naturale est, fuisse etiam huic reve-

revera integrum, atque a primis Decemviris agnitum. Ceterum quum posteriores traherent lacerarentque Remp. libidinose & crudeliter consulerent in Cives, nihil ad Senatum referrent, Comitia, quia nunquam vocabant populum, ex usu veluti tollerent, & desuetudine obliterarent: an itaque tunc populus, quum secundum leges Civitatis, & receptum Reip. ordinem per se ipse coire non posset, & præter Decemviros nemo alius jus illum convocandi haberet, nullo jure fecit, nullumve jus habuit, quum, extra or-
p.71. dinem congregatus, licet modeste satis, repetiit ab injustis illis Reip. insessoribus suam libertatem? Nemo, opinor, vestrum id dixerit, nec memini usquam legisse ullam hujus facti accusationem.

Sed vereor jam dudum, Auditores Præstantissimi, ne intra animum tacita quadam indignatione mihi ingeratis. Quid, per Deum Immortalem, sibi vult hæc Tua Oratio? An ut auctoritas quædam concilietur seditionibus populi? Ut jus imperii penitus labefactetur convellaturque? Ut civilia passim & intestina excitentur bella? Ego vero ante omnia obnixe velim, hanc mihi habeatis fidem, nunquam me favisse tumultuanti & seditiosæ plebi, ut quæ semper, mea ex sententia, præstantissimos quosque suæ Reip. Viros, & vere Optimates, maxime suspectos habere solet & invisos, quæ, ut Ver- p.72.
bo dicam, usu plerumque deprehenditur teterrima esse Civitatum sentina & pestis; pernicies & scopulus publicæ Libertatis sane quam periculosissimus. Quapropter nihil mihi cum ea neque nunc, neque unquam alias, commercii aut negotii esse volo. Deinde illud etiam atque etiam rogo, excutiatis diligenter memoriæ vestræ fidem, perpendatisque, annon infinitis modis plura evenerint semper, atque utinam non evenirent deinceps, in genus humanum mala, ex eo, quod ita nunc fræna laxantur tyrannidi, quod ipsa tyrannorum scelera & flagitia jure quodam or-

ornantur muniunturque, quod
populus omnis ad se tuen-
dum, atque ab acerbissima
oppressione vindicandum,
veluti exarmatur, &, si id
tamen tentare forsan au-
deat, omnium odio & ex-
p. 73 secrationi objicitur; quam
ex afferto innocuum in mo-
dum populi totius adversus
injustissimam unius hominis
dominationem Jure. Certe
Ego nihil aliud vobiscum hac
oratione egi, neque aliud
quicquam spectavi, quam ut
ostenderem, Imperium in
liberos suique arbitrii popu-
los duxisse primam revera
originem & naturam ex Man-
dato, licet acceperit deinde
sæpius majorem aliquam vim
ac Jus ex Pacto: atque adeo
neutiquam sequi ex ipsa Im-
perii simpliciter delati natu-
ra, ut liceat impune in po-
pulum quovis modo grassari,
populo autem nequaquam li-
ceat iniquum illud tyranni-
dis jugum excutere, tan-
quam si nihil prorsus sibi ad-
versus eum, cui summa cum
libertate sui curam & salu-
tem commendaverat, pu-
blicæque rei permiserat tu-
telam, servaverit juris, non
modo Civilis, sed ne quidem
Naturalis, quo licitum ce- p. 74.
teroquin unicuique, vim ab
alio intentatam, quoquo mo-
do prohibere, avertere, quin
& punire. Immo vero recte
in eo fecisse, & optimo suo
jure usos, cum alios olim,
inque iis nostros quoque ma-
jores, tum nuper admodum
Anglos, Scotosque, quod
Regem, qui nullam non pu-
blicarum Legum attamina-
bat, qui nihil juris sanctum
populo & integrum relin-
quebat, qui omnem Remp.
ad se suæque dominationis
incrementum trahebat, de-
stituerint vel abdicaverint:
Recte etiam & justissime fa-
cturos vicine regni Cives, si
immanissimæ, quæ in eos
incumbit, tyrannidi obviam
ire audeant, atque avide
prorsus affulgentem ex pro-
ximo suæ salutis spem arri-
piant, suarumque opum vi-
ribus juvent & promoveant.
Habeant ceteroqui Reges,
habeant Principes, habeant
Magistratus, gerendae Reip. p. 75.
Legibusque exercendis præ-
fecti, imperium ac potesta-
tem, qua seditiones vulgi,
& tumultus compescere, fa-
ces & concitores motuum
civilium coercere, seque aut

domi pacem, aut foris bella e re publica fideque ſua tractantes adverſus imperitiſſimæ ſimul & iniquiſſimæ plebis ſuſurros aut conatus valeant tueri; immo habeant vires & copias, per quas, *Lib. III. Polit. cap. 11.* ut volebat Ariſtoteles, ſuperiores ſint, non modo ſingulis, ſed etiam compluribus, omni autem populo inferiores, hoc eſt, cohibere poſſint tumultuantes, molientesve res novas in populo, ipſum populum opprimere, & in ſervitutem redigere nequeant. Utinam vero ubivis gentium reipſa eſſet ſimul Salus Populi ſuprema Lex, ſimul declarata ejusdem voluntas & conſenſus ſupremum Jus! Utinam Ma- p. 76. giſtratus & Principes ſemper ſibi proponerent, ſicuti Legibus exercendis & tuendis præfecti ſunt, ſic oportere tamen & eos una cum aliis, Legibus eſſe ſubjectos! Utinam vere eſſet ea mens & cura Principum, ut etiamſi Legibus ſe forte arbitrentur ſolutos, Legibus tamen viverent & ipſi, & eorum Cives, viderentque pariter omnes, ne quid Reſp. detrimenti caperet!

Sed ut cumque ſit de aliis, Vos Ego, Ornatiſſimi Adoleſcentes (nam in Vobis deſinet hæc mea Oratio) certos Ego Vos eſſe jubeo, me ſecundum Leges noſtras, quæ quidem inuſu & deſuetudine nondum jacent quaſi ſepultæ, Magiſtratum, quem hodie inivi, geſturum, nullum iniquius inhibiturum in Vos imperium, nihil denique poteſtatis inuſitatæ mihi arrogaturum. Sed viciſſim per veſtras Ego Vos fortunas obteſtor, veſtro- p. 77. rumque de Vobis parentum ſpem, per quicquid carum vobis deſideratumque eſt, vitam ut veſtram, veſtrasque actiones, dum noſtri eritis Cives, dirigatis ſecundum easdem Leges, quas Vobis Nobisque ſumma hujus Athenæi poteſtas præſcripſit, commodas, utiles, ſalubres utriſque. Ne vero quiſquam ignorare eas poſſit, præclare & illud a majoribus noſtris inſtitutum fuit, ut quotannis veſtra pro concione palam heic recitarentur. Cui inſtituto & Ego hoc hora, ut par eſt, obtemperaturus, edico jam nunc Scribæ noſtro, quem

ea

ea gratia in inferiore hoc ſubſellio conſidentem videtis, ut Academicas illas Leges, Vobis audientibus, elata & diſtincta voce legat. Vos quæſo animum advortite, & ſtudia moreſque veſtros ſedulo ad eas conformate.

DIXI.



A V-

[illegible]

I X I [illegible]

ULRICI HUBERI
AUSPICIA DOMESTICA

Exercitationum, Quibus Otium,
quod ILLUSTRES

FRISIAE ORDINES

Ei apud Academiam ſuam fecerunt,
occupare conſtituit.

Accedunt amœniora quædam alia.

Celsissimo & Illustrissimo Principi,

HENRICO CASIMIRO

D. G. Principi Nassoviæ &c. Comiti Catimelibociæ, Viandæ, Dietzæ, Spiegelbergæ &c. Baroni Liesveldiæ, Domino Beilsteinii &c. Gubernatori & Capitaneo Generali *Frisiæ* Hereditario; & Groningæ Omlandiæ Drentiæque Præfecto domi militiæque Supremo. Acad. Franekeranæ Curatori Honorario, Magnificentissimo. &c. &c.

UT ET

Nobilibus ac Potentibus

D O M I N I S

Ordinum Frisiæ Delegatis ad Acta,

OCTO VIRIS

LASIO van BURMANIA
ARNOLDO van HAERSMA
WILHELMO van HAIREN
TJARDO van AYLVA
DANIELI BLOCQ van SCHELTINGA
VALERIO van GLINSTRA
TACONI à TÆKEMA
HENRICO à DOMPSELAER

ULRICUS HUBER S. D.

Celsissime PRINCEPS
Nobiles & Potentes DOMINI.

VAlerius Licinianus Senator quondam Romanus iniquitate fortunæ, an Principis sui, è Senatu ad Eloquentiæ professionem redactus, in præfatione primi actus dolenter & graviter dixisse legitur: Quos tibi fortuna ludos facis! facis enim ex Professoribus Senatores, ex Senatoribus Professores. *Cui sententiæ tantum bilis, tantum amaritudinis inesse, Plinius censet, ut Licinianus ideo professus ei videatur, ne hoc non diceret. Me quoque*, Celsissime Princeps, *de Professore Senatorem nihil ejusmodi expectantem honorifice fecisti; Ex Senatore Professorem denuo.* Tu, Proceresque Nobilissimi, *non fecistis; haud sane, quod indigne habitum me judicarem, si ad veteres Musas redire cupienti locum in spectatissimo ordine capere licuisset; At tamen honoris causâ meique & Amplissimæ Curiæ Reipublicæ respectu faciendum censuistis, ut* Ex-Senatoris *titulo noscendus, apud Academiam Reipublicæ literariæ commoda pro meâ facultate promoverem. Atque tantum abest, ut hæc mutatio cum* Liciniani *casu quicquam habeat commune, potius ut omnia summi beneficii vim effectumque mihi familiæque meæ præstiterint. Namque cum plures justæque rationes ad tranquilliora studia redeundum mihi suaderent, easque tibi*, Celsissime Princeps, *pro facilitate benevolentiaque erga me tuâ probassem, ne alteras quidem meas magni momenti preces adspernatus es, quin annuisti, ut Senatorium munus, quod totum Tui muneris erat, in filium transferre liceret: Hæc enim mihi amicisque sola ratio exeundi è Senatu, non modo honesta, sed etiam judicio populari speciosa videbatnr. Cum autem una me difficultas, juventus filii, retardaret, Nobilissimusque HARENIUS pro sua gravitate prudentiâque salutare medium commonstrasset, æque facilem in hoc amplectendo TE præbuisti, Vestroque* Nobiles atque Potentes Domini *favore, nec non relatione factum est, ut* Illustres Ordines *amplissimâ Secretarii sui dignitate meum filium cohonestaverint. Tu vero, PRINCEPS, ne non abunde sperata surrogatio, pensata videretur, absens, etiam mandata dedisti Reverendo Amplissimoque Viro*, Johanni van der Waeyen. Tuæ Celsitudini *à Consiliis, ut solertissimo ita fidelissimo, ageret apud Magistratus inclytæ civitatis Leovardiensis, Tuo nomine, quo* Consiliarii *quoque*
Pen-

Penſionarii *honore eundum meum filium augere vellent. Quod ille pari fide pro tuis voluntatibus, pari amore noſtri, induſtriaque res gerendi effecit, quâ antehac & in Senatoria dignitate mihi concilianda & in exitu decoro deinde moderando verſatus fuerat. Nunc Celſitudini Tuæ vobisque* Nobiles ac Potentes Domini *ſubmiſſâ manu offero* Auſpicia *functionis, quâ me novo exemplo Patriæ beneficentiſſimæ addictum mancipatumque voluiſtis. Non arbitratus ſum pudori mihi fore, ſi quod nomen vos me publice gerere noluiſtis, ejus ego vim domeſticis officiis juventuti repræſentarem. Quod animi propoſitum re jam effectuque probari cæptum in his paginis non uno loco expoſitum reperietis. Eſt heic* Collatio prima *Juris Friſici cum Romano, in Illuſtri auditorio habita; ſunt inſuper aliquot* Orationes, *cùm hac occaſione, tùm alias habitæ, argumento non eloquentiâ ſe commendantes; quam affectare cum ita recitarem, quaſi ſcriptæ non eſſent, ſupervacuum vel ignoſcendum fuit. Vobis autem ideo dedicandas putavi, ut quorum auctoritate hæc Auſpicia capta, futuræque exercitationes habendæ ſunt, horum favore præſidioque primum hujus generis ſcriptum prodeat in lucem; donec alia, liberalitate veſtra digniora, ſi mearum id erit virium. elaborentur. Interim his verbis publicè Vobis gratias* agere *maximas volui;* habere *nunquam deſiniam, neque precari, uti vos Deus optimo publico diu conſervet, omnibusque fortunæ animique bonis augeat.*

Franekeræ
2. d. VII. Kall. VIIIbr. CIƆ IƆC LXXXII.

ULRICI HUBERI
ORATIO.
Habita ante primam Juris Frisici cum Romano Collationem, domi ipsius a. d. VII. Eid. April. CIↃ IↃC LXXXII.

Qua rationem reddit, quur, postquam ex Antecessore, locum in Supremâ Frisiorum Curiâ accepisset, inde post triennium rursus ad tranquilliora studia se contulerit.

Præterea de antiquo & recentiore modo disputandi conferendique differitur.

Celsissime & Illustrissime PRINCEPS, Gubernator hujus Provinciæ Hereditarie, Curator Academiæ Honorarie, Magnificentissime, Domine Clementissime.

Illustres Ordinum Generalium, Frisiæ *Deputatorum, Curiæ Supremæ, & Admiralitatis, DOMINI Adsessores.*

Tuque è multis Legationibus Excellentissime Vir, & Academiæ Curator.

Procurator Frisiæ Generalis Amplissime.

Domini ac Proceres, qui præterea adestis, Nobilissimi, Spectatissimi.

Rector Magnifice, Admodum Reverendi, Consultissimique Professores, Amici honoratissimi.

Prudentissimi DD. Consules & Decuriones.

Pastores venerandi, Doctores, atque Togati Prudentissimi, Magistri, Candidati Eruditissimi.

Vosque Generosi, ac Ornatissimi Juvenes Studiosi.

SI,

O R A T I O. .I

SI, quám ego me libenti atque gratanti animo ad meas veteres Musas & intermissa sacra recipio, tam vos, AUDITORES, æquos & intelligentes instituti mei æstimatores habeo; sicut habere me confido; non est, quód de ratione consilii mei vobis approbanda sollicite laborem. Sed mea sic est opinio, non esse prudenti viro in ordinandis rerum suarum vitæque momentis negligendum illud populare; *Quid dicent homines?* & sive quædam imbecillitas illa, sive non pudenda sit animi sententia, nihilo secus ego in actionibus studiisque meis animadvertendum censeo, quid hi mortales, quibuscum vivo, quam quid posteri, quorum nemo Sapiens sprevit judicium, sint laudaturi. Enimvero non debeo dubitare, quin hominum judicia de personâ, quam per hoc triennium in Republicâ sustinui, deque meis viis, jure quodam suo varia & arbitraria esse possint. Qui per duos & viginti annos Academicam doctrinam publicè professus, inde è Schola in Curiam, ex umbra auditorii in lucem magni fori translatus eram: Nunc iterum veluti pœnitens suscepti muneris; relicto foro, in Academiam me recondo & quasi postliminio ad antiquam studiorum consuetudinem relabor. Extitere quidem & alias exempla Professorum, qui è cathedra *Themidos* in Senatorium Tribunal evecti fuere; qui verò è Senatu rursus ad Academiam se contulerit, adhuc repertus est nemo: Proinde, recusandum mihi non est, quin æquo animo cives meos de novi exempli ratione disceptantes judicantesque feram, atque forte an etiam errantibus indulgeam. Quo minus autem frequenter id usu veniat quam necesse sit, existimavi faciendum esse, ut antequam id acroama, cujus gratia frequentes convenistis, *Auditores*, aggrediamur, ingenue vobis dicam, quæ mihi tam prioris quam novissimæ mutationis ratio constiterit. Intelligo, si dicam, in utraque me nihil æquè considerasse, quam ut studiorum jurisque prudentiæ cultum in animo meo augerem,

multis

multis id inexpectatum minusque credibile visum iri, qui aut honoris aut pecuniæ rationes in omnibus consiliis primarum partium esse arbitrentur. Equidem, non sequor eorum sectam, qui vetant sapientem ejusmodi rerum aliquam præferre curam, nec utor ea conditione fortunæ, ut spernenda mihi sint dona Deorum; sed liceat hoc absque metu invidiæ profiteri, me semper ejus fuisse sententiæ, quâ Pomponium, è juris conditoribus unum, in extremâ senectute sic animatum fuisse accepimus, ut optimam vivendi rationem statueret esse *discendi Cupiditatem.* Quamvis autem hæc in recessu bibliothecæ gymnasioque melius quam in medio hominum & in strepitu fori à studiosis hominibus coli & expleri posse videatur, censeo tamen haud temere laudatum esse à veteribus Afranium Poëtam, qui Sapientiam in Comœdiâ sic fecerat loquentem; *Usus me genuit, mater peperit memoria.* Quem versum qui recenset Auctor, ad eum hoc modo commentatus est: *Eximie hoc atque verissime*, ait, *Afranius Poëta de gignendâ comparandaque Sapientia opinatus est, quod eam filiam esse usus & memoriæ dixit, eo namque argumento demonstrat, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis atque disciplinis opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus omnibus noscendis periclitandisque, eaque omnia acta & eventa firmiter meminisse, & proinde sapere ac consulere ex his, quæ pericula ipsa rerum docuerint, non quæ libri tantum ac magistri dictitaverint.* Hactenus noctium Atticarum scriptor. (1) Et mihi quidem sic evenerat, ut è subselliis discentium adolescens adhuc in Doctorum cathedram publica autoritate productus, in eaque grandi mortalis ævi spatio commoratus, parum aut nihil eorum quæ in usu rerum humanarum habentur addiscere possem. Non equidem ita me abdideram in angulos & secreta librorum, ut penitus nihil eorum, quæ in foro Curiisque tractantur, audirem atque viderem, cujusmodi homines in scholis stultissimos fieri Satyricus (2) arbitratur; sed tamen agendo periclitandoque in intimam earum rerum notitiam penetrare me non potueram. *At huic rei pulcherrimam facultatem deinceps præbuit Tua Celsissime PRINCEPS generositas, qui locum mihi in Supremo Senatu juridico* Frisiorum, *dignatione maximis in Republ.*

(1) Lib XIII. cap 8. (2) Petronius *sub init.*

publ. honoribus parem, *measque fortunas revera transscendentem*, *sine ullo ambitionis respectu glorioso exemplo deferre voluisti.* Atque tum id tempus eluxerat, quo doctrinam è libris disciplinisque studiorum haustam, & exercitiis commissionibusque Academicis auctam vivâ exhibitione periculisque rerum instruere atque firmare liceret. Nec vero metuendum fuit, ut obliviscerer, *Auditores*, operam dare, quo commodum illius optatæ magis quam speratæ occasionis in rem utilitatemque meam studiosè converterem. Quod adeo bonâ cum veniâ vestrâ fiat, utar hac libertate, ut obiter vobis exponam, quæ ratio, quis ordo laborum, in hâc opera triennali, quam foro navavi, servatus à me fuerit, ut, iis auditis, existimetis, jure modo, an injuriâ causam mutati vitæ instituti, cultum ingenii doctrinæque fuisse declaraverim.

Primo omnium ab ingressu in Senatum complexus sum animo meo divisionem totius Romanæ Jurisprudentiæ in *partes duas*, alteram quæ diversitate Rerumpublicarum, mutatione temporum, atque morum his diebus, ne quidem in patria nostra, juris scripti alioqui tenacissimâ usurpatur, & alteram, quæ rationibus semper & ubique valituris subnixa, neque legibus aut moribus abolita nostris, hodieque servatur. Putavi recte me facturum, si hanc posteriorem inde ab initio in ordinem scriptumque redigerem, eoque velut in adversaria congererem, quicquid in dijudicatione causarum omni die memorabile ventilaretur: effectumque id dedi celerius quam pene credideram, adjutantibus aliquot studiosis adolescentibus, qui manus suas calamosque dictanti impigrè commodavere, dum opus ipsum accessione rerum, identidem in foro occurrentium, nivei instar orbis adsiduo cresceret ac invalesceret. Visum etiam convenientius ingenio illius scripti, ut eodem cuncta sermone, quo in senatu tractabantur, exararem, non quia minus ad laboriosum, sed quod ita comperiebam, vernacule cogitata mea clarius & simplicius fluere, dictaque propius ad captum popularem, quo me demittere volebam, accedere, quam si erudito sermone res quotidiani usus efferre voluissem. Nec est quod dissimulem *Auditores*, me, cum utilitate tum voluptate singulari in hoc novo genere studendi esse versatum. Nam præter quod homini studioso discendi profectu nihil dulcius esse potest, haud facile dixerim,

quam mihi jucunde hæc res evenerit, quod regulas juris antiqui totius auditoribus inculcatas meis, non modo, ut positiones & placita Cæsarum, sed etiam ut juris Naturæ, hoc est, Divini dictaminis æquissima Præcepta, rebus actionibusque hominum egregie convenire sentiebam. Placeant sibi Censores Juris Romani vitio creati, insectando pleraque eorum, quæ Justinianus è veteribus hausta nobiscum communicavit. Mihi sic in illa experientiæ officina compertum est, longe maximam partem eorum, quæ ab illis sciolis exagitantur, optime cum ratione bonoque publico conciliari. Nec adeo dubitem adfirmare, quot illi nævos Juris Latini censent eluendos, pene tot errores Pragmaticorum nobis esse vitandos. *Atque hoc loco non possum, quin beatam prædicem Patriam meam præ cæteris Europæ nationibus, quod cives suos non secundum æquitatem heri nudiusve tertius repertam, sed juxta cynosuram cultissimæ artis per mille fere annos à sapientissimis hominibus elaboratæ gubernat. Parcius, per me licet, imprecemur diras factionibus* Schiringiorum, (3) *quique illis adversati sunt, & placabilius irascamur majoribus nostris, quod bellis omnium contra omnes integro seculo & amplius continuatis, pristinas gentis leges, inconditas illas, cum toto imperandi parendique ordine subuerterint, ut intestinis defuncti furoribus in vacuum juris locum perfectissimi exempli disciplinam adoptarent. Rosæ vero & lilia tuum*, Alberte Saxo, (4) *monumentum perpetuo exornent, quod dissolutum populum saluberrimo vinculo colligasti; Legibus, in quibus omne delicium Themidos est situm, & custode Legum Senatu, non auctoritate modo venerabili, sed etiam potestate salutari pro vindiciis legum armato.* Sed ex diverticulo, fultis, in viam redeamus: Ego, præstantissimi *Auditores*, sic rationes meas inibam, ut studium Juris Romani, cui inde ab ineunte adolescentiâ deditus & adsuetus fueram, periculis rerum actionumque forensium instruerem ac corroborarem, non etiam ut de interprete Juris toto genere mutatus in pragmaticum transirem, inque fori profundum me immergerem, quo saltem tingi, quod satis esset, imbuique cupiebam. Nam, ut liberè quod res est dicam, non erat, ut ab animo impetrarem meo, vitam omnem transfigere in hoc genere, quod

&

(3) Auctor in *Hist. Civ. part. II. Lib. I. Sect. II. cap.* 11. *p.* 220.
(4) Auctor *d. l. Sect. III. cap.* 10. *p.* 244. *seqq.*

& ferius ac alii inceperam, & in quo nihil præ aliis Reipubl. præstabam; denique ut eam facultatem, in qua sine jactantiâ possum dicere, me ante alios multos exercitatum esse quoque multo prolixius Patriæ commodis servire poteram, hanc ut abjicerem & à tergo relictam oblivioni traderem. Ideo, cum quod animo conceperam, mediocriter adsecutus videbar, in hoc me sedulo comparavi, ut ex iis quæ in foro intellexeram, Juris scientiam, sicut eam professus fueram, meo commodo munirem atque illustrarem. Contraxeram ante hac lectiones meas familiares ad libros Justiniani Institutionum & Pandectarum, eosque pridem in gratiam auditorum meorum ære typographico excudi curaveram. Has institui recensere & emendando, supplendo, mutandoque in eam formam redigere, ut universam juris prudentiam moribus seculi adtemperatam conpendio repræsentarent. Nam etsi jus illud pragmaticum ita composueram, ut Romana quæ ab usu recessere cuncta secernerem, stetit nihilominus semper hæc animi sententia, sicut est revera, non videri Jureconsultum esse consummatum, qui ûtramque studii nostri partem & *dicæologicam* & *antiquariam* memoria non comprehendisset. Idque non modo hac gratia, ut in Academia quis docendi munere fungatur, sed etiam ut forensi more jus colat & exerceat. Nam quia totum jus Romanum uno artificio devinctum & colligatum est, non habet res facultatem, uti quæ nostris moribus vigent ita de reliquo corpore præcidantur, ut altera sine alterius notitia plane penitusque intelligi possit. Sed qui recensione mearum lectionum defungi me posse credideram, cum vestigia relegerem, in eam adductus sum opinionem, posse plura paucioribus dictis, etiam clarius & efficacius collocari. Nec diu cunctatus totum Justiniani disciplinam secundum Institutiones & Digesta, prioribus inductis, in novas *positiones* redegi, habitâ passim ratione discrepantiarum, quæ ex diversitate temporum atque morum pleraque Europâ invaluere. Sed quo inprimis id opus qualecunque, profecto leve ac tenue, placere mihi possit, est certitudo major, & judicium adseveratius de usu sententiarum Juris, quæ his libris continentur, præ quam olim imaginari potueram; etsi ut historias rerum judicatarum, quæ absolvunt hoc judicium, adjunge-

rem brevitas instituti hoc tempore non permisit, Forte Deus alias otium animumque dabit hunc defectum supplendi, quod ad ea quidem attinet exempla causarum, quibus ego decidendis interfui, vel ab iis qui ipsi interfuere, scripto relatuque percepi. Nam si quis alius ex eventu decisionum de sententiis Juris interpretationem capere velis, næ hunc sæpius ab semitâ veritatis oporteat aberrare, quando rationes, quibus moti fuere judices, nullo modo quam à præsentibus intelligi possunt. Idque *Wissenbachius* noster, quem honoris causa nomino, carissimæ præceptor memoriæ, sine dubio expertus fuisset; si Curiæ supremæ Patres annuissent ejus desiderio, quod in epistola dedicatoria ad primam Digestorum partem illis exposuerat, ut imponerent sibi provinciam colligendi digerendique & illustrandi decisiones, quæ post excessum *Sandii* in augusto Curiæ sacrario ineditæ adservantur. Sed has, inquam, repetitas lectiones jam denuo inchoatas haud inficior eò diligentius absolutas esse, quod augurabar aliquando, fore, ut iis ipsemet enarrandis adhuc operam dare possem; cujusmodi occasio celerius multò quam præsumseram nata vel oblata est. Namque, cum motus opportunitate notabili, ab Illustrissimo *Principe Nassovio*, Gubernatore hujus Provinciæ Hereditario, spe gloriaque Patriæ, ne quid amplius de præsente dicam, demisse commeatum petiissem, Ille non modo gratiosissime roganti annuit, sed & operam dedit, ne abitus ex amplissimo loco mihi familiæque meæ vel honoris vel emolumenti causa pœnitendus esset. Verum ut ipse patriæ, cui jam olim tot tantisque beneficiis obstrictus eram, in æternum bona fide manciparer, Illustres & potentes Frisiæ Ordines in quatuor *Diætis* (5) consentientes, otium mihi apud Academiam suam honorificum fecerunt. Otium appello, sed cui maximum ego negotium inesse interpretatus sum; nec enim ejusmodi id otium est, quod sub nomine magnifico per inertiam duci queat: *quippe nomen quod attinet, id Patres Conscripti ab hoc otio, an negotio meo, penitus abesse voluere:* simpliciter ita jusserunt, *ut in hac civitate domicilium meum*

(5) *Oostergoae*, *Westergoae*, *Septemsylvaniae*, & quae, auspiciis Gulielmi I. Arausionensis, a prioribus distincta accessit *Oppidorum* XI. Auctor in *Hist. Civ. part.* III. *lib.* I. *sect.* VII. *cap.* III. *p.* 573. *seq.* & Grotius in *Annal.* ad *ann.* 1584.

meum collocem, *ibique scriptis meis paratis parandisque Jus Civile*, *Jus publicum*, *atque Frisicum illustrare satagam*; *sed & vobis*, *gratissimi Themidos alumni*, *cum rogatu singulorum*, *tum aliquando universis*, *aditum apud me præbeam*, *ita quemadmodum utilitati vestræ*, *gloriæque Academiæ potissimum convenire visum fuerit.* Equidem intelligo, priorem hujus mandatæ provinciæ partem omnium esse gravissimam; siquidem in primis mihi bene constat, quam sit res difficilis ita scribere, ut eruditorum judicia, & imperitorum fastidia ferre possis; utrumvis autem tibi advorsum eveniat, scito jacere tua scripta & habere sua fata libellos: Sed viva voce docendo famam propagare minus arduum multis atque proclivius esse res ac experientia docent. Idcirco mihi sic videtur, optimum factum esse, ut viam utramque non tam seorsim ingrediar, quam pariter atque junctim incedam, idque sine ulla novitatis effectatione, venerandæ antiquitatis imitamento. Ita enim veteres factitare solitos accepimus, ut cum scriptum aliquod in lucem edere cogitarent, prius illud in auditorio publice prælegerent hominumque judicia experirentur, quo censuris eruditorum exactius & limatius prodiret. Hoc exemplo atque scopo communicavi vobiscum. Viri Doctissimi, jurisque Patrii consultissimi, positiones aliquot ejusdem Juris cum Romana disciplinâ comparatas, ut vestro examini judicioque subjectæ aliquando in eum statum venire queant, ut, si publico dentur, reverentiam aliquam posteritatis præ se ferre videantur. Quo autem id liberius & spectatius, simul cum aliquo in circumfusam juventutem fructu fieret, visum est hac gratiâ solennes instituere *Collationes*, præsertim quia Dominis meis ita placuit, quod palam præstiturus essem, id nomine *Collationum* in decreto suo designare. De nomine alioqui non laboro; nam si quis id quod agemus *disputationem* putet appellandum, me quidem non habebit refragantem. Quin si grave non erit patientiæ vestræ, *Auditores*, date mihi hanc veniam, ut præsenti occasione tam de voce, quam de omni genere disputandi conferendique, breviter sed paulo magis scholasticè, quam reliqua fluxit oratio, dicam.

Disputandi verbum esse compositum ex præpositione *δὶς* & verbo *putandi*, evidentius est quam ut monendum fuerit. *Puto* derivatum est à *puro*, sicut Alfenum

Jure consultum scripsisse *Gellius* (6) auctor est, per formam diminuendi, opinor, quasi, tu diceres, *purito*. *Putare* veteres dixerunt, ait *Gellius*, vacantia ex quaque re ac non necessaria, aut etiam obstantia & aliena auferre & excidere, ac quod esse utile ac sine vitio videatur, relinquere; sic namque arbores & vites, sic etiam rationes putari dictum, argentum quoque *putum*, id est, puratum dicitur. Inde translatio facta est, ut *puto* significet id quod declarandæ sententiæ nostræ causâ dicimus, quatenus decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum & integrum & incorruptum retinemus, ut iterum *Gellius*. Nec tantum animi decreta sic exprimuntur, sed etiam actus ipse ratiocinandi cogitandique, ut apud Terentium; *Dum hæc puto, præterii inprudens villam* & alibi, *mitte maledicta, rem ipsam putemus.* Particula *dis* in compositis non tam augere significationem, quam diversitatem aliquam separationemque inferre videtur, ut in discors, dispar, dissentio, disjungo; sic etiam disputo, quando putando falsum à vero divido. Etenim Græcanica est hæc vocula, significans *dualitatem*, adeoque divisionem, quæ tam respectu rerum duntaxat, quam personarum simul, intelligi potest. Priore sensu is quoque *disputare* dicitur, qui continua oratione rem controversam discutit, falsumque a veritate dividit; Altero modo frequentius & efficacius *putandi* actus inter duos appellatur *disputatio.* quod exercitium indagandæ explicandæque rerum cognitioni aptissimum, omnique ab ævo discendi cupidis hominibus usitatum fuit. Modus autem disputandi alius apud veteres erat in usu, alius hodiè in scholis exercetur. Veteres aut continuis orationibus per vices mutuas de rebus controversis agebant, aut dialogis sive colloquiis brevioribus rationes suas commutabant, qui modus inter Socraticos & Academicos olim celebris etiam à Marco Tullio aliisque Latinorum usurpatus est. Mos hodiernus disputandi in hanc formam apud scholas invaluit, ut ex duabus brevissimis positionibus eductæ conclusiones hinc inde collidantur, cujusmodi collectiones *Syllogismos* appellant. Prior & antiqua ratio plus artis & eloquentiæ requirebat, altera & hodierna consuetudo ad altercandum argutandumque melius comparata est, eaque à multis retrò seculis

(6) *Lib.* VI. *cap.* 5.

feculis adhuc in Academiis regnat, nisi quod nuper admodum Galli in fuis, quas vocant, *conferentiis*, & Philofophi atque Theologi recentiores, etfi novitatis invidiâ adfperfi, in meditationibus fuis explicandis ad antiquitatis exemplum hac parte fe componere malunt; rati haud immerito, illis *argutiarum* torturis atque meæandris, nimium involvi intricarique notitias rerum, veritatesque fæpe recondi. Quanquam & ab altera parte fatendum eft, fcholafticam methodum aptiorem validioremque effe conftringendis adverfariis, ne extra oleas vagentur neve circuitu orationis elabantur. Ita *Maccovius* olim nofter fentiebat, cum nactus aliquando Opponentem, qui fusâ oratione thefes ejus impugnaverat, *agimus*, ait, *gratias*, cum alter abfolviffet; *pro diferta oratione tuâ*, neque refpondit; erat enim ingenii homo perquam difputacis & arguti. Nec aliter animati fuere plerique, eorum quos adolefcentes audivimus, apud quos fi quis longiore fpiritu, extra formulam de *Barbara* vel *Baroco* fimilive, ratiocinaretur, audiebat continuo, *age fyllogiftice*, *fac argumentum*. Vidi tamen anno hujus feculi quinquagefimo fexto virum præftantem, Argentorati, *Johannem Henricum Boeclerum* adolefcentes in illo genere vetufto, non fine egregio fucceffu, exercentem. Ipfo præfide, Refpondens & Opponentes Academico more commiffi erant, folutaque oratione de rebus philologicis politicifque per vices loquebantur. Erat illa methodus ad meum guftum præftantior quam fyllogiftica altercatio; fed cum Boeclerus, finita difputatione, non contentus laudare fuos actores, domi fuæ in prandio (nam utebar ejus contubernio) contemptum diverfi inftituti infolentius in *Belgas* derivaret, ut pote mifellos difputatores, (ita ajebat) non temperabam mihi, quin animi honorifque gratia tenderem contra; quippe fpeciem atque pompam in hoc inftituto effe majorem, fed vim deeffe, vigoremque contentionis diffusâ oratione refolvi, nimifque facile Refpondentes argumenta opponentium ambage verborum eludere; denique difputandi & orandi exercitia temporibus & arte ufuque diftincta effe, aliterque ac aliter habenda differebam. Plane pro diverfis hominum ingeniis ftudiifque dicendum eft, hanc illamve methodum alteri effe præferendam. *Georgius Cunradus Crufius*, Anteceffor olim Lugdunenfis Bataviæ, cum in hac Academiâ pro honore

honore Doctorali ex more disputaret, vir nobilis *Taco à Glins* Juris Professor, nostras, ingenti motu, & contentione vocis animique ei opponebat, objectabatque inter alia, quod nihil minus quam disputatorem *Crusius* ageret, eo quod nec in ipso actu, nec in scriptione suarum thesium argumenta syllogistica volutaret. Sane *Crusius* eo fuit ingenio, ut â scholasticâ docendi disputandique methodo vehementer abhorreret, nec quidem ferre posset definitiones atque partitiones, quæ non totidem verbis in veterum libris extarent, nedum ut cerviculam agitandis syllogismis jactitaret. Totus in hoc erat, ut sensa consecutionesque locorum, quæ in Pandectis collocata sunt, expenderet, indagaret, legumque nodos emendandi conjecturis solvere gaudebat, in quo genere & illa tum disputatio potissimum versabatur. Etiam vero tali sensu, *Disputationem* eam hoc nomine recte demonstratam fuisse, *Crusius* adversus *Glinsium* facile tuebatur: sed illud studium scrutandi conferendique loca sententiasque veterum, secretas atque suspensas meditationes requirit, & est paulò alienius à celeritate reciprocandi, velut in harenâ cogitationes sermonesque, sicuti fit in commissionibus disputatoriis. Atque hanc rationem ego fuisse arbitror, quamobrem ingens Ille Virorum *Cujacius*, & recitationibus è memoriæ genu promendis impar fuerit & refugerit disputationes, quemadmodum Successor ejus in cathedra *Emundus Merillius* de illo studii nostri Principe testatum reliquit * Mea sic ratio fuit olim in hac parte, utramque viam præire studiosis: Etenim illud studium accuratè examinandi scripta veterum verasque eruendi sententias, scio quam præstans hominique doctrinam professo conveniens atque decorum sit, & exercitia disputandi inprimis necessaria duco. Quia per hæc fit, ut studiosi adolescentes, quos secundum eorum captum oportet erudire, positionibus juris diutius inhæreant, easque memoriæ animoque validius infigant, atque, si eloquentiam non pariunt, saltem, ne sint elingues, inutili excussâ verecundiâ, præstant, denique publicarum actionum progymnasmata sunt, atque, sicut nunc se res habent, vitam vigoremque Academiis addunt. Quo pacto vobiscum, *Ornatissimi Juvenes*, hoc genus exercitationum habituri simus, deinceps intelligetis;

* *Dissert. in lib. 3. ex Cujac. cap. 7. in pr.*

getis; sed de *Collationibus*, quarum hoc tempore primam auspicabimur, parum abest, quin egomet ipse majorem mihi fructum utilitatemque pollicear, quam vobis, *Auditores*, de me quidem condicere possim. Incepi nuper in literas redigere doctrinam *Juris Frisici*, quatenus, ab Arte Romanâ discrepat, (7) ac ita sentio, materiam pulchri operis esse, verum ita comparatam, ut & eruditionem & experientiam & judicium inprimis limatum requirat. Animus erat, cum priores paginas quibusdam dominis & amicis ostenderem, eas ita continuare, donec omnes absolutas publici juris facerem; at in progressu scriptionis relegendisque vestigiis meis ita in animum induxi, viam esse inveniendam, quâ facultatem secundarum curarum mihi reservarem, judiciaque doctorum expertorumque virorum exquirerem, antequam hosce commentarios plane peremptorieque publicarem. Pleraque etiam concisius posita animadverti, maxime quæ ab usu vulgato alieni & inexpectati quid habent, quam ut adsensum à lectoribus, nisi latius deducta, impetrare possent. Atque ea, *Humanissimi Auditores*, quæ à me quæritur, est hæc ipsa via, quam nunc ingredimur: Paginæ, quas in hisce *Collationibus* exhibitum imus, erunt pericula, fas sit ita loqui, quæ vestris admonitionibus objectionibusque in eum statum ventura spero, ut denuo typis excusa publicæ luci paria ferendæ esse queant. Quod ut feliciter adsequamur, agite, *Viri Doctissimi*, communicate nobiscum ea, quæ ad priman hujus libelli partem vobis in mentem venerunt, & â me expectate, ut non modo libenter candideque recipiam quæ proponetis, sed etiam ut sine difficultate cedam melioribus, eaque mearum positionum loco ita edoctus promptè gratanterque substituam; nec enim de laude sophisticâ privilegioque altercandi, sed de veritate jurisque publici genuinâ interpretatione satagemus. Proinde non tantum objectiones contra meas opiniones à vobis expetimus, sed etiam, si qua vobis usu vel auditu comperta sint, quæ meis positionibus illustrandis augendisve faciant, egregiè de me & auditorio, deque bono publico merebimini, si & talia subducere candideque proferre volueri-

(7) Typis excusae tantum *Collationes duae*, in *libros* II. distinctae. Substitit, labor τοῦ Μακαρίτου in § *19. cap.* 16. *libri.* II.

lueritis. Expectamus rogamusque, ut officii vestri honorem huic amplissimæ coronæ impertiamini.

Hac oratione habitâ, vir doctissimus Bernhardus Ten Tooren *Advocatus apud forum Suprema Frisiorum Curiæ Eximius, surrexit, & reverenter veniâ* Celsissimi Principis *aliarumque præsentium* Dominationum *impetrata, quæque præterea dictabat ei modestia præfatus, monstravit nobis* caput octavum (8) nostrarum positionum *ibique* versum XLVII. *ubi scriptum est*; societatem conjugalem, *quæ jure Frisico tantum pertinet ad lucra damnaque, durante matrimonio contracta*, cessare in intercessionibus à marito factis; *dicebat, etsi praxis nostratium in eam partem, quæ à nobis erat posita, jam pridem inclinaverit, sibi tamen contra juris rationem id ita esse receptum videri: Nam Statutum generaliter ait, Lucra & damna pariter ab uxore viroque ferenda solvendaque esse*, lib. I. Statut. tit. 3. art. I. *nec apparere causam, quamobrem Fidejussio & omne genus intercessionis, quod late patet, ab regula sint excipiendæ. Nam quæ ratio profertur à Sandio* lib. 2. decis. tit. 5. def. 8. *quia fidejubere quodammodo sit donare & perdere, eam ita comparatam esse, ut hanc sententiam tantum non evertat, quia juris apud nos esse creditur, ut mulier ad æs alienum à marito luxuriose prodigèque contractum puta ludendo, potando, scortando, pro parte solvendum teneatur, idque vi generalium Statuti verborum. Proinde, si fidejubere maxime sit perdere, inde nihil aliud consequi posse, quam mulierem ex fidejussione quoque teneri, sicut ex omni contractu, quem vir animo licet perdendi inierit; imo, si prodigalitatis causa non liberat uxorem ab ære alieno, multò minus fidejussioni id esse imputandum, quia prodigalitas semper est perditio & improbum damnum; fidejussio sæpe rationem habet probabilem & ad administrationis causam pertinere potest. Cum absolvisset in hanc sententiam* Vir Consultissimus, *primo nos* Auditoribus *controversiæ statum rationemque difficultatis contra nos motam clare breviterque declaravimus, diximus etiam non improbari nobis, quod hoc quæsitum, licet apud nos certæ praxeos, ad disputandum elegisset; quia sicut anima Legis est ratio, sic etiam praxis vel consuetudo nulla vim obligandi habere debeat, quæ juri aut rationi sit contraria, quod ut alibi gentium, ita & Herbajus & Sandius, aliique cordatiores Jurisconsulti nostratium, ubivis libere præ se ferunt,*

(8) *Lib.* I. scil. I. tredecim capita complexi.

runt, eo cum fructu, ut multa praxi inolitæ per eorum observationes reformata sint, utique duntaxat, ut post mortem eorum id effectum habere potuerit habueritque multis modis. Dein respondendi viam hanc instituimus, ut concederemus, rationem, quæ Sandio placuit ad probandum, quod praxi nostrâ de intercessionibus mariti receptum est, non esse omni exceptione majorem, nec à nobis adoptatam; sed aliâ nos usos esse eodem capite versu XXIV, *ubi generaliter collocavimus, excipi à societate conjugali mere personalia, quæ personam ejus ad quem proprie spectant, egredi non possunt, cujusmodi non modo esse delicta vere vel quasi talia, sed etiam intercessiones mariti, quæ in mulierem cadere non possunt, propter Senatus Consultum Vellejanum, quod vetuit mulieres intercessionibus obligari; ideoque non esse committendum, ut cui Lex mulieres directe voluit exemptas, huic nos eam per maritum obnoxiam reddamus. Instantia Dni. Opponentis ad hanc responsionem, si rectè recordor, duplex fuit; prima, non posse rationem à Statutis alienam produci ad limitationem ejusdem Statuti: Hoc loqui indistincte de omnibus lucris atque damnis, neque fingi posse mentem statuentis esse, ut ea constitutio restrictionem accipiat ex ea Lege Romanâ, cujus ibi nulla mentio. Altera fuit; sufficere, quod fidejussio esset contractus, nec referre jam, utrum ille contractus mulieri conveniat, an secus; exemplo Tutelæ, quam satis constat, Feminis non convenire, quæ tamen ratio non impediat, quominus ex ejus administratione à viro perpetratâ mulier pro parte teneatur, ut idem Sandius ex sententiâ Curiæ docet, in* eadem definitione vers. dubitatum quandoque. *Ad priorem instantiam respondimus, jus Civile non minus receptum esse apud Frisios quam Statuta, quæ legibus non derogant, nisi quid lege moribusve Frisiorum specialiter adversus dictata juris Latini sit introductum, adeoque Frisiis unam esse juris disciplinam libris Justiniani atque Statutis comprehensam; Itaque non modo juxta omnia Statutorum capita, sed articulis etiam singulis jungenda esse Juris Romani præcepta, quæ sano sensu cum iis jungi conciliarique possunt. Proinde nihil esse causæ, cur Statutum de lucris damnisque matrimonii communicandis in præjudicium Senatus consulti Vellejani trahatur, idque in aliis ubique rebus omni die sic usurpatur. Alterum replicationis argumentum plus habet coloris & ponderis; namque tutelam fateor æquè esse inaccessam mulieribus, si matrem aviamque excipias, ac intercessio est, imo fortius ab ea prohiberi sexum; quia*

sic juris est, ut si mulier renuntiet Senatus-Consulto Vellejano, cum effectu intercedere possit, tutelam verò ne quidem si maxime velit, adire queat. Quare igitur, si mulier de Tutela viri tenetur, non minus de intercessionibus ejus obligata videri debet. Elidendæ huic instantiæ primo adduximus rationem differentiæ, quæ placuit Sandio in d. versu, dubitatum quandoque, *Et* cum obligatio *Tutelæ*, *inquit*, ex quasi contractu proficiscatur, nihil obstare Senatui visum est, cur eâ etiam mulier non adstringeretur. *Herbajus etiam in* cap. 13. rer. quotid. §. 14. *ita scripsit*: licet ex contractu non obligentur mulieres nostræ, secus tamen dicendum, quoad ea, quæ quasi ex contractu oriuntur. *ut tamen excipiat hereditatis aditionem & repudiationem. Jam verò intercessionem esse è numero verorum contractuum, Tutelæ administrationem è quasi contractibus, in confesso & manifesto est: ideoque secundum hanc Sandii Herbajique rationem perspicuum est, quare mulier de Tutela viri obligetur, de intercessione non teneatur. At hæc ratio talis est, ut ratio rationis jure quæri possit, de quâ nec Sandius, nec Herbajus laborandum putarunt. Quasi contractus dicuntur tales, quia rediguntur ad similitudinem contractuum, etsi contractus propriè non sint: atqui de veris virorum contractibus mulieres nuptæ tenentur, ergo & de quasi contractibus; nisi ratio diversitatis adferatur, quod, inquam, Illis curæ non fuit. Hanc ego non puto aliam esse, quam quæ indicatur in* l. 46. ff. de Obligat. & Action. *junctâ* l. 25. eod. tit. *ubi de obligationibus, quæ ex re & ex facto oriuntur. Ex re dicitur obligatio nasci, quando evidens æquitas adeòque* res *ipsa dictat, aliquem debere teneri: ex facto, cum quis ideo tenetur, quia fecit aliquid, obligationis meritum continens; videlicet, ejusmodi factum intelligitur, quod à contractibus diversum atque distinctum sit, ut in* d. l. 25. *docetur. Causa obligationis illa duplex in quasi contractibus concurrit, etsi diverso respectu. Nam* Re *nascitur obligatio ex illis hoc modo; Qui negotia alterius gessit sumptusque ad eam rem fecit, qui Tutelam pupilli administravit, in eoque munere pecunias erogavit; qui Rem cum alio communem habens expensas in communem utilitatem fecit; hi omnes habent obligatos eos, pro quibus expenderunt, licet ignorantes, idque non è contractu neque ex aliquo facto, sed ipsâ negotii naturâ, & æquitate semet ipsam monstrante; perinde qui pecuniam sibi non debitam ab alio per errorem numeratam accepit, ipsa* res *loquitur, eum teneri*

ad

ad restituendum, quod sine ulla causâ accepit: sed hereditatis aditio est etiam quasi contractus, quoniam heres adiens hereditatem nihil quidem contrahit cum creditoribus hereditariis, (9) *verumtamen ejusmodi factum obit, ex quo sequitur, eum teneri creditoribus ad solvendum; non tamen ex* re, *sed è facto suo. Rursus, qui negotia gesserunt, tutelam administrarunt sumptusque pro aliis fecere, tenentur quidem etiam è quasi contractu, at non ex* re, *sed ex* facto, *inquam suo obligantur. Hinc jam patet, cur & quatenus personæ contrahendi incapaces è quasi contractibus obligentur; scilicet, ubi ex* Re, *non ex facto (extra delictum, quod alio pertinet) jus oritur;* Furiosus & pupillus, ubi ex Re actio venit, obligantur, etiam sine Tutore & Curatore, *ait Paulus in* citatâ l. 46. ff. de O. & A. *perinde & mulier, sine viri consensu poterit obligari, quoties è* Re *venit obligatio, quia tum æquitate prægnantissimâ Reique ipsius pondere character obligationis ei imprimitur. Jam hæc ratio non convenit Tutelæ administrationi à marito habitæ; quia tametsi pupillus* Re *obligetur Tutori suo ad indemnitatem ei præstandam, Tutor obligatione contraria obstrictus est, non* Re, *sed è facto suo; quod factum cum mulieri nequaquam conveniat, manet adhuc ille scrupulus, cur non æque mulier ejus oneri eximatur ac intercessioni. Nos igitur in his ipsis Positionibus* n. 52. *aliam rationem his verbis adtulimus;* Videndum ne non hæc potius sit ratio; cum vir ex curâ reliquator existit, pecuniæ pupillares in rem communem versæ præsumuntur, quod secus in intercessione; *quo casu per ea quæ modo adducta sunt, intelligi potest, etiam tunc obligationem mulieris ex* Re *nasci, supposito præsumptionis illius argumento. Nam quando vir pecunias pupillares intervertit, rationesque distraxit, vel, inquam, convertit pecuniam in utilitatem suam uxorisque, vel prodegit eam dissipavitve perverse; Priore casu mulier* Re *devincta est, quatenus locupletior ex alieno; posteriore, tamen adhuc obstricta est, quia tenetur de ære alieno etiam male prodigeve à viro contracto, ut* superius *dictum. Non defuit* Domino Advocato *ad hanc quoque rationem sua rursus exceptio; Videlicet, non semper accidit, ut Tutor pecunias pupili interverterit, vel dissipaverit; sæpe etiam ex merâ negligentiâ convenitur eamque lue-*

(9) Immo vero *legatariis* tantum, & *fideicommissariis*, Nov. 48. in præf. Edita ipse Auctor, *Prael. ad Instit. de Obl. qu. ex contr.* § 7.

re debet, in quem casum rationes à nobis allegatæ nullo modo conveniant; ideoque cessante ratione, jus etiam cessare diversumque esse oporteat. Responsio fuit, Leges & in constituendo & in ratiocinando considerare, quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον ut plurimum *contingit, nec ideo, quod rationes in certis casibus cessent, jus etiam cessare dicendum, quia tum jura, præ incertitudine, cuncta resolverentur, ut pluribus exemplis è medio usu desumptis confirmavimus, queis repetendis jam supersedemus; Atqui plerumque sane, quando ex eventu rationum redditarum apparet, Tutorem esse pupilli debitorem, ita se res habet, ut pecuniæ pupillares intra manus ejus hæserint, cui proinde rationem juris constituti atque recepti convenire sufficit. Tentari quoque potest, etiamsi Tutela, quod est publicum munus, in mulierem non cadat, eique per maritum implicari non possit, facta tamen in administratione commissa & omissa ejusmodi esse videri, ut ad generalitatem lucri atque damni ex quovis negotio factove referri debeant. Postremo duas res velim adhuc observari in determinatione hujus quæsiti, primo, Sandium in* loco prædicto *non simpliciter hanc rationem reddere, quamobrem mulier ex intercessione mariti non teneatur,* quod fidejubere sit perdere; *verum quod sit donare & perdere, quin perdere consequens* donandi *habere videtur; jam donare non potest vir in fraudem uxoris, ut hæc pro parte teneatur, sicut* Sandius *colligit; addit enim,* unde mandatum cum liberâ, ut non potest donare, ita nec fidejubere; *argumentatur à procuratore cum liberâ ad Virum: Ille non potest donare, inquit, ergo nec fidejubere: perinde vir, ut donare probibetur, ita uxoris quoque damno fidejubere nequit. Verum* Sandius *parum abest, quin impingat heic in illud vulgatum,* non valet exemplum, quod litem lite resolvit. *Nam si controversum est, utrum fidejussio Viri noceat ejus uxori, sicut est, nihilo secus disputatur, an donationes ejusdem non onerent uxorem, Id enim absolutè post alios adfirmat Rodenburgius, extra quam, si donaverit hoc animo, ut uxorem studio datâque operâ exhauriret;* de marit potest. tit. 2. cap. 1. n. 8. 9. & 10. *Quin si mulier donationum viro factarum particeps fiat, ut* Sandius *statuit, & Curia definivit* lib. 2. tit. 5. def. 3. *quid ni onus maritalium donationum æque ferat ac lucrum, juxta* l. 10. d. Reg. Jur? *Forte non abs re fuerit, si distinguas inter donationes modicas & grandes, ut illæ tam ad damnum quam ad lucrum uxoris pertineant, non largitiones vel acquisitiones hujus generis magnæ. In his valeat ratio Sandii, quod donandi facultas Curatoriâ potestate mariti non contineatur; modicæ vero non sint alienæ à naturâ societatis universalis, quæ inter conjuges obtinet, nec repudiant præsumptionem, quod in rem honoremque communem fiant; quemadmodum mulier habens à Statuto jus contrahendi in rebus œconomicis, similiter jus modicas erogandi donationes in eodem genere exercet, onere communi, majores facere non potest. Nec dubito, quin ita liceat coartare sententiam Sandii, de donationibus alteri conjugum factis, quas cum altero vult communicari,*

ri, ut si magnæ sint, valeant rationes Herbaji, negantis donata cedere communioni, cap. 16. rer. quotid, *si modicæ, fiant communes, ita quemadmodum à Curia finitum esse diximus. Postremum, quod circa merita hujus controversiæ notandum esse monuimus, hoc est; Quod* Groenewegius ad tit. C. ne ux. pro Mar. & Rodenburg. d. tit. 2. cap. 1. *negant, audiendum esse* Sandium, *quando mulierem ex fidejussione Viri negat teneri, id eos hac ratione potissimum ita contendere, quod Statuta Gentium, de quibus illi agunt, inter virum & uxorem non stabiliant communionem lucri atque damni, sed omnium bonorum, ita ut vir etiam possit alienare bona uxoris, quod apud nos haud quaquam permittitur: adeoque potestas maritalis in uxorem apud istos populos amplior sit quam in Frisia, nisi pactis dotalibus apud illos restringatur, ut fere fit ibi à prudentioribus in modum nostratem. Atque hæc fuere, quæ cum* Advocato Ten Toren *ultro citroque agitata sunt. Ille gratiis* Principi, *Proceribus, & Senatui actis consedit; atque*

Successit ei Theotardus vander Sluis, *similiter apud Curiam Supremam Patronus causarum, egregiis studiis & pari famâ. Compellatione prius decore peractâ, & eleganti præfatione de utilitate forensis disciplinæ cum Academicâ eruditione conjunctæ, se paucis nobiscum actarum de positione* XI. *quæ est in* cap. VIII. *concepta bis verbis; Communicantur inter conjuges &c.* etiam reditus, quando perpetui; nam qui ad vitam habentur, finito matrimonio, restituuntur ei, cujus fuerunt, idemque est in usufructu, quem alter conjugum intulit in matrimonium. Sarmient lib. 3. Select. Interpr. cap. 10. n. 5. & sequ. *Hanc sententiam* Vir Doctissimus *& usui recepto & auctoritati legum adversam esse putabat, quin omne genus redituum sive usus fructus sive usuræ prægrandes, quæ sortem juxta vitæ cursum absumunt, communiter à conjugibus in Frisiâ percipiantur, sine ullâ restitutione, de qua vix cogitare solent nostrates, quibus usus venit hujúsmodi reditus inferre in matrimonium. De Jure vero putabat rem esse definitam à Paulo & Celso Jure consultis, in* l. dotis 7. § 2. ff. de jure dotium, *ubi hoc modo scriptum est;* Si ususfructus in dotem datus sit, videamus, utrum fructus reddendi sint, nec ne, & Celsus libro decimo Digestorum âit, interesse, quid acti sit: & nisi appareat, aliud actum, putare se, jus ipsum in dote esse, non etiam fructus, qui percipiuntur. *In quibus verbis hanc quæstionem in terminis, ut ajunt, tractari atque decidi statuebat. Dein & fundamentum, quo positionem nostram unice niti præsumebat, hac ratione* Vir Consultissimus *occupatum removebat; Non potest vos aliud in contrarium movere, quam quod, conjuge aliquid inferente in societatem, sors & reditus distingui debeant, quod fieri non possit, si reditus vitales sint, quoniam hi lapsu temporis evanescunt, nisi reditus ipsi quotannis percepti in*

sortem

sortem ei conserventur. At vero Jus ipsum, ajebat ille, *percipiendi fructus, heic, loco sortis habendum; quod soluto matrimonio, si vivet, ei salvum manet; etiam inde ab initio, vel postea vendere potest, ut ita vere proprieque sortis induat naturam. Nos operam dedimus, ut primo Auditoribus rationem sententiæ à nobis collocatæ exponeremus. Ejus fundamentum est in* lib. 1. Statut. tit. 3. art. 1. *quo cautum* ut quæstus & dispendia, durante conjugio, communicentur, ipsa vero sors cuique salva & propria maneat. *Proinde, si ab altero conjugum res inferantur, quarum usus consistit in abusu, vel quæ paulatim deteruntur aut mori possunt, ratio talis initur; ut, finito matrimonio, tantundem, vel æstimatio, restituatur ei, qui res ejusmodi habuit, quarum proinde ab initio fit descriptio, vel initur æstimatio: Si autem res sit ejusmodi, quæ annuis reditibus absumatur, hi reditus accumulantur in sortem, ejus commodo, cujus illa res aut illud jus fuit proprium. sic omni die servatur in oleo, vino, frumento, butyro. quin etiam in supellectile animalibusque: nec dubitatur, quin æstimatio talium rerum, finito conjugio, de communi præcipiatur ab eo, cujus fuerunt; societas interim gavisa est usu libero earundem rerum, sive usuris pecuniæ, quâ definita fuit æstimatio. Quod si res, inquam, ejus naturæ sint, uti quotannis dominum reditibus augeant, sed talibus, ut res ipsæ paulatim depereant inutilesque fiant, tunc aliter sors conjugi inferenti salva præstari non potest, quam si reditus sive fructus ille coacerventur, sive corporaliter, sive computando in patrimonium ejus, qui habet rem, unde reditus isti resultant. Ita fit in lapidicinis è quibus marmor excisum non renascitur, ipsi lapides fiunt mariti quod attinet ad dominium, sed non lucratur eos, verum restituere debet, ut docetur in* l. 7. §. 13. ff. solut. matrim. Marmor, *ait*, quod cæsum neque exportatum, est mariti; & impensa non est ei præstanda, quia nec in fructu est marmor, nisi tale sit, ut lapis ibi renascatur, quales sunt in Galliâ, sunt & in Asiâ. *Hæc ita, quia leges summopere curæ habent, ne mulieres fiant indotatæ, quod summæ Reipublicæ noxium est, quia tum præciditur copia facultasque matrimoniorum, quibus rarescentibus, civitates tabescunt, ut hodieque satis communi malo probat experientia; tu vide, sis*, l. 1. ff. solut matrim. (10) *Juris ratio quam repeto, est, ut, quando res, quæ ab altero, conjugum inferuntur in matrimonium, ejus sunt naturæ, ut sors usu redituve minuatur & evanescat, tum eæ res vel æstimentur ab initio, ut pretium pro sorte habeatur, vel reditus, ita ut proveniunt, accumulentur pro eo, cui decurrunt, eorumque usuræ societati cedant; consequenter, finito matrimonio, corpus illud redituum perceptorum restituatur ei, cujus fuerunt. Eo pertinet etiam, quod in positione* XIII. *prædicti capitis collocavimus*; sed in

(10) Et *l.* 2. D. *de jur. dot.* qua de re nonnulla monui *lib.* II. *Lectt. Jur. Civ. cap.* 23. *p.* 261. *sqq.*

in metallifodinis, & apud nos in fodinis cæspitum ustilium, & argillarum, idem juris erit, quod in usufructu. *videlicet, ejusmodi cæspites & argillæ è terris effossæ non renascuntur; ideoque sors effodiendo perit, aut ad pretium vilissimum, agri ita exinaniti rediguntur; qualis fuit ager ille figuli, quem Judæi sacerdotes emerunt* XXX *nummis sive siclis argenteis à* Juda *pœnitente restitutis, id est, quadraginta fere Carolinis, ut nunc putamus. Jam, quæ est ratio in his rebus & nominatim in hujusmodi agris, ea perinde militat in reditibus vitâ terminatis. Nam & hisce jus ipsum percipiendi reditus lapsu temporis imminuitur & evanescit, nec adeo sors inde salva manere potest, si actu non vendantur, aliter, quam si reditus coacerventur, sicuti fit cum pretiis cespitum effossorum; usuris pecuniarum, quæ inde rediguntur, communioni videlicet relictis. Quod attinet ad textum* l. 7. §. 2. ff. de jur. dot. *respondimus, eum agere de jure mariti, quod habet in rebus sibi in dotem datis, quarum ille sit dominus, vel jus plenum consequitur, secundum notissimam doctrinam*, l. 7. pr. §. 3. d. jur. dot. l. 13, §. 2. ff. de fund. dot. *proinde non potest, quin jus ipsum ad virum pertineat; cum è contrario ex hypothesi nostræ consvetudinis sive Statuti, singulis conjugibus suum dominium, seu plena facultas, si res incorporea sit, salva maneat. Hinc, si maritus in dotem acceperit servos, jumenta, greges, nusquam legimus, eas res æstimari, ut si mortuæ sint, uxori pretium restituatur, nisi id actum sit; quod tamen secundum praxin nostram, quando ejusmodi res in societatem conjugalem inferuntur, fit indistinctè. Non usi sumus inter disputandum alio respondendi medio, quam quod* Sarmiento *loco* suprà *adducto placuit, Paulum in* objectâ d. l. 7. §. 2. *agere de usufructu specialiter in dotem dato, nostram verò positionem de nulla speciali illatione loqui, sed de casu, quo juxta alia bona reditus vitales sunt illati, vel conjuges, ita ut erant instructi, in societatem venerunt, nulla bonorum, quæ inferant, habitâ mentione, quemadmodum fit. Arbitror alioqui responsum illud nec à textu nec abs re alienum esse, nam textus ait;* si usufructus in dotem datus sit; *exprimitur usufructus; nec potest igitur; quin ille specialiter in dotem datus sit. Tu dices; postea subjicitur;* nisi appareat aliud actum, jus ipsum in dote esse, non fructus, qui percipiuntur; *Ergo, quando usufructus simpliciter datus est, ipsum jus transfertur; si mulier hoc sibi custodire velit, oportet id exprimatur. Nempe, supponendum hoc, quod è primis* d. §. *verbis liquet, usumfructum hunc specialiter in dotem esse datum. Hujus dationis specialis ea vis est, ut ipsum jus datum intelligatur, non soli fructus, nisi aliter inter partes convenerit.* (11) *Si quis jam ita existimet, usumfructum, qui nominatim in communionem conjugalem illatus est, ita communem fieri, ut de reditibus nihil, finito matrimonio, sit restituendum, salvâ quidem positione nostra, id eo modo concedi potest, necesse tamen non est; quia maritus accipiens aliquid* in

(11) Vid. *l.* 4. *D. de pact. dotal.*

in dotem, *manifesto plus juris in eam rem consequitur*, *quam qui accipit ita*, *ut solos reditus vi societatis percipiat*, *jure rerum ipso*, *dominioque*, *mulieri salvo & illibato*, *ita quemadmodum cujusque rei natura ferre queat. Ad postremum*, *quod de moribus* Frisiæ *fuerat objectum*, *diximus*, *haud inficiari nos*, *hanc thesin inexpectatam alienioremque ab usu communi visum iri omnibus*, *qui rem*, *ut primo intuitu illis videtur*, *æstimant*, *minime tamen inter abrogata referri posse*, *quin nihil de eo cautum vel scriptum sit*, *non unquam*, *quod nobis constet*, *ab Amplissimo Ordine secus sit judicatum. Neque vero admittendum esse putamus*, *ut error popularis jus faciat*, *ac inde novæ praxeos autoritas stabiliatur.* Præstantissimus Advocatus *in his tamen non putavit acquiescendum*, *sed & argumentum* Legis VII. §. 2. ff. de Jur. dot. *& constantem in hac provinciâ usum pluribus ursit. tum etiam ad judicatum Illustris Curiæ Hollandicæ*, *teste* Corenio decis. 7. *provocavit. De interpretatione* Legis VII. *dictum erat abunde*, *neque addidimus dictis*; *sed quia post collationem habitam intelleximus*, *aliis quoque non modo* Nobilissimis *sed etiam* sapientissimis *hominibus ita visum esse*, *moribus* Frisicis *sententiam à nobis positam sine dubio improbari*, *faciendum est*, *ut hæc res paulo pressius ob oculos ponatur*; *non quod postulemus*, *nobis fidem potius habendam esse de praxi Frisicâ*, *quam communi prudentium virorum judicio*; *sed quia pretium operæ putamus*, *ut bene expendatur*, *sitne species ex earum numero*, *quæ desvetudine potius ac opinione populari*, *quam stabili usu & ordinatâ praxi inolitæ receptæque sint*, *de quo genere loquitur* Sandius *in* lib. 3. tit. 6. def. 8. *ubi*, Aliter, *inquit*, hactenus observatum in colono *&c.* absque ulla contradictione ipsorum dominorum, qui ita juris esse non dubitarunt; At hic mos magis ex legum ignorantiâ, quam certa juris ratione est introductus, *& deinde*: His consideratis, Senatus, repudiato & exploso priore stylo errorem introducto &c. *Nec facile dictu est*, *quam hæc res late pateat*, *ut si communibus istis populi opinionibus indulgendum sit*, *celebris illa* Frisiorum *accuratio in Jure civili custodiendo brevi in irritum incertumque cessura sit. Consuetudines fatemur habere vim Juris abrogandi*; *verum ad illas non modo requiritur desuetudo & diversa popularis observatio*, *sed actus contrarii & positivi*, *maxime judiciales*, *iique frequentes atque signati concurrere debent*, l. 34. ff. de legibus. l. 2. C. Quæ sit longa consuet. *Ego nullus dubito*, *quin illud præjudicium adversus hanc sententiam non sit ex aliquo Juris Frisici principio*, *seu legali*, *sive consuetudinario*, *sed ex intellectu contrario circa meritum Juris*, *quod plerique de hoc problemate conceperunt. Et enim ita existimant*, *incivile ineptumque esse*, *ut qui duxit uxorem in annuis reditibus habentem mille florenos*, *ipse vel heredes ejus partem mediam horum mille florenorum annuatim perceptorum* (*ex massâ communi bonorum*) *uxori heredibusve ipsius restituere cogantur*, *& contenti esse*

esse debeant, quod illis millibus, durante conjugio, absque usuris usi sint; non modo ἀπροσδόκητον, *sed etiam* παράδοξον *multis habetur; Proque evidenti absurditatis hujus exemplo proferunt patrem, qui usumfructum in bonis maternis liberorum habens ad secunda vota transit, eumque usumfructum in novam matrimonii societatem infert; tunc dicere audebis, cum à nova uxore ejusve heredibus, finito conjugio, partem illorum redituum posse recuperare? nihil insolentius, inauditius; & in medio sunt exempla procerum, civium, qui id genus occasionibus usi nihil tale somniarunt. Ego vero, liceat, inquam, suspendere judicium de hoc exemplo, donec & ego exemplorum quorundam species protulero; longo enim disputandi usu didici, fallaciam hanc esse non è minimis, pro sustinendâ thesi suâ exquisitum aliquod exemplum captare; rursus scio, illud opposito exemplo saepe retundi.* Ecce! Realis injuriae *actio non annalis sed perpetua est; certa jure, praxi, sententia: quid? clamabat* Wissenbachius *noster, de colapho impacto post triginta annos agere fas erit? intolerabile hoc quidem. ego vero, de oculo, inquam, excusso post annum agere nefas erit? iniquissimum hoc quidem, ubi tot impedimentis vita hominum forique actiones obseptae sunt. Videndum, ne non hujusmodi aliquid & in hac quaestione evenire possit. Est puella, cui ab avunculo legati sunt mille annui, dum vivet. Scimus ita juris & praxeos esse, uti, quae legatu capiuntur ab altero conjugum, ea non sint communia, sed finito matrimonio restituantur: tu vis annuos reditus vitales diversae esse naturae: non audebis tamen negare, quin isti mille annui quotannis puellae testamento relicti, loco sortis ei esse debeant; namque annuum legatum est multiplex; tot legata sunt, quot anni,* l. 4. ff. de ann. legat. *proinde femina triginta annos vivens, accipit triginta legata millenorum florenorum; quae, aut me omnia fallunt, aut patrimonium ejus constituere debent, nihilo secus quam si à triginta testatoribus singula millia diversis temporibus ei legata fuissent. sive autem mille, sive centum annui sint, nihil credo, referet; & sive isti annui veniant è fundo, vel simpliciter ab aliquo praestandi sint, nihil aequè referre potest. Rursus, è contractu inter vivos inito debeantur annui mille puellae; quis rationem mihi differentiae inter legatum & stipulationem hac parte dabit?* (12) *scio, stipulationem annuam esse & non multiplicem, sed unam,* l. 16. §. 1. ff. d. verb. obl. *sed hoc eo pertinet, quod in stipulatione non spectatur singulis annis, utrum creditor jus petendi habeat nec ne, quod in legato attenditur; sed in utraque specie jus crediti scissum in tot partes intelligitur, quot sunt pensiones, pariterque sortem constituunt. Jam causae diversitas, unde creditum illud annuis pensionibus sive ad longum tempus, sive ad vitam praestandum oriatur, diversum hac parte jus inferre non potest. Pone, domum mulieris esse venditam, hac lege, ut quoad femina vivet, ei centum annui solvantur; idem pone de fundo;*

(12) Vid. §. 3. *Inst. de V. O.* cujus ratio non alia, quam, quod pacta negotiis *strictis* adjici cum effectu alio, quam *exceptionis* non possunt; *l.* 40. *D. de Reb. Cred.* neque adeo quidpiam mutandum in *l.* 34. §. *ult. C. de Donat.*

fundo; nonne fateris mulieri hasce pensiones in patrimonium esse imputandas; perinde ac si domus pensionibus plurium annorum decem, viginti solvenda venderetur? Loco domus pone: Feminam Titio tradere decem millia, hac lege, ut millena quotannis sibi, dum vivet, solvantur, num quis in hac specie diversi quicquam à domo, à fundo, hac lege traditis monstrare potest? *Et numquid hoc aliud est quam quod nos quærimus de annuo reditu in matrimonium illato? nam utrum ipsa, an pater vel auctor ejus sortem dederit, ex qua reditus annui veniunt, non dices interesse quicquam, Idem de usufructu, quem alter conjugum intulit, judicandum. Novi hominem primarium, qui à priore conjuge habebat usumfructum omnium bonorum. Heredes primæ uxoris cum eo pacti sunt, ut bona sibi possidenda curandaque relinqueret, ipse vero quotannis de manibus ipsorum acciperet millenos* Carolinos; *quos etiam magno suo damno solvere coacti sunt, postquam fructus prædiorum annui lapsu temporis enormiter diminuti fuerant. Aut mihi præconcepta opinio nimium blanditur, aut nemo sani judicii potest autumare, aliud juris esse debere in hiscè millenis, quam quod in prioribus exemplis esse diximus; nihilque absurdè statuerit, qui putet illos mille florenos annuatim perceptos pro forte haberi debuisse, si hac de re quæstio mota fuisset. Pergamus: Fæmina nubens & secum ferens ejusmodi jus annuum non modo habet spem illos reditus percipiendi, sed etiam jus habet, quod est in bonis, & facit partem patrimonii ipsius aut aliquando totum, quod præsenti pecuniâ vendi potest; si vendat; nemo negabit, pretium ipsius & esse & manere proprium: atque, non potest vendere sine consensu mariti; quem si hic neget & reditus percepti transeant neque pro feminâ serventur, jam hæc suo patrimonio evolvetur à marito; nam qui negant, maritum teneri ad reditus uxori custodiendos, iidem negabunt, eum teneri ad æstimationem ejus juris permittendam, quæ finito conjugio, restituatur, nisi videlicet, pactis dotalibus aliter convenerit. Vel si etiam sine pacto concesserint, virum teneri ad æstimationem admittendam, non poterunt negare, eum teneri & ad restituendam. Quod si æstimatio olim facta restituenda est, nullo prætextu, cum illa non facta est, reditus negari possunt. Æstimatio, inquam, nihilo magis recusari potest in jure redituum, quod tempore perit, quam in aliis rebus ejusdem naturæ suprâ demonstratis, nisi dicere velis, bona incorporalia minus esse bona & proficua hominibus quam sunt ani-*

animalia, suppellectilia, quæque numero, pondere, mensurâ constant. Neque plane video, quid homines moveat, ut aliter de jure redituum opinentur, quam quia in mentem illis non venit, in Reditibus sortem reditusque à se invicem distinguere; *quod tamen nihilo plus difficultatis habet, quam in terris fossilibus, quarum nulli sunt reditus, nisi in iis quæ identidem effodiuntur & cum reditibus ipsæ terræ evanescunt: Eorum tamen redituum dantur sine dubio reditus; nec aliud discrimen observes,* quam quod terra magis in oculos incurrat & palpabilior sit, quam Jus incorporale, licet haud minus fertile fructuosumque civiliter consideratum, quam cæspites argillæve dici queant. Atque hæc, nisi egregie fallor, species hominibus nostris imposuit, ut cum jura redituum vitalium in matrimonium inferrent, raro soliti sint pertendere, saltem fructus eorum redituum conjugibus esse communes: quanquam & ego scio, prudentiores eam rem non fefellisse, *tametsi an in contradictorio apud nos definita sit quæstio, non possum adfirmare; sed* Ultrajectina Curia *sæpe ita judicavit*, quando reditus vitaliter in dotem dati sunt, dimidium eorum, qui stante matrimonio decursi essent, defuncti conjugis heredibus refundendum esse, *teste ejusdem Curiæ Senatore* Rodenburgio, tract. de jur. conj. fermet int. gratif. potest. tit. 2. c. 4. *Id est hoc ipsum, quod nos optimi juris esse defendimus. Idem, præter* Sarmientum *antea laudatum, tuetur* Gutierez in tract. de Tutel. & Cur. cap. 35. per tot. *& omnium acerrime recta sanaque ratio valide, ut mihi videtur, demonstrata. Quod attinet ad sententiam* Curiæ Hollandiæ *apud* Corenium decis. 7. *ad quam Dominus* Advocatus *provocabat, eam non reperio versari in iisdem terminis, quibus nostra thesis limitatur. Actum ibi de usufructu omnium bonorum conjugi à conjuge legato, cum etiam inter bona reditus vitales in personam aliorum constituti essent, visumque hos reditus ab usufructuario perceptos non esse restituendos. Fieri potest, ut ultimas voluntates, plenius interpretandas putaverint, quasi testatrix legans usumfructum, reditus omnes indistincte legasse videretur; ut sane* Corenius *argumentatur. Et tamen in hac ipsâ specie* Curia Ultrajectina *aliquoties in alia omnia ivit, ut* Rodenburgius *in loco citato testatur, judicavitque*: æstimationem fieri oportere redituum illorum personalium, quanti essent, cum conjux legans in fata concederet, ejusque dimidium restituen-

 tuen-

tuendum illius heredibus; *quia, scilicet, inter conjuges eorumve heredes communionem habentes questio intercedebat. Atque hæc sententia pertinet ad alternativam nostræ disputationis, quam maritum, qui accepit ab uxore tale jus redituum, subire oportere diximus. Confido etiam, si quis contulerit sententiæ nostræ rationes cum iis, quæ à* Corenio *in alteram partem proferuntur, etiamsi illud judicatum magis affine, quam idem sit cum nostro quæsito, tamen eum facillime judicaturum,* Ultrajectinos *juridicius censuisse, quam* Batavos (*absit invidia comparationis*) *in illa, inquam, specie de usufructu. Nam quia & hic eo modo habendus est, ut salva sit rerum substantia, perinde ac conjugibus sua sors salva manere debet, non est dubium, quin jura, quæ adsiduo abusu evanescunt, ita sint exercenda, quemadmodum res corporales, quarum usus in abusu consistit, ut vel æstimatio rerum vel tantundem atque perceptum est, finito usufructu, restituatur, ut docet* Justinianus *in* §. pen. Inst de usufr. *Rationes hic sunt eædem fere, quas supra exposuimus; videamus in contrarium quid moveatur:* Usufructuarium, *ait* Corenius, sequuntur omnes reditus, obventiones, & emolumenta, quæ ex rebus ullo modo percipiuntur, ideoque etiam reditus annui. Sotomaj. c. 36. de usufr. per tot. *Quasi non incontinenti subaudiendum sit, ita videlicet,* emolumenta reditusque omnes ad fructuarium pertinere, ut vel *substantiam*, vel *sortem* duntaxat, proprietario salvam præstet: *substantiam*, si rerum natura talis sit, ut in suâ substantiâ durent; *sortem atque summam*, si res utendo minuantur. *Præterea in exemplum contrarii instituti proferuntur species quædam rerum incorporalium, ex quibus omnes reditus cujuscunque naturæ, fructuario cedunt; velut Jurisdictio, cujus usumfructum qui habet, etiam percipit mulctas, stipendia, quæque pretérea exinde commoda proveniunt; & qui habet jus patronatus exercet præsentationes ad munera Ecclesiastica, & id genus alia. Nemo hæc audit, cui non statim liqueat, nihil simile esse in his exemplis siquidem* jurisdictio, *atque* jus patronatus, *post sexcentos actus jurisdicendi præsentandique, semper idem & integrum manet, cum jura vitalia quotidiano usu ad interitum suum vergant. Idem respondetur ad id quod* de reditibus annuis perpetuis *objicit* Coren; *siquidem eorum æstimatio semper æqualis manet, centum licet annorum perceptis usuris; nec magis ad rem pertinet, quod est in* l. 34. ff. de usur. *ubi*, usuræ vicem

cem fructuum obtinent; *quis enim id negat? Quod ad* Sotomajorem *attinet*, *à* Corenio *laudatum*, *is hanc quæstionem in terminis suis non tractat* volumine de usufructu, *sed in* cap. 36. n. 39. & sequ. *laudat distinctionem* Baldi, *circa proventus*, *qui semel percepti non renascuntur*, *eos pertinere ad usufructuarium*, *quoad potestatem utendi fruendi duntaxat*, *non perpetuo & irrevocabiliter*, *sed ita ut cautionem præstare debeat de tantundem finito usufructu restituendo*; quod est ipsum illud, quò nostra disputatio tendit. *Ultimum & præcipui valoris argumentum*, *quo* Corenius *utitur*, *est petitum à similitudine animalium*, *cunctarumque rerum mobilium*, *in quibus est verus ususfructus*, *quibusque adeo usufructuarius utitur*, *omniaque emolumenta inde percipit sine ullâ restitutione*, §. pen. Inst. de usufr. *Primo*, *velim heic paulum subsistant*, *qui ex populari usu tam facile praxin judiciariam colligunt*; *Est ita liquidi certique juris*, *ut* Corenius *narrat*; usufructuarium posse animalibus veste, supellectile, aliisque mobilibus rebus, uti ad extremum usque; mortuisque pecudibus, detritis vestibus, cæterisque mobilibus, eum non teneri ad pretium earundem rerum, quod fuit prius, sed posse defungi redhibendo easdem res, ita ut nunc sunt. *Atqui nihil absurdius*, *nihil insolitatius*, *more populari nostratium*; *omni die sic fit*; *ut usufructuarii ejusmodi rerum æstimationem recipiant*, *caveantque*, *se finito usufructu pretium esse restituturos*; *idque sine ulla ipsorum contradictione*, *qui sic juris esse nullo modo dubitant*. *Nemo tamen ejusmodi opinione usuque populari jus mutatum esse contendere ausit*; *& valde verendum*, *ne non idem in altero*, *quod agimus*, *quæsito fere usu veniat*. *Qui habet usumfructum* animalium mobiliumque rerum *non potest aliam ex iis utilitatem capere*; *quam singulis pro natura cujusque rei utendo*, *quamdiu usum sui præbent*: *res quæ perit domino suo perit*, *nec aliter fieri potest*: *sed pecunia*, *quæ collocatur*, *ut reditibus annuis ad vitam capiendis absumatur*, *utique recipiebat alium & stabilem usum*; *reditus singulorum annorum qui pecuniâ constant jam per se rursus usuras pariunt*; *ac ita cum naturam sortis induerint*, *hi ut percipiuntur*, *ususfructus jure retinentur.* Atque hæc de jure ususfructus in his rebus hactenus; *ex quibus evidenter puto constare*, *ne quidem usufructuarium*, *ex ratione juris*, *reditus vitales annuos sine restitutione suos facere irrevocabiliter*; *quæ licet inter conferendum exposita non sint*, *addere tamen heic loci voluimus*. Addemus

&

& hoc: *non obstare sententiæ nostræ, quod stipendia munerum publicorum, quæ ab altero conjugum, à viris, inquam, inferuntur, ita fiant communia, ut nihil inde, finito matrimonio, restituatur: quæ tamen stipendia sint etiam reditus vitales. Existimo enim esse neminem, qui non animadvertat, honoraria quæ præstantur officiis Reipubl. esse veros acquæstus industriales, in quibus societas matrimonialis maximè consistit, perinde ac in mercedibus operariorum, nec enim refert animi, an corporei laboris occupatione lucrum acquiratur. Ad reditus vitales, qui è sortibus olim collocatis, aut è fundis percipiuntur, nullam industriæ intentionem requirunt, sed inter bona habentur, quæ otiosos quoque & dormientes beant. Præstantissimus* Advocatus Opponens, *antequam desisteret, mediam viam tentare voluit, inter utrumque hujus sententiæ extremum: videlicet*, conjugibus inter se communicandum esse, quod in reditibus vitalitiis usuras reditusve consuetos excedit, sive quantum è sortibus non transitoriis & ordinariis redigi solet; illud autem reliquum, quod datur ideo, quia sors interitura est, conjugi, ad quem reditus pertinuit, esse restituendum. *Sane hoc temperamentum postremis temporibus placuit* Ultrajectinis Senatoribus *in casu ususfructus legati, ut* Rodenburgius ibidem *testatur, & potest esse medium conciliationis in eorum usum, qui utrumvis sententiæ hujus extremum, ut rigidius, aspernantur; nec valde repugnaverit huic commento medietatis*, qui multa contra rationem disputandi recepta, *recipienda esse pro seculi moribus, & utilitate promiscui usus cogitet.*, l. 51. sub fin. ff. Ad Leg. Aquil. N*ec diffiteor, in usufructuario moderamen illud non esse remotum à specie recti, propter similitudinem redituum vitalium cum rebus mobilibus in usumfructum datis; nam ut hæ res usum quidem recipiunt & integræ manent, verum tamen lapsu temporis, serius ocyus, ad nihilum rediguntur; ita cum reditibus ad vitam constitutis quoque comparatum est; manent ejusdem quantitatis nec utendo minuuntur, sed toti ad mortem usque durant: hoc tantum interest, ut antea diximus; pecunia potest ita collocari, ut usuras reddat, neque sors tamen unquam pereat; res mobiles seque moventes illud institutum nullo modo recipiunt: Utcunque igitur æquum videri possit, ut usufructuarius percipiat, quod pecuniæ in usumfructum datæ semper tribuunt*, *in* conjugibus *tamen hæc res ita se non habet; quia, tametsi conjugum alter animalia mobiliaque in communionem inferat, earum tamen*

æsti-

æstimationem, finito matrimonio, recipit, quemadmodum usu nostratum quotidiano adfirmatum est; *ideoque argumentum* Corenii *ab animalibus ad reditus vitales in hac quidem specie retorquere licet*: Quod juris est, *ait*; in illis, idem in his statuendum. Atque in illis sic est, ut restitui debeant. Ergo. *Sed diu satis de ratione juris disceptatum*: *Etiam vero de praxi Frisicâ, quod à nobis quidem proficisci queat. Sitne popularis abusus, an stabili consuetudine à genuinâ ratione juris hac parte recessum sit, à judicio prudentium virorum, dataque occasione ab Amplissimi Senatus arbitrio expectabimus. Sane, quod ad exemplum attinet patrum superius adductum, qui habent usumfructum in bonis liberorum, credo, non advertere eos animum ad hoc, ut reditus illos tanquam sortem considerent, in comparatione communionis, quam habent cum secundis uxoribus; sed arctissimum inter patrem liberósque vinculum unitasque eorum forte aliquid discriminis judicio quorundam inferre videatur; nisi & hic casus inter alia incuriosæ praxeos exempla referendus sit. Denique, num qua diversitas inter usumfructum reditusque vitales sit constituenda, pro parte vel in totum, à nostris moribus abhorreat quod disputavimus, an secus, judicium penes eos esto, quibus & novi juris Auctoribus esse licet atque concessum est. Denique, si non obtineo, ut, ita juris esse, quemadmodum disputavimus, in* Frisia *credatur, saltem id utilitatis ex hac dissertatione eventurum præsumo; ut qui valorem æquitatemque hujus sententiæ percipient, vel ipsi animum advertent, vel auctores erunt aliis animadvertendi, ut in contrahendis matrimoniis, quando usumfructum reditusque vitales habent inferendos, paciscantur, uti quod juris & æqualitatis ratio largitur iis, eo sibi, pace novi conjugis, frui & gaudere liceat. Advocatus* van der Sluys *cum sua dicta, gratiis actis, conclusisset.*

Zachæus de Gemmenich *prompti & excitati Advocatus ingenii, solemnibus reverentiæ præmissis, ad articulos* nonum & decimum cap. VI. *quod est de potestate maritali se contulit*; *in quibus ita est positum*: Virum quoque talem esse oportet *qui potestatem in uxorem exerceat*, ut hi esse debent, qui curam aliorum sunt gesturi; multo magis, ut ipse suis rebus administrandis sufficiat: Proinde, si minor annis 25. sit, veniam ætatis eum impetrare oportet, antequam se ut uxoris Curatorem gerat. *Ex inde collegit & formavit hanc thesin*; utrum is, qui veniam ætatis impetravit, alterius tutor vel Curator idoneus esse possit.

jure civili, *quod negandum arbitrabatur, ob sequentes rationes;* Primo, *quoniam ætas viginti quinque annorum præcise in Tutore vel curatore requiritur*, §. 2. Inst. Qui testam. Tut. dar. *ubi autem talis necessario desideratur, illic venia ætatis à Principe impetrata nihil mutationis infert; eò pertinere dicebat, si quis alteri aliquid dari voluerit*, quando perfectæ vel legitimæ ætatis sit; *non committi conditionem, cum Imperiali beneficio venia ætatis ei facta est, sed tum demum, quando viginti quinque annorum curriculum implevit*, l. ult. d. t. C. de his qui ven. æt. *etiam lex quæ requirit, ut, qui ad munera & honores admitti cupit, annorum viginti quinque sit*, l. 8. ff. de muner. & honor. *eodem indulto ætatis beneficio, non accipit implementum*, arg. d. l. ult. *Nec est, quod quis dicat*, pergebat Ornatissimus Advocatus, *Tutelam non esse munus Reipubl. eò quod ad privata patrimonia datur*, l. 6. §. 15. ff. de Excusat. tut. *nam è contrario, satis constat Tutelam esse publicum munnus, ut Juris Auctores loquuntur, in* pr. Inst. de Excusat. & l. 9. ff. de His qui sui vel al. jur. junct. l. 18. §. 28. ff. de muner. *His addebatur, legem, quæ perfectam ætatem desiderat, generaliter loqui, proinde generaliter accipiendam & intelligendam esse; ita ut qui exceptionem in eo, qui veniam ætatis impretrasset, collocare vellet, ei probatio incumberet, quæ nunquam præstari posset.* dein objectio occupabatur, *verum quidem esse, veniam ætatis tribuere jura majorum, sed hactenus, ut rei suæ administrandæ sufficere credantur, non ut aliorum patrimonia regant.* arg. l. 2. C. de his qui ven. æt. in verb. qui paternam frugem vel avorum patrimonia gerere cupiunt, & super hoc imperiali auxilio indigere cœperint &c. *sed palmarium & decretorium argumentum, quod jugulum causæ ferire putabat Dominus* Opponens, *hoc esse memorabat; Quorum bona non possunt plenissimo jure hypothecarum teneri, tales non possunt esse Tutores vel Curatores, l. ult. C. de Legit. Tut.* Horum autem qui veniam ætatis impetravere, bona non possunt plenissimo jure hypothecæ teneri, *l. 3. C. de his qui ven. æt.* Ergo non possunt esse Curatores. *Hæc erant quæ uno spiritu continuaque oratione proponebantur. Antequam responderemus, sententiæ nostræ rationem exposuimus, ita fere, quemadmodum à* Thomâ Herbajo cap. 13. §. 4. & à Saudio lib. 2. tit. 4. def. 1. *factum est;* Sane, *ait hic*, si minor veniam ætatis impetravit, cum in omnibus, excepta immobilium alienatione, pro majore habeatur nihil impedit, quominus jure maritali âdministret res uxorias. Herbajus *addit has rationes:* 1. quod qui veniam ætatis habet, si læsus sit, non impetret restitutionem,

tionem, l. 1. C. de his qui ven. æt. 2. quia sine curatore in judicio rectè consistit, l. 10. C. de Appell. *dein occupat objectiones quasdam, sed ab his quæ ab* Opponente *nostro motæ sunt, diversas. Secundum horum sententiam praxis indubitata fori nostri, maritis, veniâ ætatis impetratâ, rerum quoque uxoriarum administrationem vindicat, etsi Rescripto veniæ, nulla ejus rei mentio sit facta; quanquam* Herbajus *fatetur, cautius acturos maritos, si tam uxoris quam suarum rerum administrationem petierint: vix tamen est, ut id unquam fieri soleat. uti quoque ad alias Tutelæ Curæque species aliquando, qui veniam ætatis impetrarunt, admittuntur, ut de praxi nostra res satis explorata sit; utique sane quod ad maritos attinet uxorum. Nam de reliquis Tutelæ Curæque speciebus haud æquè certo adfirmaverim, an usus communis in vim juris absolute invaluerit.* Me, præter rationes allegatas, etiam id movebat, *quod Tutela minoribus annis 25. jure deferatur, ut tamen administratione abstineant, donec ætatem impleverint*, l. 10. §. 7. ff. de Excusat. Tut. *Cum igitur administrationis per veniam ætatis capaces intelligantur, & in omnibus, excepta alienatione rerum soli, pro majoribus habeantur; nihil causæ videtur esse, quare non ad Curam aliorum admittendi videantur, si vel testamento dentur, vel adhibita satisdatione, pupillorum securitati consulatur.* (13) *His consentaneum est, ut quod de* ætate perfectâ 25- annorum *in Tutoribus atque Curatoribus requisitum est à Legibus; cum administrationem patrimonialem spectet, beneficio ætatis indulto suppletum videatur,* quo medio primum, quod audivimus, argumentum removetur. *Attamen hæc res eò extendi non debet, ut jus inter alios constitutum & stabilitum invertatur; veluti, cum in testamento vel inter vivos legitimæ perfectæve ætatis, quâ daretur aliquid aut fieret, mentio absolute facta est, datio illa factumve per hoc privilegium non anticipatur; nec enim id vult neque potest Princeps; non vult, inquam, ubi ætatis beneficium adolescenti impertitur, alios adstringere necessitate prius solvendi, ut, si fideicommissum debeatur, ubi juvenis tot annorum factus sit; absurdum, inquam, foret, ab eo qui veniam accepisset ætatis, id fideicommissum prius efflagitari;* atque hæc responsio est ad secundum argumentum. *Non dixerim etiam, pertinere beneficium ætatis ad munera publica stricte ita dicta, quæ in gubernandâ Republ. consistunt; nam privilegium hoc de privata administratione loquitur; à quâ ad regimen Civitatis non potest admitti consequentia. Quod autem* Tutela *dicitur esse* munus publicum, (14) *ut in hanc rem aliqui textus citabantur, id ab hac consideratione perquam alienum est; novimus enim quædam dici* publica *sensu communi, sicut*

(13) Immo vero singulare illud *veniae* aetatis beneficium ad propria minoris bona ubique restringitur, salvo *perfecta* aetatis in Tutoribus requisito, *l. 1. & 2, C. de his, qui ven aet.* (14) Sed quid notius *muneris* & *honoris* discrimine, *l. 1. 10. 14. D. de Mun. & hon.* vid Interpp. ad *l. 214. & l. 239. §. 3. D. de V. S.*

cut omne jus est publicum, l. 38. ff. de pact. *quatenus publicâ auctoritate latum est, in publicam utilitatem, & omnes publicè, non aliquos privatim obligat*, l. 8. ff. de Legib. *Strictius quædam etiam functiones, munera publica vocantur, quatenus publica necessitate omnibus imponuntur, nec cuiquam eas detrectare licet*, l. 1. ff. d. vacat & excusat. *cæterum materia & objectum Tutelæ atque Curæ manifesto privati patrimonii est, ideoque ICtus* l. 6. §. 15. ff. de Excus. *acute ait*, non esse munus Reipubl. Tutelam, *etsi* publicum *alio laxiore sensu passim appelletur. Jam reliquæ argumentationes*, quod lex ætatem perfectam requirens generaliter loquatur, & exceptio de veniâ ætatis probanda sit; *& quod verba, quibus venia ætatis explicatur* de propriis adolescentum patrimoniis solummodo loquantur, *ex iis quæ superius ad confirmandam thesin nostram adducta sunt solvi & expediri possunt.. Ad ultimum & quod Dominus* Opponens *palmarium vocabat argumentum, ex* l. ult. C. de Legit. Tut. *sic ratio nostra fuit; Justiniani mentem illic esse de Tutela legitimâ excludere eos, qui talis ætatis sunt*, quibus rerum suarum administratio non committitur, *rationemque reddit Cæsar;* Cui enim ferendum est, eundem esse Tutorem, & sub Tutela constitui; & iterum, eundem esse Curatorem, & sub Cura agere? Hæc certe & nominum & rerum, *ait*, fæda confusio est. *Palam est, hæc verba rationesque iis demonstratas non arcere eos, qui veniâ ætatis impetratâ, Curæ aliorum subducti, suæque autoritati commissi sunt. Addit deinde Cæsar hæc verba*, quorumque res possunt plenissimo jure hypothecarum teneri. *Hæc non tam est nova ratio, quam accessio & ἐξήγησις prioris, & principalis; ideoque si prior illa præcipuaque salva sit, hæc accessoria nihil novi committit. Si tamen Præstantissimus* Opponens *mordicus hisce verbis inhærendum putaret, inferendumque inde contenderet, eos qui veniam ætatis habent, non posse res suas hypothecæ obnoxias reddere, quia pignoris obligatio sub prohibitâ alienatione continetur*, l. ult. C. de reb. alien. non alienand. *& venia ætatis in alienatione rerum interdicta nihil adferat adjumenti*, l. 2. d. t. C. de his qui ven. æt. *in promptu esse diximus aliam respondendi rationem;* Loqui Imperatorem de hypothecâ Legali, sive tacitâ, *quæ perinde conveniat iis, qui veniam ætatis impetrarunt, quam vere majoribus annis. Intelligi autem heic loci pignus legale, probationis indigere non putabamus; quia satis constat, in bona Tutorum atque Curatorum pupillis minoribusque celebrem hypothecam a lege datam esse*, l. 20. C. de Administr. Tut. *D.* Opponens *nec primæ rationi acquiescebat, eò quod verba diserte posita suum peculiarem sensum inferrent; neque alteri, quia sic etiam evinci posset, minorem annis*

viginti

viginti Tutorem quoque vel Curatorem uxoris esse posse. Sed in proclivi fuit replicare, minores annis viginti manifestissime excludi verbis præcedentibus, quæ facultatem administrandi res proprias requirunt, *quâ minor viginti annis nullo modo præditus esse potest. Si maxime requisitum hypothecæ ut novum & speciale sit accipiendum, non potest tamen nisi conjunctim cum administratione huic hypothesi applicari. Quin si maxime dicendum sit, conventionalem hypothecam à Cæsare designari, ac inde sequatur*, Legitimam Tutelam, de quâ sola textus objectus loquitur, Curamque, *non deferri his qui veniam ætatis impetrarunt, ea res tamen ad maritos extendi non posset, quia facultas illa viri in uxorem ejusque bona non est* Cura *juridice loquendo, sed proprii generis* potestas maritalis. *Si esset* Cura, *necesse foret, eam vel ob ætatis defectum, vel saltem ob sexum introductam esse, sed neutrum est verum; quod ob ætatem immaturam vir non sit Curator uxoris, apparet inde, quoniam & in conjuges anus competit hoc jus; non respicere ad sexum. patet, quia virginis viduæque non sunt in Curâ. plures discrepantias inter hoc* Jus maritale, Curatoriamque potestatem *recensuimus* lib. 1. Inst. Jur. Fris. cap. 6. §. 4. & seqq. *Cum igitur mariti non sint uxorum suarum* Curatores, *sensu Juris Romani, non potest, fieri, ut textus ejusdem Juris suppeditantes argumenta adversus* Curam *specialia, accipiantur ita, ut Juri quoque maritali nostrati adversentur. Lex tribuit maritis administrationem rerum uxoris, modo capaces sint administrandi. Tales sunt omnino, qui veniâ ætatis privilegiati sunt; Ergo nihil vetat, his permitti rerum uxoriarum regimen atque* Curam; *voce largius acceptâ, ut fit usu communi. Post hæc transiit* D. Opponens *ad* thesin 5. & 6. capitis tertii; *quæ sunt hæ*; Præterea, qui duxit filiamfam. minorem annis 20, aut quæ nupsit filiofamilias minori annis 25. nihil lucri ab illâve mortis causâ vel inter vivos percipere potest, idque tametsi Parentes consensum suum post concubitum adhibuerint, *d. tit.* 1. *art.* 6. Eadem sanctio locum habet in his, qui quæve sub Curatoribus agunt, *d. tit.* 1. *art.* 10. *Arbitrabatur, nimis generaliter nos esse locutos, adserendo, eum qui pupillam minorem annis* 25. *duxit, iisdem pœnis statutariis subjici, quibus is, qui sine Parentis consensu filiamfam. ejus ætatis in uxorem sibi sumsit, obnoxius est, nam ex collatione* art. 6. & 10. lib. 1. tit. 1. Statutorum *liquido constare putabat, in* versiculo 6. *majorem pœnam esse constitutam, quâm* versu 10. *Quippe, qui filiamfam. minorem annis* 20. *invito patre, duxit, privatur etiam lucro Statutario, quod consuetudo societasque matrimonialis alioqui conjugibus tribuit*, d. lib. 1. tit. 3. *Atqui hac de re altum est silentium* in d. §. 10. *ideoque non videri id adserendum, licet par vel major ratio subesset; eo quod odia sint restrin-*

stringenda, cap. 15. x. de Reg. Jur. ibique Peckius n. 3. *& in pœnalibus interpretatio benignior accipienda est*, l. 155. §. 2. d. R. I. *Addi volebat*, *quæ* Sandius *scribit in* lib. 2. tit 9. def. 19. ad interpretationem libri 1. Statutorum tit. 7. §. 9 circa fin. *Quin ita disserebat*, *tentari posse*, *non modo id interesse; quod dixerat de emolumento Statutario*, *sed etiam ita se posse interpretari* d. versiculum 10. *ut is*, *qui filiamfam. duxit*, *prohibeatur aliquid capere tam mortis causâ quam inter vivos*, *sed qui pupillam sive adultam sibi junxit*, *invito Curatore*, *mortis quidem causâ non possit capere*, *sed inter vivos si quid acquisitum sit*, *ejus incapax non habeatur; argumentum se habere ex ipso textu* artic. 10. *ubi tantum enumerentur species ultimæ voluntatis: verba*, by donatie maken *referri posse atque debere ad donationem mortis causâ*; *utpote cum τὸ* maken *etiam juxta communem loquendi usum significet* legare; *Statuta vero interpretationem recipere ex usu communi sermonis*, *ut omnibus est in confesso*, *docente inter alios* Tiraquello de retract. §. 2. gl. 1. n. 5. & sequ. Straceâ de Mercat. p. 1. n. 14. *His addendum monebat* D. Opponens *in* d. art. 10. *nullas species acquirendi inter vivos allegari*, *quales tamen in* artic. 6. *connumerantur*, Summa Responsi fuit; *basce positiones ut jam ad ventilandum propositæ sunt*, *concise breviterque conceptas esse*; *quod imprimis in hac thesi* sexta *evenerit*: *In* thesi præcedenti *argumentum sanctionis adversus matrimonium filiæfam. invito patre contractum exacte propositum esse*, Sequens thesis *nihil aliud habet*, *quam hæc verba: Eadem sanctio locum habet in his qui quævе sub Curatoribus agunt*, d. t. art. 10. *Pœnalis*, *inquam*, *sanctio ejusdem generis*; *cujusmodi autem illa sit omnibus suis partibus*, *ibi verbis non est expositum*, *sed remissive ad ipsum Statutum demonstratur. Unde petendum*, *quod propriè in hac secunda sanctione contineatur*: *Videlicet*, *personæ Curatoribus subjectæ probibentur nuptiis jungi aut proclamari sine Curatorum consensu*; *quibus iniquè negantibus*, *potestas datur proximis cognatis*, *consulto Magistratu*, *causâque cognitâ*, *legitime eâ de re disponendi*, *sub pœnâ nullitatis*, *si quid ejusmodi conjuges testamento*, *legato*, *fideicommisso ullave donatione sibi invicem reliquerint. In his verbis plura continentur quam à nobis est positum in* thesibus nostris. *Verba prædicta habent legem atque sanctionem. Lex duobus constat membris*, primo *est probibitio nuptiarum cum iis qui sub Curâ sunt; indistincte*, *cujuscunque sint*

sint ætatis? ita est in verbis; sed ratio vult, ut quod de ætate 20. *annorum respectu filiorum superius dictum est*, versu 6. *id heic* ἀπὸ κοινοῦ *repetatur. nec enim menti legislatoris consentaneum est, ut qui nuptias filiæfam. tum demum pœna adficere voluit, quando fuit infra annos viginti, puellæ quæ sui juris, sub Curâ tamen, est, eandem pœnam applicare voluerit, etiam post id tempus ætatis: Ideoque tu sic accipe hunc locum, quemadmodum & usu servatur, ut probibitio sanctioque tantum in puellis viginti annis inferioribus obtineat: de adolescentibus simpliciter dicendum, eos non posse jungi matrimonio, quamdiu sub Curatore sunt, eo invito; cum, quia verba hujus* artic. 10. *generalia sunt, tum quia in filiisfam. ætate viginti quinque annorum pœna definitur, quæ ex* articulo x. *huc relata incidit in id tempus, quo Cura amplius non est. Puellæ verò, quæ vigesimum annum excesserunt, non egent autoritate Curatoris, sed hactenus liberioris arbitrii sunt, quum juvenibus licet. Altera pars legis est, de autoritate propinquorum, quibus de nuptiis adultarum disponere licet, ubi Curator inique recuset adsensum; quod non ita accipiendum, quasi propinquis decernere liceret, quoties Curator nihil habet objiciendum ambientibus; optimè semper de negatione Curatoris tanquam Patris præsumendum; nisi iniquitas manifesto liqueat. Sanctionem quod attinet, de qua nunc proprie quæritur, fatemur, eam paucioribus verbis esse conceptam & angustiorem, quam superior in* art. 6. *Ibi est nullitas omnium commodorum, quæ à conjuge in conjugem ullo modo proficisci possunt, sive ex consuetudine Provinciali, seu Testamento, donatione, cessione, translatione, aliave ratione, quæ excogitari possit; heic tantum recensetur* Testamentum, Legatum, fideicommissum; *additur*, aut ulla donatio, additâ voce maken: *Nec illibenter concesserim; videri tantum imperari nullitatem liberalitatum. quæ per ultimas voluntates inter conjuges exercentur, adeoque donationem mortis causâ duntaxat; cum quia Vox* maken *omnino de* legatis *usurpatur, tum etiam quia species reliquæ sunt ultimæ voluntates duntaxat scrupulum solummodo movet, quod habetur;* of eenige donatie/ *cujusmodi expressio plures donationis species indicare videtur, Respondeo bifariam: primo verbum donationis accipere licet, pro liberalitate, ut sit clausula generalis post enumerationem specierum; vel, si mavis, vox* eenige *respicit ad materiam donationis mortis causa, sive ad res donatas; non licet quicquam relinquere*, Testamento, legato, fideicommisso, aut ullius rei donatione;

natione; *quanquam & ipsa donatio mortis causa non caret suis speciebus*, l. 2. ff. de donat. mort. c. *In hoc igitur articulo* D. Opponens *non abludebat à mente nostra; licet verba brevius obscuriusque posita essent. Atque in his, servato actionis decoro, ab Advocato de* Ghemmenich *desitum est.*

Dein Feito Wesselius *ingenii alacris optimæque spei Advocatus, post honorem Illustri Auditorio habitum consurrexit, atque* thesin penultimam cap. 8. *examinare cœpit, ubi sententiam* Thomæ Herbaji *nostram fecimus; qui inter modos finiendi societatem conjugalem refert hunc casum;* si vir venerit in eum statum, ut ipse Curatorem accipiat, velut, si prodigus aut furiosus fiat, cap. 15. rer. quotid. *Fundamentum rationis contrariæ petebat è verbis* Statuti lib. 1. tit 3. art. 1. conjuges lucrum & damnum, quod durante conjugio acquirunt, pariter ferunt, aut fruuntur ipso jure, *Regula generalis est;* lucra & damna conjugibus sunt communia, *pertinens ad omnes conjuges, omnesque casus, in quibus non probatur exceptio. dein e Statuto venit communio; proinde nec aliter finiri potest: Additur;* durante matrimonio, **staande 't houwelijk**; *proinde quamdiu matrimonium consistit, hæc etiam communio duret oportet; Atqui prodigentia, vel furore, non finiri matrimonium, palam est; & de furore textum habemus notabilem, in* l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. *Accedit, quod Statutum ait*, ipso jure *lucra damnaque communicari, ita ut facto alterius conjugum nihil sit opus: Proinde licet furiosus nihil operæ conferre possit ad acquirendum, hæc res tamen impedimento esse nequit, quominus sit particeps quæstuum ab altero perceptorum: præsertim quia casus tam miserabilis, furiosi causam videtur reddere favorabilem. Præterea non parum huc facere putabat, quod jura seu facultates in favorem hominum constitutæ maneant integra furiosis; Etenim ille retinet patriam potestatem*, l. 8. ff. de His qui sui vel al. jur. *& consequentur usumfructum bonorum filii adventitiorum: Acquiritur & actio furioso iisdem è causis, ex quibus ignorantibus acquiritur*, l. 24. ff. de obl. & Act. *Hinc furiosi causam agens Ulpianus in* l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. *ait:* Quid enim tam est humanum quam fortuitis casibus mulieris maritum & mariti uxorem participem esse? *Non sunt equidem hæ rationes de nihilo:* Nec *moverunt tamen* Herbajum *nostrum, quin ita statueret, ut à nobis positum recognovimus*, ex cap. 13. libri elegantis rerum quotidian.

Ex

Ex facto pendet definitio quæstionis, *inquit*, Refert enim, an Curator furioso datus sit. Id si factum est, procul dubio inventarium conscriptum erit, quum ad id Curator præcipue teneatur *l. ult. verf. fin aut. C. de Curat. fur.* Tum Curatoris administratio ad furiosum tantum ejusque bona pertinet, ac proinde per separationem illam bonorum, communionis jus sublatum videtur. Sin vero eorum nihil factum sit; sed (quod aliquando toleratum scio) uxor aut consanguineus aliquis furiosi eam curam in se susceperit, an manet communio? *Id vero affirmandum putat. Respectu prodigi, causa cognita, fit interdictio ac ita Curatoris datio, quâ tolli communionem bonorum inter conjuges dubitatur, idque promulgatione publicâ significatur omnibus, ne quis opinionis errore ductus societatem obligationum inter eos adhuc optinere putet: Atqui prodigos & furiosos, quantum ad patrimonii causam attinet, exacte comparari juris est notissimi*, l. 12. ff. de Tutor. & Cur. dat. *Duntaxat hoc interest, quod circa furiosos non opus est causæ cognitione atque decreto; quia furor ultro se prodit, luxuria & prodigentia magnam habet latitudinem, antequam ad furoris similitudinem pertingat, ideoque non habet effectum interdictionis, priusquam Magistratus decreto suo id approbaverit. In furioso igitur hæc conjungenda sunt, Mentis absentia, inhabilitas concurrendi ad actus acquisitionum, Curatoris datio, & realis separatio patrimoniorum. Priora parant viam, posterior hæc absolvit recessum à communione; sicut alioqui societas, ut* Re, *hoc est tacitâ illatione rerum in communionem initur; sic etiam* Re, *sive tacitâ actualique separatione bonorum solvitur.*

Quod jam ad argumenta objectionum attinet; *Ex his quæ dicta sunt intelligi potest, non sequi*, matrimonium subsistit, ergo bonorum communio durat; *Finitur enim* pacto conjugum, *finitur* separatione judiciali, & interdictione bonorum, *cui nos merito comparamus* dationem Curatoris, separationemque bonorum *ei cohærentem*, propter furorem. *Quod autem* Statutum *hanc communionem* ipso jure *ait*, exerceri, *non obstat huic interpretationi, qui supponitur actualis continuatio societatis bonorum, atque tum singulares effectus non requirunt cessiones aut conventiones, sed* ipso jure; *hoc est*, vi legis immediatâ dominium ex alterius contractibus, in alterum transfertur; *cujusmodi effectus cessare palam est, ubi societas ipsa bonorum venit in eum statum, ut con-*

tinuari nequeat. Jam, Ex ſtatuto venit ſocietas, Ergo nec aliter finiri poteſt. *Reſp. Non eſt ſane, quod è Statutis plenam cujuſque rei tractationem, ita ut ex rationibus atque ſequelis juris communis ordinandæ ſunt, expectemus; ſumma tantum capita in illis collocantur, quibus explicandis illuſtrandisque juris civilis regulæ perpetuo jungendæ, applicandæ ſunt.* Postremo, *non eſt quod negemus*, furioſum jura facultateſque ſtabili jure ſemel acquiſitas retinere, *puta* patriam poteſtatem, uſumfructum, *adde*, dominium, ſucceſſionem, obligationem, & quicquid in, aut ex bonis, habetur: *nam talia non habent relationem, niſi ad ipſum ſolumque furioſum, cui ob calamitatem jus ſuum auferri non debet. At bonorum communio refert ſeſe ad alium, nec conſiſtere poteſt cum ſeparatione reali, quam in noſtra facti ſpecie evenire probavimus. Jam quod de miſerabili favore, quem furioſus mercatur, adſentiente* Ulpiano, *prolatum eſt, id locum inveniat, ubi furor necdum adeò inveteravit, ut Curator ſit conſtitutus, ſed conjux cum furente altero ſine interventu diverſæ perſonæ ſeparationisque apud eosdem penates durat.* D. Advocatus *adſumpto*, quod ex ratiocinatione noſtrâ colligebat, præcipuum hujus controverſiæ momentum conſiſtere in illa ſeparatione bonorum, quæ dato Curatore, factoque ſeorſim inventario contingit, faciendum putavit, ut rationes adduceret, quare illi qualicunque ſeparationi ea vis adſcribi non poſſit: *Nec adeo ſeparationem revera per dationem Curatoris furioſo factum accidere contendebat*, eò quod ſeparatio bonorum inter conjuges nonniſi per Judicem, vel partium conventionem fieri poſſit, *quarum neutram in hac ſpecie intervenire; Nec eam inferri per confectionem Inventarii, quia Curator id tantum faciat officii causâ, ut rationes deinceps reddat, atque ſciat; quænam res ad ipſius curam pertineant; denique* adminiſtrationem quæ facti ſit, duntaxat ſeparari, juris nullam contingere mutationem. *Quid vero dicemus, ait*, ſi Cajus & Sejus minores contraxerint matrimoninm, Cajusque non impetrata ætatis veniâ, ſub Curatione remanſerit, an, quia bona ejus adhuc à Curatore adminiſtrantur, ſocietas conjugalis non videbitur eſſe contracta vix putem & quotidiana praxis reclamat. *Porro ad diverſitatem inter prodigum furioſumque demonſtrandam; Quando* Cajus *inquit*, hominis prodigi, vitæque diſſolutæ, bona à conjugis Semproniæ bonis per Judicem ſeparantur, tum dicendum eſt, finiri ſocietatem, quia judex ſeparando bona id vult, ne Cajus contrahendo pro more æs alienum, Semproniam vi ſocietatis obliget atque lædat: verum, ſi quis miſer

miser in furorem inciderit, judex dando ei Curatorem, magis ipsi vult prospicere, quia suis rebus ipse superesse nequit, quam rescissâ communione mulctare jam afflictum. *Putabat autem, hanc rem pendere totam à voluntate judicis*, eo quod societatis conjugalis causa non sit cumulatio bonorum, sed matrimonium; ideoque bonorum separatio non potest tollere quod bonorum collatio non fecit, juxtaque matrimonium durare communionem oportet. *Postremo sententiam nostram hujusmodi absurdo urgebat* D. Opponens; Maritus, cui ob sustinenda onera matrimonii dos datur, si furere cœperit, & jam onera illa sustinere nequeat, quicquid emolumenti ex dote venerit, jam omne capiet, cum suæ mentis, & ferens onera, semissem tantum sibi haberet, quatenus acquæstuum indistincte etiam ex dotalibus rebus inter conjuges Frisios communio habetur. *Ratio nostra ad hæc est, separationem, quæ, datione Curatoris furioso accidit, habere causam primò, furorem ipsum inhabilitatemque ad societatem bonorum exercendam; dein, Curatoris dationem, quæ non aliâ ratione constat, quam si prodigo Curator detur, quo realem fieri separationem conjugalemque cessare communionem non dubitatur. Quid enim interest, nisi quod ad prodigum Curatori subjiciendum interdictio præcedere debet, siquidem prius non est prodigus? Interdictum adeo facit, ut prodigus in eo statu constituatur, quo furiosus jam est per se; bonorum separatio sicut per furorem non committitur, ita neque per interdictum infertur*, atqui per dationem Curatoris prodigus fit expers communionis; *Ergo* nihil causæ est, cur non idem in furioso sit statuendum: sola Curatoris datio, quæque eam sequitur inventarii confectio, potest hoc efficere in prodigo: nam interdictio, *inquam*, nihil ad eam rem confert; quid adfers, quominus datio Curatoris inventariique confectio idem respectu furiosi efficere possit? *Atqui, si in prodigo non tantum administratio, quæ facti est, sed etiam jus communionis iis rebus distrahitur*, distinctio tua, qua administrationem bonorum furiosi duntaxat separari, ipsa bona volebas communia remanere, destruitur. *Id etiam ex dictis apparet*, separationem, quæ ex hac causa inter furiosum ejusque conjugem accidit, æque per autoritatem Judicis perpetrari, quam Tu ipse contendis per Curatorem prodigo datum evenire; *ne putes, è nudâ administrationis diversitate nobis ita videri. Quare quod de novis conjugibus quasi à simili argumentum profertur*, *eorum bona, si minores sint annis* XXV. *seorsim à Curatoribus administrari, nec tamen ideo minus inter eos esse bonorum communionem, nihil valoris habet ad hanc disputationem. Præter enim quod*

 fun-

fundamentum & causa movens longe dispar est, cum furor habilitatem colendi societatem tollat, minoribus adsit æqualis industria, palam est, hisce nullum accidere factum judiciale, quo societas eorum abrumpatur. Nihilo magis stringit nos ratio differentiæ, quam D. Opponens *inter prodigum & furiosum reddere conatus est;* Ratione prodigentiæ Judex, *ait*, separando bona parti innocenti vult consultum, ne per conjugem prodigum obligetur; sed Curatorem dans furioso non id agit Judex, ut rescissâ communione mulctet adflictum, sed potius ut ei prospiciat. *Videbatur in ea esse sententiâ* D. Advocatus, *casu, quo communionem inter furiosum ejusque conjugem indistincte continuari statuimus*, dementem esse lucrorum participem, de damnis haud teneri, *quod etiam* Herbajus *noster in hypothesi illius sententiæ supponere videtur* d. cap. 15. sub finem, versu; nihil sane vetat, mariti furiosi conditionem meliorem fieri. *Quod ut ipse judicet iniquum proponit temperamentum his verbis:* Tentet aliquis forsitan *in casu, quo Curator necdum datus est*, lucri eo casu omnino participem esse furiosum, damni ita demum, si ab uxore aut agnato nihil factum, quam quod debuit aut solebat, ut si ob rei familiaris angustiam sustentando matrimonio quid æris alieni impensum sit, aut fortuiti quidpiam evenerit, id ut ad furiosum quoque spectet. *Ego vero ita existimo, si tenemus, societatem conjugalem furore, datoque eâ causâ Curatore, non tolli, sed durare, nihil tum mutationis inferri, sed omnia lucra atque damna, sicut lege statutum est, inter conjuges indistincte communicari. Unde enim diversitas, & quod non est mutatum, cur in eodem statu manere prohibetur? nec rationem habet* Herbaji *temperamentum; quia per hoc supponitur furiosi conditionem calamitate sua meliorem fieri, cum sufficiat, non reddi deteriorem; si conjux sanus factâ separatione Curator insanientis esset, tum ita foret distinguendum; sed vi societatis conjugalis non potest communionis ratio in hoc casu aliter stabiliri, quam generaliter lege præscriptum est.* Quod porrò opponebatur, *societatis conjugalis causam non esse collationem bonorum, nec proinde separationem eorum esse causam dissolvendæ communionis, sed hanc rem unice pendere ab ipso matrimonio contracto vel dissoluto*, Respondimus; *imo verò communionem inter conjuges esse consequentiam rerum, quæ in matrimonium inferuntur; &, si aliæ causæ concurrant, absque rebus tamen eam non oriri, neque posse coiri; matri-*

mo-

monium ipsum esse quidem societatem vitæ l. 1. *ff. sol. matrim. sed non potest dici causa communionis bonorum, quia satis constat, jure communi nullam esse rerum inter conjuges societatem. Ideoque nihil impedimento est, quominus etiam, durante matrimonio, societas bonorum finiatur, quando sine eâ conjugium omnino consistere potest.* Postremo quod absurdi argumento voluit urgere sententiam nostram D. Opponens, *non est visum inevitabilis consequentiæ. Nititur enim hac hypothesi, quod vir furiosus, solutâ per Curatoris dationem, secutamque separationem bonorum, societate rerum, adhuc dotem ejusque commoda retineat; quod mihi non videtur, neque probatur ex laudata* l. 22. §. 7. ff. sol. matrim. *ubi nihil est aliud, quam virum dote fruentem posse compelli ad alimenta uxori furiosæ subministranda: Unde rectius ita colligas; si verum esset, dotem remanere penes maritum quemlibet furiosum, reditus ejus in rem communem debere converti; vel si communio sublata sit, ita ut quisque suum patrimonium recipiat, tum nihil est dubii, quin dos, utpote proprium mulieris patrimonium, ad ipsam revertatur, sicuti fit, quando maritus vergit ad inopiam vel quando deportatur,* l. 24. ff. sol. matrim. l. ult. C. eod. l. 29. C. de jur. dot. l. 1. C. de repud. *Jure civili casus hic in nostris terminis definitus non est, quoniam sequela est communionis bonorum, quæ jure communi ignoratur.*

Hactenus cum Wesselio *actum. Eum supremus excepit* Albertus Schotanus *à Sterringa*, Bernardi Schotani *Antecessoris quondam in* Franekeranâ, Trajectinâ, Lugdunensi *Academiis Celeberrimi, è filio nepos, Juvenis ingenti contentione animi, nec impare successu ad avitæ laudis æmulationem adspirans. Antequam vero quid Ille tunc in medium proposuerit explicem, faciendum puto, ut interponam paucula, quæ ab hisce duobus* Advocatis *sequente Actu* Collationis *disputata sunt, eo quod ad positiones primæ Collationis pertineant, atque etiam, finito Actu primo, ab aliis præcipuis* Auditoribus *ventilata fuerint. Quâ gratiâ, cum positiones secundæ collationis publicaremus, præscribi curavimus, ut juxta illas liceret etiam impugnare sententias primæ* Collationis. *Ita* D. Wesselius *opposuit rationes suas contra* th. 9. & seqq. cap. decimi, *in quibus tentatum à nobis est, in hac sententia Juris communis, quæ statuit,* invitis adolescentibus non dari Curatorem, *forte nihil mutationis Jure Frisico esse illatum; supposito, quod cum Interpretibus communiter, paucis licet dissentientibus, pro indubitato ha-*

 be-

bemus, minores annis xxv. non modo cogi non posse, ut hunc aut illum Curatorem eligant, verum ne ad hoc quidem, ut aliquem in universum accipiant, *quâ de re plenâ manu egimus in* lib. 3. Digress. cap. 15. & seqq. *Ratio oppositionis duplex inprimis fuit; primo, quod Statuto Frisiæ* lib. 1. cap. 7: *ita cautum est*, si quis moriens liberos minorennes relinquat, Prætores aut Magistratus Urbium iis quamprimum Curatoribus datis prospicient. *Quibus verbis traditur officium esse Magistratuum, quod necessitatem publicam continet, ut minoribus annis* 25. *dent Curatores.* Rationem alteram sumserat D. Advocatus *ab eo, quod omni diè institui videmus, ut adolescentes adultæque minores annis* 25. *subjiciantur Curatoribus, nisi puellæ post octavum decimum, juvenes post vigesimum annum impletum veniam ætatis impetraverint, quâ utique opus non esset, si ad Curatores accipiendos compelli non possent. Magistratus etiam ita servant, ut cum mortui sunt homines, relictis minorennibus, bona describant & obsignent, donec Curator sit constitutus*; denique *rem videri insolentem*, alienamque à foro, *ut minores, privilegio ætatis non impetrato, suas res agant.* Ad hæc nos primo operam dare, ut *Auditoribus* mentem nostram, *quæ primo auditu cruda videtur, exponeremus. Prisci Romani adolescentibus, toga virili acceptâ, quod fere eveniebat anno ætatis decimo quinto, res suas permittebant, dicebantur* in suam tutelam *venisse. Cura non erat munus publicum, nisi in furiosos & prodigos; ita ut qui è tutela exiisset Curatori non absque notâ ignominiæ subesset. Marcus Philosophus constituit primus, ut Cura munus publicum esset, juvenesque minores annis* xxv. *Curatores petere possent*, non redditis causis, *hoc est, sine dementiæ prodigentiæque notà*: Invitis tamen non dabatur Curator, præterquam in litem, *ut Justinianus docet* in §. 2. Inst. de Curatoribus, *quod cum aliis Juris locis optimè consentit. Admonebantur quidem à Tutoribus, ut sibi peterent Curatores*, l. 55. §. 1. ff. d. Administr. Tut. *& credi par est, admodum paucos adolescentes è Tutela exiisse, quin peterent Curatores*, arg. l. 33. §. 1. ff. eod. tit. *sed qui ætate maturiores amiserant parentes, si fiduciam sui haberent, sibi permittebantur, nec admoneri quidem dicuntur; cogi certè ullos omnino, res inaudita est*, l. 2. in fin. Qui pet. Tut. vel Curat. *adeoque multos sine Curatoribus egisse adolescentes satis probat* l. 3. C. *in int.* de restit. minòr. *ubi minores distinguuntur* inter Curatorem habentes & sine Curatione con-

constitutos, *Verum-enimvero quod directo jure in eos non statuebatur, ad hoc indirecte sæpe redigebantur. Nec enim judicio poterant contendere, nec debitores suos ad solutionem adigere, nec quicquam alicuius momenti cum aliis actitare poterant, nisi prius Curatores petere in animum induxissent*, l. 2. C. Qui perf. stand. in jud. non hab. l. 7. §. 2. ff. de Minor. *Atque hæc inevitabilis difficultas, quâ minores Curatoribus destituti, impliciti sunt, in causa fuit, ut regimen Curatorum in adolescentibus tanquam ordinarii juris commemoretur: Hinc idem Cæsar, quo loco, ait*, invitos adolescentes non accipere Curatores, *etiam ita loquitur;* Masculi quidem puberes & feminæ viripotentes usque ad vicesimum quintum annum completum curatores accipiunt, quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint, *pr. Inst. de Curat* (15) *Nec multo secus hodieque apud nos comparatum esse crediderim. Narravi auditoribus exemplum, in quo momentum hujus quæstionis accurate ob oculos ponitur.* Triduo, antequam hæc collatio haberetur, accesserant ad me consulendum aliquot cives ex genere *Mennonitarum*, qui plerumque sunt homines frugi, & a tricis fori abhorrentes. Erant, adolescens novendecim annorum, vitricus ejus, & Patruus. Mater adolescentis recens nupta filio bona paterna cupiebat erogare, desiderabatque ut filius patruum sibi Curatorem deligeret: hic, filius, detrectabat curam, adferens, patrimonium suum non esse tantum, ut alienæ Curæ indigeret, seque sibi sufficere, & sufficiebat haud-dubie. *Quærebant*, an id fieri posset. *Respondi*, separationem paternorum maternorumque bonorum non posse fieri sine Curatore ad actum divisionis, utique non tuto respectu matris & vitrici, nec etiam paterna bona adolescenti posse tradi, ita ut ipsis liceret esse securis: verum ad hos actus adolescentem cogi accipere Curatorem. *Rogabat*, an eo peracto, juveni sine Curatore liceret; hoc enim & ipse volebat, & Patruus ejus malebat. *Respondi*, satius esse, ut acciperet Curatorem; *si tamen nollet, putaretque*, se tranquille res suas gerere posse per se, non scire me, *legem* esse, quæ directe eum pe-

(15) Propter beneficium restitutionis, potuisse ab adversariis suis minores cogi, ut ad certos actus sibi curatores peterent, dudum est observatum. Vid. §. 2. *Inst. de Curat. innc. l. 2. c. qui legit. perf. l. 7. C. qui pet. tut. l. 7. §. 1. de Minor. l. 2. §. 5. qui pet. tut. l. 6. C. eod.* Qua de re pluribus Ampl. Otto in *Comm. ad d. §. 2. Instit.*

petere Curatorem cogeret, annum ita qualitercunque transigi posse, eo peracto parva operâ sumptuque peti posse veniam ætatis, quæ solerti adolescentiæ non soleat negari. Interea experiri eum posse, num vel à Magistratu, vel ab iis quibuscum ei res foret compelleretur; atque tum è facto consilium capiendum.

Hoc igitur nostræ quæstionis *est, an Magistratus eum juvenem compellere potuisset, ut incontinenti peteret Curatorem ad gubernandum ipsius patrimonium. Fateor, me nihil in Statutis, nec quidem in praxi nostra videre, quod eò nos adigat. Nam verba* Statuti *modo relata, quid aliud continent, quam adolescentes usque ad ætatem perfectam haberi sub curâ, idque Magistratibus ut operam dent quo fiat, injungi? Atqui illud ipsum textus Juris civilis passim inculcant, nec ideo minus negant coactionem. Dein* Statutum etiam *maxime de Tutelâ loquitur*, **onmondige** *enim proprie sunt* infantes, *nullamque facit mentionem electionis ab* adolescentibus *faciendæ, quæ tamen indubitatâ praxi ad eos pertinet. Denique Magistratuum duntaxat meminit, quasi nulla amplius esset Tutela Testamentaria, quod profecto ex his verbis probabilius quam coactio, de qua agimus, colligi posset. Sed hæc omnia tacitè relinquuntur dispositioni juris communis, verbis curatè insertis* Statuto, soo nae rechte behoort. D. Advocatus *volebat, ea tantum indicare modum dandi Curatores jure civili præscriptum: sed eò non posse restringi, præter quod sensus verborum abnuit, inde patet; quod alioqui Tutela Testamentaria* Statuto *præclusa foret, nisi his verbis conservaretur. Hæc ad* primam *rationem.* Alteri *de quotidianâ praxi jam satisfactum est, scilicet, ideo fere semper adolescentes accipere Curatores, quia difficultatibus alioqui crebris nimium intricarentur; at vero esse quoque non paucos sine Curatoribus certum habeo; nec ullum extare coactionis exemplum mihi quidem constat. Si Magistratus descriptionem obsignationemque in bona talis adulti adultæve decernere vellet, isque sese opponeret juris communis præsidio, expectandum foret, ab arbitrio* Amplissimi Senatus, *an hoc caput Juris Romani usu nostro abolitum esset; quod pro lege nobis est futurum.* Una ratio superest adversus opinionem nostram, cujus explicatio & aliud incedens quæsitum suppeditabit. *Impuberes, qui sub Tutelâ fuerunt, impleta pubertate, non liberantur potestate Tutoris, sed Tutela transit in Curam, eique manent subjecti usque ad annum vicesimum quintum impletum; inviti utique; siquidem id ipsi fatemur, adolescentes qui semel accepere Curatorem, ejus potestati subducere se non posse, juxta* l. 1. §. ult ff. de minor. *quam de iis qui jam habent Curatorem, quique suarum rerum administrationem volunt recipere, intelligendam esse probat abundè* Lex sequens. *Non potest negari, quin hæc sit consuetudo fere omnis Europæ, vulgóque ita jam usurpetur in* Frisiâ, *sed non est concedendum, ut quicquid adversus præscripta Juris*

Civilis

Civilis sine auctoritate Statuti *rerumque ab* Senatu Juridico *judicatarum, usu populari inolevit, pro solida praxi, indubioque jure sit agnoscendum; quâ de re superius, quod satis fuerit, dictum est. Habemus regulam* Frisii *singularem, quæ multo validius nobis à Juris nostri conditoribus inculcata est, quam usquam alibi gentium obtineat;* Quicquid Statutis diserte non est mutatum, in iis obtinet ratio Juris Romani. *Sand.* lib. 2. tit. 2. def. 20. vers. Quod axioma & def. 7. in fin. lib. 4. tit. 1. *Herbaj.* cap. 13. §. 6. *Consuetudines contrariæ* Statutis *jam pridem insertæ fuere; non negaverim, posse etiamnum populi* moribus *Juri scripto derogari; sed ut ejusmodi instituta in juris vim convalescant, non sufficit desvetudo neglectusque, sed opus est præter longum tempus frequemtiâ actuum contrariorum, maximeque judicialium*, l. 34. ff. de Legibus. Quod verò non ratione introductum sed errore primum, deinde consvetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet, l 39. ff. eod. *Quæ res quam latè pateat, ignorare non potest, qui usus forensis disciplinam cum notitiâ Juris Latini conjunxit. Jam porrò*, Jure Civili ita constitutum esse, Tutelam pubertate finiri, nec eundem qui Tutor fuit, in Curâ posse continuare, sine nova petitione minoris, & confirmatione Magistratus, *de hoc nihil est quod dubitetur & in* positionibus Justinianeis *probatum est. nihil etiam Statutis insertum esse, quò caput hoc juris Romani sit mutatum, e textu* d. tit. 7. *liquet; Nam quod ibi indistincte* van minderjarige en Voozmonders *tractatur, non est idoneum argumentum, ad probandum, quod omnis differentia Tutelæ Curæque sublata sit. Idem enim in Jure Græco fit, ut Tutores & Curatores, Impuberes Minoresque, iisdem vocabulis*, κηδεμόνες, *&* ἀφήλικες *appellentur, nec ideo tamen minus reales discrepantiæ in illo jure servantur.* (16) *Verum ad usum hujus provinciæ forensem magis pertinet quod Curia Suprema plus semel antehac ita judicaverit*, Tutorem, qui à Magistratu super impuberem confirmatus erat, & post pubertatem in administratione continuavit, in contradictorio sibi non posse vindicare cunctos effectus Curatoriæ potestatis, nominatimque non posse eum impedire nuptias puellæ, cujus se prò Curatore gerit. *Fuit hac de re lis olim inter* Frans Jacobs de Fries, & Doctorem Martinum Wybinga, *Juris in hac quondam Academia Professorem, sed tum apud* Harlingana *Tribunalia postulantem. Pellexerat in matrimonium* Catharina Heres *tredecim annorum puellam, quæ antebiennium, & sic ante viripotentiam, acceperat Tutorem illum*

(G)

(16) Quae sequuntur, multo uberius ab auctore exposita vide in *Dedic. Posit. Juris Frisici*, quam propterea huic Collationi subjiciendam putavimus.

lum de Fries, *qui exinde manserat in administratione, tempore Curæ. Hic intercedebat nuptiis contendens se jus habere eas impediendi, tanquam avunculum, & Curatorem datum simpliciter, ut* Voorinomber / *quæ vox tam Tutelæ quam Curæ conveniat. Quia decisionem hujus causæ ad probandam veteris Curiæ sententiam forique praxin laudaveram, nonnullis visum fuit negare, id ex definitione colligi posse, ideoque pretium operæ putavi* processum *ipsum perlegere, cum antea satis habuissem citare testimonium viri gravissimi* Johannis à Saekma *Senatoris doctissimi, qui in* notis Manuscriptis ad Statuta Frisiæ *ita scripserat; Senatum in illa causâ ita sensisse, Curatorem, qui finita Tutelâ, non fuerat confirmatus, impedire non posse nuptias puellæ, cujus res gereret. Ventilata fuerat causa prius in foro Harlingano, ibique secundum* Wybinga *eras judicatum; Curator, vel qui pro tali se gerebat, appellaverat ad Curiam; Patroni fuere* Lensius & Nys, *duo validissimi ejus temporis Advocati jurisque peritissimi. Nihil fere processu ab illis agitatum est, quam de potestate Curatoriâ* Francisci de Fries; Lensio *contendente*, Tutoris potestatem non abrogatum durare ad usque annum vigesimum quintum; Nys *contra sic iuris adfirmabat esse*, quod Tutelâ finita, Tutor pro Curatore non habeatur, sine nova petitione minoris, iudicisque confirmatione; Et quod proinde consensus ejusmodi Tutoris, qui pubertate pupillæ Tutor esse desiit, in contrahendo cum puellâ matrimonio non requiratur. *Lensius* Gailium *pro suo cliente citabat, qui* lib. 2. obs. c. 96. *ita plane arbitratur, & hoc passim moribus hodiernis obtinere testatur.* Nyssius *auctoritatem Juris Latini, Statuta nihil discrepantia, & exemplum judicati prioris allegabat. Nam ita Curiam censuisse jam olim in causa* Tjallingi à Botnia *contra* Godschalk ab Herama *in his iisdem Terminis;* non posse Tutorem absque nova petitione minoris & confirmatione Magistratus, auctoritate Curatoris uti, nec adeo nuptias adultæ, cujus bonis præesst, impedire. *Curia litem pro* Wybinga *decidit, & sententiam Judicis inferioris confirmavit; neque tantum confirmavit; sed etiam pro eodem* Wybinga *retractavit. Nam Judices Harlingani in nuptiis quidem impediendis non agnoverant Curatoris dissensum, verum tamen puellæ amicis salvum reliquerant jus suum ex Edictis ordinum adversus eos, qui puellas viginti annis minores ad nuptias sine Curatorum & propinquorum adsensu pelliciunt. Adversus hanc clausulam* Wybinga *communi-*

nione

nione appellationis usus erat, obtinuitque rescissionem ejus, nullo alio fundamento, quam quod de Fries *Curator non erat, ut quidem* D. Saekma *testatur, & ex actis liquet; nam factorum, quæ discrepantia binc inde jactabantur, nullam esse habitam rationem liquet inde, quod absque interlocutione res definitive judicata est. Tum temporis igitur, (accidit ea res anno hujus seculi* decimo nono) *sic fuit judicium Curiæ, sic usus fori valuit; si nunc aliter juris est, quæsitum velim, unde nova diversaque juris interpretatio orta sit. Non potest aliunde, quam ex abusu negligentiâque hominum; vel potius ex ignorantiâ Tutorum atque pupillorum, qui vernaculo usu vocum decepti, non putarunt interesse quicquam inter Tutelam atque Curam, ideoque simpliciter* utriusque muneris *tempora & officia conjunxerunt. Quia vero judices non solent in his muneribus, nisi requisiti, agere quicquam, non potuit fieri, quin nova confirmatio Tutorum ad Curam obeundam iret in desvetudinem; At cum hæc è mero neglectu socordiaque sit orta, non potest pro consvetudine recepta haberi; ideoque non putavit Senatus in contradictorio hujusmodi abusus habendam esse rationem; Saltem id extra omnem dubitandi aleam ponimus, adolescentes, emensâ Tutelâ, si velint, posse novos petere Curatores: quod sufficit, ad obtinendum id de quo jam disputamus;* Invitis adolescentibus non posse Curatores obtrudi: *Tametsi rursus fatemur, non videri tolerabile moribus nostris, ut recentes pubertatis pueri suæ tam crudæ potestati permittantur; quod ne Jure Civili quidem post tempora Divi Marci frequentatum fuisse credimus. Proinde, si poterit obtineri, ut sententia Juris Romani adhuc apud nos valere dicatur, causæ tamen cognitione opus esset, utrum adolescens suis rebus sufficiat administrandis, an secus; ita quemadmodum in* d. cap. 10. n. 11. *posuimus*; proinde si adolescentes *bene res suas gerant* (& sunt qui sufficiunt) bene habet, nec videntur cogendi; *si male*, in promptu erat & est hodieque remedium interdictionis: cujus evitandi gratia (nam sugillat famam) dicendum est, Consanguineos à Magistratibus petere posse, ut invitis Curator detur, vel ipsos judices id ex officio in eos decernere posse; Quod & inde ab initio fieri potest, si appareat eos non esse habiles ad res suas gerendas, ut fere sunt, qui recentes in pubertatem appulerunt.

Faciliores credo me Lectores *habiturum in eo, quod secundâ* Actione *disceptatum fuit cum* Alberto Schotano, *quod etiam heic comme-*

morare visum, quia thesis ad primam collationem *pertinebat, tametsi magis ad interpretationem Juris* Justinianæi *quam* Statutarii *spectet. Quia tamen, ut communiter à nostris accipitur, meo judicio recessum à Jure Civili esse oporteret, haud incommode huc referri potest. Sandius* lib. 2. decis. tit. 1. def. 5. *statuit ipse, & in Senatu refert esse judicatum*, filiamf. majorem annis XXV. sine Patris consensu validum inire posse matrimonium. *Nos eam sententiam, nec Statutis probari, nec Juris civilis rationi consentaneam esse, diximus* in cap. 3. n. 9. & seqq. *Addidimus, nec à Senatu ita adhuc esse judicatum; quod ut* ἀπροσδόκητον, Sandio, *ut videtur repugnans forte aliquos offenderit. Verba Sandii, quibus sententiam Curiæ demonstrat, hæc sunt;* Hinc, cum quidam filiamfam. 25. annis majorem in jus vocasset, cum qua fatebatur se inscio patre matrimonium contraxisse, filia verò matrimonium negasset, ad probandum admissus fuit, cumque in probatione defecisset, absoluta est. *Unde vulgò colligitur, si juvenis probasset contractum matrimonii, filiamfam. fuisse condemnandam. Sed quam id nullo modo tutum sit adfirmari, norunt qui judiciis interfuerunt. Nam propter multitudinem causarum, quando partes circa facti historiam discrepant, omni die contingit, ut interlocutio ad probandum fiat, etsi facta illa non sint litis decisoria; sive quod non vacet Senatoribus exactè curioseque examinare, num sine claritudine illorum causa finiri queat; sive quod speretur, è discussione factorum aliquid lucis causæ disceptationi adspersum iri. Non ita pridem hæc quæstio rursus agitata est in Senatu, super causa* Georgii Blankert *contra* Isaacum van der Hellen. *Georgius desponderat sibi filiam* Isaaci *majorem annis* 25. *sine Patris consensu, quanquam multis id egerat, ut probaret, Patrem ex post facto consensisse. Pater tamen nuptias detrectabat;* Georgius *eum in jus vocaverat, petens ut condemnaretur, permittere celebrationem nuptiarum, virgo subscripserat libello. Pater, jus patriæ potestatis allegabat, nec sibi imputari posse moram in elocandâ filiâ; esse Pastorem boni moris & familiæ, cui filiam destinaverat. Cum ad rem judicandam ventum esset, primò quidem* Domini *consentiebant, exemplum Sandii non facere judicatum Curiæ, nec adeo quæstionem adhuc esse decisam. Longè etiam pars major, re bene disceptata, sentiebant, non esse verum, quod filia major annis 25. sine Patris consensu nuptias contrahere possit: cum enim nullum sit aliud ejus sententiæ fundamentum, quam in* Nov. 115. cap. 3. §. si alicui 11. *quam urgebat D. Opponens, ille textus bene examinatus nihil ejusmodi continet. verba sunt;* si vero usque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu Parentum marito se,

se, libero tamen, conjungere; hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari: quia non suâ culpâ, sed parentum id commisisse cognoscitur. (17) *Videmus quæstionem bujus loci esse, non, an valeant nuptiæ, sed an filiæ ingratitudinis loco sit imputandum quod commiserit, ita videlicet, ut exheredari possit; qua de re per totum hoc caput unicè disseritur. Si Leges* hactenus *ignoscunt impatientiæ virginis, à Patre vel à procis tam diu neglectæ, ideone matrimonii contractus omni jure subsistet? Sandius ipse docet, ex eo quod in majoribus annis viginti puellis remittitur pœna Statutaria;* ne quid conjuges sibi mutuo relinquant, *non sequi tamen nuptias subsistere*, d. lib. 2. tit. 1. def. 5. in fin. *In hac* Novellâ *nihil habetur quam exheredationis pœnam remitti; Quid causæ est, ut ex hujus remissione pœnæ, conjugium magis convalescat; Et quare ætas tot annorum sequiorem sexum magis subducet patriæ potestati, quam filios, de quibus textus non loquitur, nec Sandius sentit: an, quia difficilius puellæ tolerant virginitatis onus, quam juvenes? ratio lenone quam Cæsare dignior. Numquid in textu* d. Nov. 115. *c.* 3. §. 11. *reperitur, quod huic sententiæ, quam mirari liceat à tam multis esse receptam, dederit causam? Proferuntur hæc verba*; si forsitan contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu parentum, marito, libero tamen, se conjungere. *Unde colligunt*, posse talem filiam, se conjungere marito. *Sed rectè Bachovius* ad Treutl. tit. de rit. nupt. th. 5. *observat, illis verbis minime legitimum intelligi matrimonium, sed conjunctionem facti qualemcumque, idque probat ex verbis* libero tamen, *quæ exceptio indicat, illic agi de conjunctione, quæ de servo etiam prædicari posset, alioqui inepta foret limitatio; at de servo matrimonium nullo modo potest dici, siquidem cum eo duntaxat est contubernium non conjugium*, l. 3. C. de incest. nupt. *Aliud à* Nobilissimo Senatore *monstratum fuit in dicenda super hac ipsâ sententia evidentius argumentum, ad id refellendum. Nam* si hæc verba, *ajebat*, si forsitan contigerit, eam sine consensu Parentum marito se conjungere, *virgini jus darent id faciendi quod in conditione memoratur, idem prorsus eveniret in his verbis, quæ habent eundem contextum*; si contigerit eam in corpus suum peccare; *cum eodem spiritu à Cæsare pronuntientur, quod tamen absurdum esse nemo non videt. Denique, Justinianus ne quidem ingratitudinis absolvit filiam viginti quinque majorem annis*, nisi parentes distulerint eam marito copulare, ὑπερθῶνται, *inquit*, rejecerint, *cum esset occasio, Plane in id* Domini *consentiebant, filiamfam. perfectæ ætatis facilius auctoritate publicâ parentis consensum elicere posse. De-*

(17) Accedit, non aliter eo casu ratum esse eiusmodi filiæ matrimonium cum homine libero, nisi auctoritate Magistratus, paternum consensum supplentis, initum, l. 19 *de R. N.* Vid. Henr. Brouer *de Jure Connub. lib. II. cap.* 24. §. 29.

Denique Blancartus *ille pluribus suffragiis tenuit sponsam; at ob rationes facti magis, quam quod ita juris esse statueretur.*

Superest, ut quid D. Schotanus in ipso actu primæ Collationis moverit, ultimo loco referamus. Aggressus est positionem XXII. capitis tertii, *quæ hæc est*, Prohibitio matrimonii inter Curatorem ejusque filium & nepotem atque adultam, quæ sub ejus cura est, l. 66. pr. d. Rit. nupt. cessare videtur in Frisiâ, quia vir ipso jure Curator est uxoris suæ. *Laudavimus auctorem* Herbajum, *qui in hanc partem inclinat* in cap. 13. rer. quotid. n. 11. & *praxis populi sic ferre videtur, quando hac ratione matrimonia impediri adhuc inauditum est. Et ratio in positione nostra suffragatur*, quia vir nunc ipso jure Curator uxoris suæ habetur. *Jure Civili hæc duo cohærent, sibique mutuo respondent, Curator non potest ducere adultam, & maritus non potest esse Curator uxoris suæ*, l. 8. ff. de Curat. fur. *Ratio utriusque propositionis est eadem, quia mulier adolescens non auderet rationes exigere à marito suo, ejusve Patre, sive ut ait Ictus in* l. 64. §. 1. ff. de rit. nupt. Ne pupillæ in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes eis gestæ tutelæ reddere compelluntur. *Si Lex Romana permisisset, virum esse Curatorem uxoris, sine dubio nec Curatorem vetuisset fieri maritum, sicut hæc præcepta juxta veterum sententiam cohærent. Proinde cum Lex Frisiæ Marito dederit uxoris Curam, quis dubitet, eandem probasse matrimonium cum adultâ, quæ sub Cura est, iniri?* D. Schotanus *hanc consequentiam non admittebat.* Ut ratio una, *sic ajebat*, rationem alteram evertat, oportet terminos habiles ejus rationis, quæ est evertenda, poni. Tu vis evertere rationem Juris Civilis, *ne femina minor absterreatur à rationibus exigendis;* hoc tentas per hanc rationem, *quia vir est legitimus uxoris Curator;* Atqui hoc casu non redduntur rationes, quibus maritum eximi Jure Frisico certum & notum est. Ponere debebas casum, quo vir ante nuptias fuit Curator adultæ; tum vero, cum antea non administravit uxoris bona, non sunt termini habiles quærendi, an impediatur rationum exactio. Proinde ratio illa, ne rationum redditio intervertatur, non tollitur, inquam, per hanc, quod sit legitimus Curator uxoris suæ. *Satis acute hæc; sed nostra sic fuit responsio; Legem Frisicam credere marito Curam uxoris ejusque bonorum, nec obstare metum, ne patrimonium ejus intervertat: absur-*

surdum videtur, fiduciam, quâ viro omne patrimonium uxoris omni tempore permittitur, eam vertere in contrarium respectu præteritæ administrationis. Lex Romana non modo præteritæ, sed etiam futuræ tuitionis respectu metuit, ne maritalis potestas curatoriam corrumpat. Utriusque eandem rationem habet; si crederet, curam marito, durante conjugio, permittendam esse, non etiam recusaret, curatorem cum adultâ copulare. Proinde, cum lex Frisica prius absolute concedat, non est, quod de posteriore dubitemus. Sed instabat D. Schotanus, *quamvis hæc omnia concederemus*, tamen juri Romano standum existimarem: Non enim continuo, ubi cessat ratio legis, etiam cessat ipsa legis dispositio. Clarum hoc est ex *l.* 1. §. 5. *ff. de Postul.* ubi mulieres prohibentur postulare, & causam ait Ictus huic Edicto dedisse *Carfaniam* improbissimam feminam, quod inverecunde admodum erga Magistratum se gessisset; jam autem, si hoc semper procederet, quod cessante ratione legis ejus quoque dispositio cessaret, mulieres, quæ non inverecundè postularent, admittendæ forent; cum tamen Prætor edicat, ne ulla mulier ad postulandum procedat. (18) Responsio *fuit, argumenti illius rationem mediam libenter à nobis concedi, sicut & alias exemplis datis demonstravimus, adversus* Leonis Augusti *philosophiam parum juridicam; videlicet, legem esse debere generalem, & iis etiam casibus obtinere, quibus ratio legis introductæ cessare videatur. ita nempe*, cessante ratione legis in certis casibus, haud tamen ideo Lex ipsa cessat, *At vero*, cessante ratione legis in universum, nemo negat *Ictus aut Philosophus*, ultrò cessare legem. *Ita quemadmodum in hac quæstione nostra accidit; Lex Romana habet hanc rationem, quod marito non credatur administratio bonorum uxoris sub titulo Curæ, ubi non est salva libertas exigendi rationes: Lex Frisica dat Curam uxoris viro, nullis unquam rationibus reddendis; cessat igitur apud Frisios Lex, quæ nititur hac formidine*, ne rationes exigi possint. *Atqui* pergebat. D. Opponens, non recedimus à Jure Romano *Frisii*, nisi contrarium claris verbis in *Statutis* expressum sit. de matrimonio autem Curatoris cum adultâ nullam in *Statutis* mentionem factam videmus; Tantum enim hoc ajunt, maritum

(18) Vocabulum *caussæ* pro *occasione* ibi accipi, tralatitium est; ratio vero prohibitionis mulierum ex *l.* 3. *seqq. de* LL. Satis manifesta est. De re ipsa quædam disputavi *Lib. II. Lect. Jur. Civ. cap.* 5.

tum esse Curatorem uxoris suæ, non Curatorem posse ducere adultam in uxorem. *Stricte Statuta esse interpretanda notissimum ex* l. 64. §. 9. ff solut. matrim. *& fieri hoc in omni jure novo testantur* Gail. 2. obs. c. 33. Faber. l. 1. Cod. tit. 5. def. 1. *adeo ut nequidem ex pari aut prægnantiori ratione Statuta sint extendenda*, Bartol. in l. omnes populi n. 60. de Just. & Jur *idque vel maxime locum habere volunt, quando agitur de Jure communi derogando*, Gail. d. obs. 33. n. 2. in fin. & num. 9. *Verum* ego sic existimo, Statutis hac parte nihil convenire, nisi quod de legibus aliàs predicetur, scil: casus omissos in lege non esse supplendos interpretatione, sicut docetur in *d. l.* 64. §. 9. constitutiones generales sine dubio continent omnes casus speciales. Est lex generalis; *Nuptiis solvitur patria potestas*; non est dubium, quin omnes effectus patriæ potestatis per hanc regulam sublati sint; perinde, Lex est; *vir est legitimus Curator uxoris suæ*; Ergo omnes effectus hujus permissionis lege comprobati sunt; quos inter sine dubio, quod Curator adultam suam possit habere in uxorem.

Audivimus quinque Egregios Jureconsultos, gravissimas Quæstiones Juris disertis orationibus agitantes; Sextus qui invitatus receperat se de partibus futurum, tum quidem itinere transmarino impeditus, scripto mecum communicavit suas cogitationes, adversus duas è positionibus nostris; Erat is Paulus de Ghemmenich *Advocatus doctrinâ & ingenio nulli secundus. Nolui committere, quin id quod in literas redegit, huc quoque referrem, duntaxat ad alteram positionum. Nam prima quam impugnare voluerat* thesis VI. cap. 3. *à Cognato ejus* Zachæo de Ghemmenich *occupata fuerat. Sategerat alioqui probare, quod* qui ducit puellam minorem annis XX, sine Curatoris consensu, non privetur lucro, quod Jus Statutarium alioquin in bonis uxoris concederet. *Non habiturus erat nimium me in hoc articulo difficiles, ut* superius *non dissimulavimus. Altera quæstio reperitur in* th. 15. cap. 6. *de quâ sic disputat Consultissimus Advocatus:* Statuit illic Amplissi. Ex-Senator, Patrem non amittere usumfructum in bonis filiifam: nisi expresse nuptiis ejus consenserit, non sufficiente simplici tolerantia ac taciturnitate. Contra quam sententiam non ineptè quis ita argumentaretur: Si conniventia, ac simpex tolerantia Parentum sufficiat, ut nuptiæ Liberorum censeantur legitimè contractæ, sequitur ut & illæ sufficiant ad Pa-

triam potestatem rite tollendam. Consequentia hæc diserte expressa est *lib.* 1. *stat: tit.* 6. ubi hæc verba: **Dat in dese Landen de Kinderen geeximeert worden van de macht van hunnen Vader door den Echt** (id est, matrimonio legitimè contracto) Et prius membrum verum est, vel ipso Sandio (alio quin hac in parti dissentiente) teste *libro* 2. *tit.* 1. *defin.* 2. §. *Succedit nunc* &c. per *l.* 7. §. 1. *l.* 12. *π. de Sponsal: l.* 5. *Cod. de Nuptiis.* His præsuppositis & corroboratis, sequitur infallibiliter, ut si ipsa Potestas patria nuptiis hoc modo contractis ipso jure tollatur, & ejus effectus omnes, etsi maxime parentibus sint lucrosi, tolli ac dissolvi, utpote causa sublata, tolli effectus notissimum. Imo, inquit Sandius *Lib.* 2 *tit.* 7. *def.* 5. Expressus patris consensus requiritur, cum agitur, de summo ejus præjudicio, nempe de tollenda potestate patria, re inæstimabili, *l.* 119. §. 8. *de Legat.* 1. non sufficit taciturnitas, non conniventia. Sed unde probat hoc Vir Amplissimus? Equidem non ex verbis statutorum nostratium, cum nec in *supra citat: titulo* 6. ulla mentio fiat consensus expressi. Nec in §. 6. & 7. *tit.* 1. *eod:* ubi ex professo agitur de concessione ac prohibitione Parentum; namque simpliciter ibi consensus requiritur sine distinctione, expressus an tacitus fuerit. Ergo, cum statuta nostra hoc requisitum non exigant, recurramus ad Jus Civile, quid illic Juris: Atqui in Jure Cæsareo nihil minus quam consensum expressum requiri, vel ipso Viro Amplissimo judice, textibusque supra allegatis edicti sumus. Imo, *ais*, non præsumitur Parens tantum lucrum tanto sui præjudicio tacite ac conniventer remittere voluisse. Quid? si taciturnitas & conniventia, ut jam dictum, sufficiant ad ipsas nuptias ratificandas, qua Potestas ipsa Patria, res inæstimabilis, radicitus tollitur, quidni sufficient illæ ad unum ejus effectum subvertendum. Scilicet habent, quod sibi ipsis imputent Parentes, quod ab initio nuptias non prohibuerint, quod summo jure ex patria potestate facere potuissent, siquidem indignam filiusfam. duxerit. Sed si principium & antecedens prohibere, cum possint, noluerint, frustra conqueruntur de consequentias ex antecedenti hoc necessario, & ipso jure oriundas: Nempe, non videntur sentire damnum quod culpa sua sentiunt, ait Regula Juris. *Ipsa verba, sicut ea* D. Advocatus *scripto transmisit,*

uno contextu collocavimus; *nec enim, ut reliquorum dicta, sicut erant reciprocata, retuleramus, idem hac occasione servare potuimus. Equidem secuti sumus in hac positione* Sandii *nostri sententiam, qui, quod leges ajunt, valere nuptias, si pater sciens eas celebrari non contradicat; hactenus id interpretatur, ut ne contrahentes incidant in pœnas legibus statutas in eos, qui sine parentum jussu ineunt nuptias, atque ut liberi ex ejusmodi matrimonio nati pro legitimis habeantur, ut est in* l. 5. C. de nupt. *sed inde non sequi, Patrem sine suo facto amittere jura Patriæ potestatis, quæ ut naturâ sua est inæstimabilis*, l. 114. §. 8. d. Legat. 1. *ita continet effecta vere pretiosa, cujusmodi est usus fructus bonorum adventitiorum. Nec ratio deest huic opinioni: Sunt enim distinctæ positiones*, Nuptiæ valent, & Patria potestas tollitur, omnesque ejus effectus; *nec est quod vetet, cum olim nunquam tolleretur patria potestas per nuptias, nunc aliquem extare casum, quo idem juris adhuc sit.* (19) *Non sequitur igitur quod colligit* D. Advocatus; *Si patris silentium sufficit, ut nuptiæ pro legitimis habeantur, oportet, id quoque sufficere ad patriam potestatem tollendam. Ecce; Pater videt nuptias iniri, & tacet. Lex requirit jussum patris præcedentem*, pr. Inst. de Nupt. *non placet tamen rescindi matrimonium patris causâ, quod in ejus potestate fuit, ut ne rescindi necesse fuisset. Accedit deinde filius, petit, ut pater usumfructum bonorum suorum dimittat. Pater recusat: ait, se nullo dicto vel facto egisse quicquam, unde suo jure cecidisse dicatur. Imò vero, instat filius:* Non prohibuisti me ducere uxorem: habes quod tibi imputes. Silentium meum, *regerit ille*, fecit, ut hoc quod agebatur transiret, ut id quod videbam subsisteret; non potuit eo trahi, ut etiam consentire viderer in id quod non agebatur, quod non videbam, in ademptionem juris mihi dudum acquisiti. *Filius urget per* Statutum, *quod ait:* liberos eximi patriæ potestati per matrimonium. *Sed tam generalia verba non patrocinantur filio filiæve in re pessimi exempli, & casu singulari: Sprevit filia patris auctoritatem: Hic majoris mali vitandi causâ noluit uti rigore juris sui, ne filiam prostitueret, domumque spuria prole repleret, passus est con-*

(19) Quum idem in omnibus conventionibus *taciti* consensus, qui *expressi*, effectus sit, ac nominatim in sponsalibus, nuptiisque, *l* 2. *D. de pact. l.* 7. §. 1. *de sponsal. l.* 5. *C. de nupt.* in alia hic omnia eundum censeo.

conglutinari nuptias: *Ideone filia patri insultabit*, *ut etiam jus ei suum auferat*? *Lex hactenus indulget*, *ut liberi ex illis nuptiis legitimi nascantur*, d. l. 5. C. de nupt. *nihil amplius proditum est*. *Sit discrimen aliquod inter obsequentes liberos*, & *contumaces*, *qui periculum facere audent*, *quibus suis flagitiis impar sit Parentum pietas*. *Præterea solutio patriæ potestatis per nuptias fit*, *quia Pater hoc modo liberos* emancipasse *videtur*: *sed* emancipatio *consensum duntaxat expressum requirit*. (20) statutum *igitur*, *matrimonio solvi Patriam potestatem dictans*, *præsupponit id*, *quod lex ad matrimonium requirit*, *jussum patris antecedentem*, *nec intelligi debet de nuptiis*, *quæ indirectè per conniventiam qualitercumque sustinentur*. *Denique non habet rationem*, *ut in eo quod jussum requirit* expressum, *tacitus consensus operetur ultrà*, *quam tempore silentii agebatur*. *Cur enim tacens consentire censetur*? *quia scit factum* & *videt*: *si locutus esset*, *hoc impedivisset quod gerebatur*; *silentium igitur ad id quod geritur se refert*, *non ad id quod nullo modo actum fuit*. *Atque hæc pro sententia* Sandii, & *ad rationes adversus eam probatas*. *Erit tempus*, *si volet Deus*, *quo hæc res*, *cæterarumque merita quæstionum plenius excutientur*, & *singula consideratius examinabuntur*.

His ultroque citroque absolutis, nemine se porro ad rationes communicandas offerente, finis actioni est impositus, his verbis.

Desinat igitur hic actus, ut omnia rectè instituta debent, in gratiarum actione, *primo erga Deum Ter Opt. Max.* sine cujus auxilio omnia proposita & incepta incassum & in irritum cedunt; quod in his auspiciis potenti suo præsidio nobis adesse voluerit, eumque supplices rogemus, ut & reliquos conatus nostros gubernare, & in utilitatem publicam, suique nominis gloriam provehere dignetur.

Tibi quoque Magnanime PRINCEPS, humillime gratias agimus, quod hanc panegyrin fulgore præsentiæ tuæ illustrare volueris; & profecto consentaneum erat, ut hoc etiam sublimi honore mactares eum actum, quem Tu pene totum feceras, utique ad hunc modum, & exemplum. Quippe semel iterumque *Celsitudo Tua* declaraverat, non debere formam vo-

(20) Et huic sententiæ contraria videntur, quæ de *tacita* emancipatione in *l* 25. *D. de Adopt* & *l* 1 *C. de pat. pot* sanciuntur. Conf *l.* 1. § 4. *D quando de pec ad ann. est* & *l.* 5. §. 1. *de agnosc. libb.* Ceterum, qua dissentientes utuntur, *l.* 3. *C. de pat. pot.* solam *expressam* ac solemnem respicit.

vocationis Academicæ, quam accepturus essem, ad ordinarios ritus comparari, nec posse me, salvo honore provinciæ, de Senatore tam *Illustris Curiæ* titulum adsciscere dignitatis, honestissimum quidem illum, & cujus me neutiquam pœniteret, attamen aures hominum minus implentem reputatione honoris, quam fecerat illud munus, quod è *Tuis* manibus acceperam. Ita nihil maximum, minimum, Judicii Tui curam fugit, quâ omni die bene mereris de Republica, bene de Ecclesiâ, bene de Academiâ studiisque liberalibus. Perge ita tibi conciliare, tibi pignorare corda civium, in iisque regnare non impotentibus dominandi arcanis, verum sceptro amoris, quem adspectu & alloquio, quem virtute tua efficacissime omnibus inspiras. Sic Tibi *Rex Regum* successus ubique gloriosos, fortunamque meritis parem, id est, augustam largiatur.

Vobis etiam *Nobilissimi & Spectatissimi Proceres* ingentis beneficii debitor sum, quod huic actioni, quæ sub auspiciis vestris dedit auspicium functioni, quam Patriæ patres honorifice mihi imposuerunt, interesse voluistis. Spem mihi vultu, oculis, & fronte læta præbetis, fore ut imposterum optima quæque de favore vestro concipere, mihique polliceri possim. Sic benignitas, sic humanitas, quâ me, quâ omnes bonis artibus deditos excipitis, confidere jubent. Bene, precor, res vestras, bene Rempublicam gerite, gloriamque propagate, quâ modo FRISIAM accurato sapientique regimine vicinis invidendam posuistis, atque tuemini.

Vos etiam, *Amplissimi Senatores*, accipitè grati addictique animi testationem, ob honorem hujus diei; vos estis, quibus peculiariter hæc mea subjicio atque commendo: *Subjicio*, quatenus censura vestra erit regula, secundum quam mei conatus, qui quidem hujus generis erunt, prospere vel secus evenient: *Commendo*, ut favore vestro, quæ opportunè à me dicta, scripta, videbuntur, sublevare; quæ secus, ignoscere, benevolentiâque vestrâ animare me velitis, ad ea quæ pro communibus studiis voce calamoque conferre satagam.

Vos Celeberremi Dni Professores, quibus ante triennium amanter valedixi, jam lætus iterum saluto. maximam atque suauissimam vitæ meæ partem vobiscum transegi; quod reliquum divina bonitas largietur, id iisdem vobiscum studiis ac institutis spero transa-


ctum

ctum iri. Nec mea vobis officia defutura spondeo, nec minus ego mihi de amicitâ jucundâque consvetudine vestra polliceor, & habemus utrique rationem mutuæ hac parte fiduciæ.

Jam vobis *Consultissimi*, *Doctissimique* Viri, qui dissertationibus vestris erudire nos & exercere voluistis, formamque & decus huic actioni addidistis, non tam officii vestri honore gratias ago, quam habeo & amplius habere volo; sicut animi dicitur ingenui esse, cui multum debeas, huic plus debere velle; respicere me ad secuturas exercitationes menstruas, quas habere constituimus, intelligitis. Auguror animo, si porro hisce studiorum digressionibus incubueritis, atque in tempore Academiæ Antecessoribus opus fuerit, non defore Proceribus domesticæ electionis copiam, si quis vestrum ad antiqua studia, meo exemplo, redire in animam induxerit. Denique in hoc serio triumpho, quod tot talesque viri omnes è nostra disciplinâ, quod licet audiat Invidia, prodierunt.

Denique, vobis *Nobilissimi Juvenes*, quid dicam aut quid non dicam? præstat, opinor hac horâ tacere, quam pauca loqui. Condico vobis diem XXVI. hujus mensis, horam primam pomeridianam, quâ Collationem Juris Romani cum moribus seculi primam hoc eodem loco instituemus: atque tum consilii nostri copiam, quo studiis vestris, si commodum erit, utamini, explicabimus.

DIXI.



ULRICI HUBERI
ORATIO II.
Habita domi ipſius, ante primam
JURIS ROMANI
cum moribus ſeculi Collationem

a. d. v. kal. Maj. CIƆ IƆC LXXXII.

Quâ exponit, quibus rebus otium ſuum apud Academiam ſit occupaturus.



Uanquam in prima *Juris Friſici cum Romano Collatione*, quæ functioni publicæ, à Proceribus honorificè mihi delatæ, nuper auſpicium dedit, de ratione ſtudiorum, deque meis inſtitutis, quod tum videretur, abunde verba feci; condicere tamen vobis hanc horam memini, *Juvenes Ornatiſſimi*, quâ pluribus dictis conſilii mei copiam vobis facerem, animique propoſitum explicarem, qua ratione potiſſimum ſtudiis veſtris opitulari me poſſe cenſerem. Etſi enim publico decreto nil mihi conſtitutum ſit, quam *ut ſcribendo Juris publici privatique doctrinam illuſtrare ſatagam, vobiſque aditum apud me domeſticum præbeam*, quando tamen verba Procerum conſideratius expendo, *ut illos aditus ita regam, ſicut utilitati veſtræ, gloriæque Academiæ potiſſimum convenire viſum fuerit*, non poſſum inducere in animum, quin ita faciendum ſit, ut rationes ineam, quibus opera mea vobis ad ſummam doctrinæ conſequendam prodeſſe queat. *Princeps Gubernator*, Academiæque Curator Magnificentiſſimus, auctor fuit *Ordinibus*, ut cum è Senatu Supremo exiiſſem, denuo me

me Academiæ ſuæ vindicarent, ſed obſervato Senatoriæ Dignitatis honore; Propoſitumque fuit, ut *Honorarii Profeſſoris* titulo me condecorarent. Quominus id ita decreto proſequerentur, non diffiteor à me ipſo fuiſſe procuratum: Exiſtimabam enim ejuſmodi diſtinctionem plus invidiæ mihi cumulaturam eſſe, quam mediocritati meæ expediret; propter onus enorme comparationis, quæ ab exemplis maximorum hominum *Scaligeri*, atque *Salmaſii*, (1) qui hac appellatione dignitatis ſoli in Belgio noſcuntur, mihi imputata fuiſſet. Nam cum eam nullâ parte explere me poſſe ſentirem, committere nolebam, ut ſimilitudine tituli tantorum nominum æmulationi ingeſſiſſe me videret. Præterea ſic cogitabam; Illos Heroas nihil aliud præſtitiſſe, quam ut præſentia ſuâ *Lugdunenſem* in *Batavis* Scholam illuſtrarent, famâque nominis ſui plus venerationis Academiæ conciliarent; cæterum Inſtitutionis publicæ privatæve copiam Juventuti nullo modo faciebant. mihi vero ſic erat conſilium; *non reſpuere vim laboremque docendi*, ſed in appellatione muneris obſequi judicio *Procerum*, qui ut clariſſimo *Profeſſorum* Collegio inferendum me non putabant; ita pro interpretatione honoris ſufficere memoriam dignitatis, quâ defunctus eram, judicabant. Nec hujus quidem formæ exemplum ſatis illuſtre deerat. *Johannes Freinshemius*, (2) quem *Heidelbergam* ab *Electore Palatino* vocatum noveram, atque cognoveram, ſine titulo *Profeſſoris*, at intra privatos parietes quotidie docentem, ſicut ipſemet ejus inſtitutione domeſtica uſum me recordabar; In publicis interim, ut *Conſiliarius Regius*, & ſede proximus à *Rectore Magnifico* honorabatur. Exiſtimavi, me ſalvo decore hujus inſtituti, ad ejus viri ſine dubio magni imitationem meas vias dirigere poſſe. Quare jam, remoto velo, non erubeſcam profiteri, *Juvenes Ornatiſſimi*, me juxta viros Clariſſimos *Anteceſſores* veſtros, omni ſtudio animique conventione privatim operam daturum, ut in Stadio Juris decurrendo ſinguli feliciter optatam metam adipiſcamini. Jam quia plurimum intereſt, quâ viâ proficiſcaris ad iter tuum proſperè abſolvendum; ſiquidem plures ſunt, quæ ad The-

(1) Huic tamen poſteriori *Profeſſoris* titulum, ne *Honorarii* quidem publice datum fuiſſe, negat in *Eius Vita* Ant. Clementius *pag XLII.* (2) Vid. Henning. Witten, *decade VII, Memor. Philoſ. p.* 346. - - 360. *ſeqq.*

Themidos sacrarium ducunt, monstrabo vobis eam viam, quâ & ipse potissimum incessi, quâque multos antehac egregios viros haud pœnitendo successu perduxi. Non perreptabo vobiscum gyros aut ambages, nec etiam calles angustos compendiarium iter at periculosum promittentes; sed via communi regiaque procedam. Atque adeo, ne per ænigmata de re, quam simpliciter evidenterque vobis explicare debeo, loquar, existimo, *Juvenes*, attente considerandum esse, quam rem agamus & quem finem ego vosque nobis propositum habeamus. Non potest autem fieri, ut errem, si dixero, summam desiderii vestri meique voti in eo consistere, ut aliquando fiatis Juriconsulti. proinde sciamus oportet, quid hoc sit, esse Jureconsultum. Non opus heic erit *Ulpiani* egregii magniloquentiâ, qui dicet, eum esse *Themidos sacerdotem*, *veræque non simulatæ philosophiæ professorem*: vox ipsa solo audito suggeret ejus officium; qui *de jure consultus*, inquam, *respondere*, *cavere*, *scribere possit*. Nam hasce tres facultates in bono Jureconsulto inesse oportere de Marco Tullio in *oratione pro Muræna* accepimus. *Respondere* dicitur, qui de facto controverso rogatus præcepta juris ei facto applicare, quidque faciendum, aut non faciendum sit, explicare potest. *Cavere*, qui secundum naturam cujusque negotii prospicere potest, idoneis cautionum clausulis, adversus hominum fraudes exitusque rerum improvisos. *Scribere* verò dicebatur olim Jurisconsultus, quando formulas actionum, quibus in foro litigantes uterentur, præscribebat; hodie, qui consilia dictare, scripturasque omnium rerum, in judicio, vel extra judicium, concipere potest, *scribendi* partes implere videbitur. Intelligo fore qui dicent; *Tu nobis Jureconsultum forensem atque pragmaticum formare paras, nos saltem de Theoriâ, doctrinâque Academicâ laboramus.* Scio, *Præstantissimi Juvenes*, neque periculum est, ut praxin ego cum theoriâ confundam, nec quæ in scholis, aut in foro docenda; discenda sunt, minus ac oporteat distinguam: sed theoreticum studium ita velim instituatis, ut ad practicum & forense vos præparet atque ducat. Etenim omnis ars nostra, quam à Justiniano habemus, tota, ne ignoretis, est practica, more saltem loquendi obtinente, ut disciplinam, quâ præcepta praxin docentia comprehenduntur, Theoriam appellemus. *Practica*

nihil,

nihil, inquam, est aliud quam *facultas applicandi jus ad occurrentes facti species*; Theoria nihil quam *notitia & memoria præceptorum, quæ applicari debent*, ad praxin gubernandam. Hoc igitur credite, & proponite vobis, ut in Academico studiorum cursu de praxi cogitetis, quemadmodum eos, qui in foro versantur, identidem ad Academiam respicere oportet. Nolite tamen metuere, ne vobis in Academiâ forensibus curis atque præceptis molestiam creatùm eam; plus satis experiendo cognovi, quàm discendi applicandique rationes diversa requirant instituta nec in una sede morentur. Duntaxat id intelligo, cum in docendo ad *usum practicum* respicere velle dico, me id acturum, ut mascula institutione solidam Juris scientiam, quæ est norma praxeos, utiliter & efficaciter adipiscamini, primò quidem facili & expedita via, dein accuratius & acriori laboris intentione, si qui vestrum in intima Themidos adyta penetrare volueritis: *adeoque duplex quodammodo Juris stadium, studiumque, vobis propositum esse videre mihi videor.* Primum ad exterius Justitiæ templum vos deducere potest, & libere decursum sufficit, ad exercitationes forenses cum fructu suscipiendas; alterum magis arduum & difficilius, quo non sine multo sudore perseverantiaque eniti & eluctari possitis. De *primâ viâ*, quæ omnibus calcanda, primo videamus, & deinde, si quid temporis supersit, aut aliâ occasione, de *secundo* altiorique studio disseramus. Igitur primus studii Juridici cursus incipit ab Institutionibus Justinianæis, & desinit in quinquaginta libris pandectarum, non ut omnia in illis tradita plene penitusque intelligatis, multò minus cum glossis & commentariis, nec etiam ut in antinomiis locisve perplexis toti sitis, sed hoc agatis, ut universam Justiniani doctrinam *paratitlari* memoriâ complectamini. At jam hæc res ita comparata est, ut latioris indigeat explicationis & instructionis adversus eorum sententias, qui hanc instituendi viam, ut nos præeundam putamus, non probant, nec ad veram proficiendi rationem pertinere judicant. Paratitla *Justinianus* in constitutione, quam de *conceptione Digestorum* fecit, appellat ὑπομνήματα sive *admonitoria*, quibus singulorum capitum principia, summæque regulæ, studioso repræsentantur, cujusmodi *indices* (nam sic etiam appellat) ad suos libros so-

tummodo scribi permittit; *commentarios autem ad textum componi publicarique severe prohibet*; ne verbositate sua compendia Juris corrumpant, infinitâque varietate certitudinem artis confundant: quod evenisse post sapientissimi *Principis* excessum, voluntate ejus hac in parte neglectâ, docuit abunde experientia. Scribenda sunt hæc paratitla *subtiliter* ut ait *Imperator*, hoc est, ita ut paucis multa dicant, & substantiam cujusque tituli nervose comprehendant, quod aliter quàm definitionibus & divisionibus, earumque succinctis expositionibus, effici non potest. Expedit etiam, ut non modo quæ in quâque Rubrica *Institutionum* & *Pandectarum* inveniuntur, ita in summas redigantur; sed ut quæcunque nova notabilia in *Codice* atque *Novellis* extant, eòdem identidem referantur; siquidem ita res fert, ut primus hic & levior studii Juridici cursus *Pandectis*, ut dictum, post *Instituta* contentus esse debeat, relicto *Codice* atque *Novellis* studio addendi conferendique in materiis parallelis, sicut indicavimus. Nec est, ut ægrè ferat genius *Justiniani*, si nonnulla quæ post tot secula, mutatis hominum moribus, aliter ac ipse voluit, recepta sunt, juxta *Ipsius* paratitla brevissime collocentur. Ad hanc formam & imaginem, *Ornatissimi Juvenes*, concepi novissime *positiones* meas, sive *Lectiones Contractas*, ad *Institutiones*, & ad *Pandectas*, (3) necdum luci datas, sed quarum specimen hodie vobis exhibui, ut more disputandi ventilarentur. Primo enim nihil sunt aliud quam ex mente *Justiniani* ὑπομνήματα; sive admonitoria, summæque singulorum capitum regulæ efficaci brevitate substantiam eorum exhibentes, collatis in eundem locum Juris novissimi sententiis, morumque generalibus discrepantiis. Præterea, *Juris certi* institutionem imprimis pollicentur, sed operam dedimus ut perpetuo artificio aculei controversiarum iis innecterentur, adeoque tam lectionibus privatis, quam disputationibus aptæ & accommodatæ essent. Audeo vobis polliceri, *Juvenes Nobilissimi*, non de nostrâ in hoc opere industria, sed de genere illo scribendi insti-

(3) Sæpissime recusas, & in Germania aliquoties, cum Scholiis, novisque additionibus *Chr. Thomasii*. Sed & ex utrisque Positionibus, *Institutionum*, & *Pandectarum*, brevis Repetitio, ultimum edita Franequeræ anno 1698, ab Ampl. filio *Zacharia Hubero*.

stituendique, si quis has positiones bene explicitas, & probè intellectas memoriâ judicioque complexus sit, eum Juris certi controversique, Academici & forensis, egregiam facultatem possessurum. Non debeo vos celare, quod post longam discendi docendique trituram, & recentem fori experientiam, certissimum verissimumque comperi; nullum esse majus arcanum in sacrario *Themidos*, quàm quod minime arcanum esse videtur; *Clara videlicet ac exprompta memoria paratitlorum, sive positionum Juris in compendium redactarum methodo Justiniani.* Si me auditis, non inducetis in animum diffundere lectionem per plura volumina, fontibus exceptis, ante quam positiones Juris, ut diximus, ita digestas adsiduo labore subactas in succum inque sanguinem verteritis. Nunquam in disputando, in patrocinando, vos argumenta defendendi opponendique deficient, nunquam in consiliis quod prompte respondeatis, in judicando quod incontinenti decernatis; denique, si ex tempore; si valide vultis esse Jureconsulti, si theoriam, si praxin exercere feliciter, hoc agite, ut fundamenta generalia *Institutionum & Pandectarum*, moribus seculi adtemperata, tam exacte, tam exprompte teneatis, ut semper in animis vestris obversentur, ultroque non arcessita præsto esse queant. Certi estote, inquam, nec in *respondendo*, nec *cavendo*, nec in *scribendo*, vos hæsitaturos, si mediocris exercitatio applicatioque judicii accedat. Non ignoro multa esse, quæ adversus hanc methodum discendi docendique moveri possunt, nec esse pauca quæ ipse non tam adversus, quam circa & juxta eam requirenda putem; sed his deducendis aliâ novaque opus est oratione, quam sequenti exercitationi reservamus. Nunc porro vobis aperiam, qua via modoque privatim vobiscum procedere cogitem, ut ejusmodi notitiam fundamentorum Juris quam minimo temporis operæque dispendio adipiscamini. Nam quid coram omnibus Juris studiosis acturi simus, jam credo vos è rebus ipsis actionibusque intellexisse. Proceres heic loci me honoraverunt, ut *Jus Civile*, Jus *Frisicum*, atque *Publicum* scribendo illustrare satagam. Id acturus singulos menses ita dispertitus sum, ut de *Jure Civili* binas exercitationes voce scriptoque domi meæ instituam, insuper unam *Juris Publici*,

blici, (4) & alteram de *Jure Statutario*, quod est hujus Provinciæ proprium. Hæc omnia nunc agimus & acturi sumus, quamdiu supremus ille rerum arbiter permiserit. Præterea constitui in gratiam eorum, qui me privatim adibunt, singulis diebus interpretari *Positiones Justinianeas*, quæ sunt ad quatuor libros *Institutionum* juxta meas Lectiones; in quibus id profectò reperietis, quod in familiari institutione vehementer expedit; illud inquam Nestoreum apud Homerum, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, *pauca quidem, at significanter & valide*; subtiliter inquam, sed perspicuitate salva; vel ubi per rerum potius quam verborum obscuritatem, deficere videbitur, adjuvabimus eam per interpretationem; quæstionesque thesibus implicitas breviter eductas enucleabimus. Hæc ita, quantum per temporis rationem fieri poterit, explicita Auditores domi suæ recolligent, cum Institutionum textu comparabunt, judicio digerent, memoriæque commendabunt. postridie repetendis eisdem quæ audita & exposita sunt operas conferetis, alii sedulo auscultando, alii verò qui lege severa proficere velint, examen participando, quod inprimis vobis auctor sum, ut generose admittatis. Incredibile enim est, quam ea sit valida res ad excitandos animos, acuendum judicium firmandamque memoriam, quæ duæ res quam futuro Jcto sint necessariæ, non potest ignorari. Repetitione absolutâ, cum iis, qui rogari non gravabuntur, pergendum in explicatione, sicut antea observatum fuit, usque dum *Institutiones* sint absolutæ, quod semestri Academico peragi potest ac debet. Alia hora, quæ commoda nobis, incommoda nulli, *Pandectæ* explicabuntur, etiam juxta positiones nostras maximâ jam parte typis excusas, eodem modo methodoque ac in Institutionibus declaratum est. At hic quidem multo plus reperi difficultatis, Auditores, quamdiu Juris doctrinam professus sum, ac in *Institutionibus* explicandis offenderam. Nam in hisce tanta varietas est compendiorum systematumque, ut non sit difficile unum alterumve ex iis eligere, cujus ductum sequi liceat, absque periculo tædii studiosorum ex prolixitate librorum; sed in Pandectis adhuc judicatum est deesse tale compendium, quod jus certum controuersumque justa ac-

(4) Vid. plenius de hoc instituto Auctor in *Orat. III.*

accuratione complecteretur, tædiumque prolixitatis concinna brevitate declinaret. Expertus ſum varios in hunc uſum Scriptores. primus, quem pro collegio Pandectarum Interpretatus ſum, erat *Weſembecius*, quem ſenſi magis aperte præferre genus illud pragmaticum, quam ſcholaſticæ inſtitutioni conveniat; etſi enim plane cupio, ut diſciplina ſtudioſorum eos habiles ad forum reddat, nolo tamen id aperte ſonoque pragmatico, ſed more Academico fieri; præter quod ſtylus *Weſembecii* magis poſtulat, ut contractus ob oculos ponatur, quam ut explicetur & evolvatur: ego autem ita cenſeo, poſitiones hujus generis tam breves eſſe debere, ut à tardioribus facile retineri, & à fortioribus ingeniis ampliari, cumque fructu ad alia produci queant. Exiſtimavi aliquando, *Treutleri* theſes, utpote breves & efficaces, huic ſcopo egregiè convenire; quæ & olim in Academiis regnum, ut ait Bachovius, hac cauſâ uſuque tenuerunt. Poſtea ſive *cavillis Bachovianis*, ſive natura hominum mutationis avidâ factum eſt, ut *Treutlerus* obſoletus habeatur; mihi tamen cum perplaceret, in domeſticis ad Pandectas lectionibus eum explicare cœpi; ſed uno tantum collegio: quia comperiebam exegeſes theſium; (quippe ſolæ nimis jejunæ fuiſſent) tantâ multitudine rerum undique refertas eſſe, ut unius anni ſpatio non poſſent abſolvi; perſuaſus ſum autem frequenti experientia, non valere collegia, quæ diutius anno durent. Atque hæc eadem ratio fuit, quare *Struvium*, huic uſui non putaverim adhibendum, neque *Zoeſium*, cui non docendo ipſe, verum diſcendo, collegialem operam olim adhibueram. Egregii ſcriptores illi, ſed legendi potius ſeorſim, quam pro exemplo domeſticæ inſtitutionis habendi. Ad *Pacium* vir ſummus *Antonius Matthæus*, quem *Ultrajecti* audivimus, habere ſe Collegia profitebatur, ſed nomine potius quam reverâ. Namque ſua methodo Studioſos perpetuo examine, ſine reſpectu ad Pacium exercitabat: qui alioqui nimium parcus & inæqualis in *Iſagogicis* eſt, quam ut ſolidam Juris peritiam ex eo percipere poſſitis, Idem de *Corvini* aphoriſmis manifeſtum eſſe credo. Sed Examen *Schotani* ad uſum noſtrum proximè omnium accedere videbatur, frequenterque Academiis uſurpatur, præſertim, quia facile atque perſpicuum, quo ſtudioſi maxime & erudiuntur & delectantur.

 tur.

tur. Sed me offendit in illo nescio quæ nimia & quasi ſtagnans ſimplicitas, nihil intus habens quod enucleare, nihil in quo pedem figere poſſis, nihilque penitus ad intellectum juris controverſi ſuppeditans. Hæ ſimilesque cauſæ reſpectu horum aliorumve ſcriptorum occaſionem dederunt *Anteceſſoribus*, quos ego adoleſcens audivi, *ut nullum in rei veritate ſequerentur Auctorem*, ſed ipſi de ſe paratitla vel explicando, vel examinando traderent Auditoribus, utcunque ſe hunc illum ſecuturos affirmarent. Unum etiam ex illis memini hominem clarum, & dexteritate tractandi ingenia mirabilem (5) hujusmodi uſum eſſe commento apud Studioſos, quorum alii petierant, ut *Weſenbecium*, alii ut *Treutlerum*, vel *Pacium*, alii rurſus ut *Zoeſium*, vel *Schotanum* ad argumentum collegii deligeret, denique alii ut præcipuas leges interpretaretur, ſingulis liberaliter promittebat, ſingulorum propoſita laudabat; omnes tamen uno veterique ſuo modo tractabat; haud diſſimilis cauponi cuidam in civitate hujus Provinciæ celebri, apud quem nobilesRuſtici ſæpe commeſſabantur, alius vinum Burdigalenſe, alius Cognacenſe, aut Frontigniacum, rurſus alii Lagonicum, vel etiam Rhenanum, aut Moſellanum flagitare; Ille nulli non reſpondebat, eſſe copiam ſibi, mox habituros, & omnibus ex eodem dolio, quod unicum habebat, eundem liquorem tot nominibus audacter inſignitum promebat. Sed *Anteceſſor* ille non abſurde (conſulebat adoleſcentibus, qui per ſe nunquam convenire potuiſſent de modo rei ponendo, cujus erant inexperti. Cæterum oblivisci non debeo *Wiſſenbachii* noſtri, cujus ad Pandectas commentarios in uſum domeſticæ inſtitutionis aliquoties Studioſis ita rogantibus, adhibui, & libenter, quia præceptoris mei ſententias validè poſſidebam magnoque commodo reputabam, ſi in primis diſciplinæ fundamentis acquieſcere, animumque ſtatim ad altiora conferre licuiſſet. Sed quominus tantum bonum adipiſci potuerim causâ evidente factum eſt, quia non viſum fuit *Egregio viro* Artem integram uno nexu conjunctam tradere, ſed quæſtiones præcipuas ſeparatis deductionibus illuſtrare, mixtis aliquando defi-

(5) Intelligere videtur *Do. Frid. Böckelmannum*, de quo plura in *Dialogo, de rat. doc. ac diſc. Jur.*

definitionibus & partitionibus, minime tamen omnibus, nec illis quidem ita, ut plane penitusque intelligi possent. Reliqua tanquam faciliora cognitu & aliunde petenda præteriit, quæ in familiari institutione nullo modo præteriri possunt; nec adeo ille scripsit hoc animi proposito, ut suis libris in hunc modum uteremur, quemadmodum in ipsa exercitationum suarum inscriptione satis indicavit, cum dixit, *eas in præcipuis cognituque maxime necessariis difficultatibus commentarii vice functuras.* Sed jam vestrum aliquem audire videor interrogantem, *nunquid Tu, fastiditis tot eximiis scriptoribus, autumas te confixisse cornicum oculos, & invenisse rationem, quam in Pandectis familiariter explicandis tuto sequi & probare possimus?* Imò vero, Absit à me, ut Auctores modo à me recensos aspernanter habere videar homines meriti gloriæque plenos, eo solo quod eorum scripta parum ad usum domesticæ Institutionis pro more seculi captuque juventutis nostræ accommodata putem; quin imò scitote, me non fore difficilem, si qui vestrum aliquem istorum privatis interpretationibus illustrari, seque ad eorum ductum erudiri cupiant. Cæterum, de me sine hæsitatione respondeo, *me non esse tam ineptum, ut nesciam aliis plura forsitan in meis displicitura, quam ego in scriptis aliorum bujus generis desiderem:* sed hoc facile obtinebo, fuisse in potestate meâ, conscribere librum, in quo defectus, quos in aliis observaveram, commode supplerem ac emendarem, & quos ad meum gustum animique sententiam paulatim conformarem. Enimvero non cupio promptior acutiorque videri, quam natura me fecerit, & ars longusque labor perfecerit. Nam utcumque positiones hæ, quas in manibus habetis, videantur esse tenues & simplices, uti sunt, ac ut essent à me laboratum est, ingenue tammen fateor, eas ita primo conatu non effluxisse de manibus meis. Cum pertæsum esset fluctuationis circa Collegia *Pandectarum*, rogantibus studiosis dictavi ad calamum ὑπομνήματα, summasque singulorum capitum per omnes quinquaginta libros; quod accidit anno seculi sexagesimo sexto. quadriennio post, eadem illa recognovi aliisque studiosis denuo dictavi, atque deinceps usi sunt illis auditores mei, donec eas ante quadriennium rursus emendatas ære typographico dedi excudendas, sed absque meo nomine *lectionum*

x-


titulo *Contractarum*. Postremo positiones *Institutionum* totas, prioribus inductis, novas scripsi, aliquanto verbis quam prius paucioribus, sed rebus fertiliores. Quæ ad Digesta pertinent, ea non omnino sed longe majorem partem novo stylo rebusque subinde novis auxi & ornavi; in reliquis *materiam secui*, *sectamque in membra redegi*, minora quam fuerant, distinctionis & facilitatis causâ. Nunc adeo persuasum mihi est, eas ita comparatas esse, ut studiosi adolescentes, accedente vivæ vocis ministerio, sinceram & integram Juris Romani notitiam moribus seculi adtemperatam, quam minima fas sit molestiâ, colligere possint. Minuendo discendi tædio dicendum adhuc est, instituisse me rem unam in *Pandectis*, quam à nemine recordor esse observatam. Capita *Institutionum* in *Digestis* omnia rursus occurrere novistis omnes; hæc aut odiose repetenda iisdem versibus, aut aliâ methodo iterum inculcanda erant, quod utrumque & explicanti & audientibus grave tædiosumque esse animadverteram. Scripsi igitur summas *Institutionum* plenius quam alioqui facturus eram, non tamen prolixius quam aliis in pari compendio faciendum videretur; In *Pandectis* ubi ad titulos *Institutis* parallelos ventum est, remitto Lectorem ad *Institutiones*, ubi tantum reperiet, quantum ad paratitlarem *Digestorum* notitiam sit necessarium. Putavi adolescentibus, qui longum illud iter quinquaginta voluminum ingrediuntur, solatio fore, si quandoque in itinere vasto loca reperirent, in quibus respirare liceret & jucundâ repetitione eorum quæ pridem tenebant, discutere tædium, quod via tot librorum parit inexpertis. Idcirco de talibus materiis, nihil in *Digestis*, nisi pauca subinde singularia posuimus; cæterum, ita servamus, ut cum ad ejusmodi titulos ordo nos perduxit, examinando recolamus eadem quæ in parte priore collocata sunt; atque ita consequimur, ut qui *Pandectarum* habet Collegium, simul eademque opera perfectè repetat *Institutiones*, quâ re nihil ad solidum discendi profectum efficacius esse potest. Satis diu multumque de libro, cujus ductum in privata eruditione sequemur, locuti sumus; sed quia positiones istæ, sicut demonstravimus, æque ad disputandum atque ad explicandum sunt compositæ, & hoc genus exercitationum studioso juris inprimis necessarium est, decrevi singulis

heb-

hebdomadibus copiam facere disputationis privatæ, tempore modoque, ubi ad rem ventum erit, constituendo, & habemus antiqua specimina experimento comprobata, quæ non pessimum hujus rei exemplum denuo præbere poterunt. Est adhuc aliud institutum nunquam alias â me exercitum, sed ex quo non minimum utilitatis jucunditatisque mihi vobisque polliceor: *Congressus* erit, ac ita appellabitur, atque hic etiam actus singulis septimanis idoneo tempore celebrabitur, & quidem hac gratiâ, ut *Auditores* tum potissimum & ex professo, cum id alioqui semper liceat, scrupulos, atque difficultates, quas inter studendum collegerint, quæque meditantibus plerumque subnascuntur, proponant, easque nos, si poterimus, incontinenti expediemus; si res altiorem requiret indaginem, utemur privilegio *Jureconsultorum*, quos *non cogi ex tempore respondere*, à majoribus nostris accepimus, atque responsum solutionemque in sequentem congressum sine fraude videlicet rejiciemus. si parum aut nihil erit, quod proponatur, non patiemur tamen congressum inutiliter labi, sed amœniora quædam ad Juris publici rationes maxime spectantia proponemus, & vel more colloquii, vel oratione continua pertractabimus. His exercitiis per triennium sedulo continuatis, modo adferatur ingenium, præparatoriis philosophiæ & humanitatis artibus haud plane incultum, confido *Auditores* eo perventuros, ut si res eorum ita ferant, colophonem studiis suis honoratum imponere queant. Nam duobus *Institutionum* totidemque *Pandectarum* auditionibus hoc stadium prius confici & absolvi potest; brevius spatium temporis ægrè sufficeret, longius haudquaquam improbandum; quia præcipuum doctrinæ legalis robur in eo consistit, ut generalis Juris præcepta non modo clare & distinctè sed etiam valide firmiterque memoriæ imprimantur, ut nunquam deficere, nunquam obliterari possint, cujusmodi habitum nonnisi crebro usu nec sine repetitione comparari posse manifestum est. Hactenus de primo & faciliore studii nostri parte; quid in altiore illo stadio, quod pauci ingrediuntur, agendum patiendumque sit, hoc tempore non potest, alia occasione commodius edisseretur. Quid etiam contra hanc institutionem quam exposuimus, objici possit ac soleat, quid circa eam amplius observan-

dum ſit, proximâ, ut dixi, exercitatione *Juſtinianea* præfabimur. Vos *Ornatiſſimi Juvenés*, comparate vos alacriter ad eam Juris ſemitam, quæ eſt optima, calcandam, ac utimini opportunitate commodi veſtri, quo in hac Academia, ſi uſquam alibi, multo ampliſſimoque ad proficiendum abundatis. Cogitate, quamlibet corruptis temporibus virtuti tamen doctrinæque paulo eminentiori, utcunque fautoribus etiam ac amicis deſtitutæ conſtare ſuum pretium, ſeculoque id extorqueri, ut dotes quibus carere non poteſt, urgente licet ambitu, adhuc agnoſcere & honorare cogatur. Mitto dicere, quod nec hodie deſunt generoſi Proceres, qui virtuti doctrinæque pretium ſtatuere honoremque habere non dedignentur. Audite igitur *Juſtinianum* non fruſtra hodieque vos adhortantem; *ſumma*, inquit, *ope & alacri ſtudio haſce Leges noſtras accipite, & voſmes ipſos ſic eruditos oſtendite, ut ſpes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam Rempublicam in partibus vobis credendis aliquando gubernari*, aliamve fortunam meritis veſtris partem confidite feliciter vobis eventuram.

DIXI.



UL-

ULRICI HUBERI
ORATIO III.
Quâ differitur:

Quamobrem Jus Publicum olim in Academiâ nostra professione publicâ non sit honoratum.

Habita domi ipsius, ante primam

Collationem Doctrinæ
DE
JURE CIVITATIS
cum Politica,

Prid. Non. Maj. CIƆ IƆC LXXXII.



Uam non immerito *Venusimus* Poëta, hominibus Eruditis præceperit, ut si quid publici juris facere vellent, id *nonum premerent in annum*, plurimis in utramque partem exemplis hoc & ante actis seculis egregiè approbatum est. Nam quibus id monitum altius animo insedit, horum scripta, non modo ætatem suam, verum & posteritatis judicium ferre potuerunt, qui vero crudas cogitationes ausi sunt in publicum protrudere, mercedem temeritatis contemptum præsentem, inque futurum, oblivionem retulerunt. Plus satis librorum in mundo esse jam vetus est querela, sapienterque multi in animum induxere, satis esse gloriæ in testimonio conscientiæ; verum tamen, qui in Academiis docendi munus obeunt, velint nolint, scribendi consuetudine abripiuntur; quia vulgus hominum domi forisque ita rationes ineunt; *ex quâ Academiâ nihil librorum in lucem orbis literati prodit, eam esse obscuram & ignobilem.* Proinde non est integrum nobis uti tam validâ philosophiâ, ut instituta com-

communia famæ magno animo ſpernantes nosque virtute ac eruditione, ſi qua nobis adſit involventes, domi deliteſcamus. Plane fieri non poteſt, quin audendum ſit aliquid & vel ſcenæ ſerviendum, vel operâ danda, ut nonnihil in publicum utile tuis laboribus efficias, *ſive τὰ κοινὰ καινῶς, vetera noviter, vel etiam novi quid ſine odio vetuſtatis producere poſſis.* In utroque genere jam extant conatus noſtri ſpecimina; nam ad Inſtitutiones & Pandectas *Juſtiniani* veterem & immutatam Juris diſciplinam peculiari modo expreſſimus., Digreſſionibusque & Obſervationibus illuſtravimus. Inter nova quæ ſine præjudicio antiquitatis inſtituimus, non modo Juris *Friſici* inſtitutionem colloco; ſed etiam commentarios *de Jure Civitatis*, ratione, cujus mox pluribus verbis fidem vobis facere conabor. (6) *Commentarios* appellavi optimo jure, ſi quis unquam libellus hoc nomine deſignatus fuit, quia levi opera, ſicut primâ cogitatione venerant in conſpectum, è calamo effluxerunt. Nunquam aliàs evenerat, ut theſes ad diſputandum propoſitas ita continuo in librum exire permitterem; ſed uſus ſum aliâs ſemper beneficio occaſionis, quam liberalitas *Ordinum* in hac Academiâ ſcripturientibus ſuppeditat ut meditationes ſuas primo in chartam conjicere, publicis typis excudere, ventilandas exponere, hominumque judicia ſuper illis experiri, atque deinceps examinata, digeſta, recocta publici juris facere liceat. Id in hoc commentariolo non tulit deſiderium & ardor Studioſorum, per quos factum eſt, ut inconditum rudimentum formâ libri typis mandatum inſtitutioni juventutis paterer accommodari. Iam tum hanc cauſam feſtinationis publicè præ me tuli, conſtituique me deinceps, repetitam prælectionem tractatumque, cui aliqua ineſſet reverentia poſteritatis, adornaturum. Eò nunc vota mea tendebant, poſtquam *Illuſtres* Patriæ *Ordines* juxta *Civile Jus & Friſicum* etiam *Publicum* à me ſcripto elaborari illuſtrarique voluerunt. Annus nunc labitur duodecimus, ex quo Nobiliſſimi Proceres Juris Publici profeſſionem mihi primum decreverunt, & quidem primo in hac Academiâ, inde poſtquam felicibus auſpiciis condita fuit à mâjoribus. Non ſe-

(6) Elogium operis Grotiano aemuli habet Thomaſius in *Progr.* XXVIII. *p.* 580. *ſeqq.*

ſemel in mentem mihi venit dubitare, quamobrem *Illuſtres Ordines Academiæque Curatores*, jam olim non inſtituerint alicui mandare provinciam *Juris Publici* in Academia ſuâ docendi, cum ejus facultatis ubique non immerito ſumma ratio apud Magnates habeatur. Inprimis quia videbam noſtros laudabili ambitione nunquam eſſe paſſos ullam vel ſacræ vel civilis doctrinæ partem carere ſuis in hoc bonæ mentis emporio, ut ita loquar, Inſtitoribus, neque ſumptibus hac gratia parcendum exiſtimaſſe, ut alios potius ſuperare quam cedere in animum induxiſſe videantur. Quum hac de re cum amicis familiariter aliquando agerem, fuit, qui ſic arbitraretur; Conditores Tutoresque Academiæ hoc modo rationem putaſſe; Cum prima *Juris diviſio* ſit in publicum & in privatum, non fuiſſe dubitandum, quin Juris profeſſione conſtitutâ, non utique privatam jus ſolummodo ſed etiam publicum eodem officio contineretur, ideoque non modo ſuperfluum, ſed etiam ineptum viris ſapientibus videri debuerat, ſi, ordinatis univerſæ Artis Anteceſſoribus, Publici Juris profeſſio adhuc deſideraretur. Non potuit hæc ratio, utcunque primo auditu valida & irrefragabilis, quærenti hac de re ſatisfacere. Primo enim ſatis conſtat, *Juſtinianum* idcirco diviſionem Juris in publicum & privatum primo omnium loco poſuiſſe, ut occaſionem haberet, publicam mox à tergo relinquendi, parumque aut nihil de eo in ſuis libris collocaſſe; quemadmodum certe in Inſtitutionibus altum ejus ſilentium, in cæteris libris tam rara mentio occurrit, ut ſtudio illud omiſiſſe manifeſtus ſit Imperator. Adeò ut Juris Romani Profeſſores non habeant facultatem, hanc partem diſciplinæ ſuæ, ex libris Juſtinianeis tradendi; aliunde autem ex hiſtoriis & Romanarum antiquitatum monumentis eam indagare & explicare, limites profeſſionis eorum egrederetur. (7) Quin etſi Romanis Imperatoribus inſtitutum fuiſſet, Jus publicum perinde ac privatum perſequi, non exiſtimo tamen, noſtrates dominos, pro ea, quæ in omnibus eorum conſiliis elucet, prudentiâ fuiſſe judicaturos, illud Jus pubicum veteris Imperii Romani his temporibus pro parte Juridicæ profeſſionis eſſe accipiendum.

(7) In paucis periculum hujus rei fecit Scipio Gentilis, in *Diſpp. Illuſtr.* Conf. Jo. Fr. Buddei *Specimen Juriſpr. Hiſtor.*

dum. Nam Antecessores gravissimæ Artis illius non ea gratia constituuntur, ut historiam Antiquæ Reipublicæ, ordinisque judicialis, qui fuit apud Romanos, exponant; sed ut excolant juventutem in spem Patriæ succrescentem disciplinâ legum, quæ his etiam seculis suum usum retineat, quæque civium actiones & patrimonia hodieque tueri & gubernare possit. Non nescimus, perfectum Jure consultum, tam jus quod in ipsis rerum obtineat argumentis, quam quod desuetudine inumbratum est, scire oportere, quatenus altera pars sine alterius notitiâ plene accurateque intelligi nequit. ac ita cum Jure privato Justiniani comparatum esse videmus. At si totum Jus latinum, vel potior ejus pars, moribus nostris attritum esset, cui bono tanti sumptus tantique labores ei discendo docendoque impenderentur? credo, quemadmodum Cæsar *Flavius* jura suo vetustiora nominat *antiquas fabulas* (8) ita nostri quoque soli seculique homines universam Justiniani scientiam ut *fabulosam* rejicerent, nedum tanto cultu prosequerentur. Atqui cum Jure publico Romanorum ita se res habet; sepultum id est cum ipsa Republica Imperioque Romano: proinde notitia illius ad historicam potius quam Juridicam institutionem pertinere videtur; & si corpus ejus Artis desideres, id tibi Sigonius *libris de Jure civium Romanorum*, *Italiæ*, *atque Provinciarum*, Jureconsulto quidem minimè spernendis, sed in schola Juridicâ ex professo non tractandis, exhibebit. Habemus igitur rationem existimandi, Præsides Academiæ nostræ, hanc causam non habuisse, quod *Jus Publicum* Professione jam olim non honoraverunt, quando non modo in Patria nostra, sed & ipso, quod etiamnum dicitur, Romano Imperio, Germaniâ, inquam, constitutio formaque veteris *Romæ* penitus abolita & extincta cernitur. Sed nihil est tamen celebrius, quam Juris Publici doctrina per *Germaniam*, ubi non desunt egregia scripta hominum maximorum de hac Arte luci data, quæ & in Academiis ubique non minore studio quam Juris privati disciplina colitur, omnibusque exercitiis in reliquis doctrinæ partibus usitatis frequentatur. Videlicet, non de statu priscæ Romanorum Reipubl. sed de consti-

tu-

(8) §. 3. *Pronomii Instit.* ibique Theophilus, operosis aliorum conjecturis vel unus potior.

tutione præſentis Germanorum Regni, Imperiique Romani, agunt ſcriptores illi, qui hoc & ſuperiori ſeculo de Jure Publico ingenti numero ſcripſerunt. Regni, inquam, & Imperii diſtincte; ſed de regno potiſſimum, quod ambitu principis *Europæ* populi, *Germaniæ*, continetur: nam Imperii Romani extra illud regnum tam exiguæ ſunt reliquiæ, ut magis in *prætenſionibus*, liceat ita loqui, quam in *poſſeſſionibus* conſiſtere videatur. (9) Haud immerito aliquis miretur, quamobrem id ita factum ſit, ut ex omnibus hodierni Mundi Imperiis doctrina Juris publici apud ſolos Germanos in Artem diſciplinæ magnam & notabilem evaſerit; cum alibi Gentium nihil inprimis hujus generis, quam ſatis tenues Rerumpublicarum deſcriptiones Ordinumque hiſtoriæ reperiantur. Quanquam ἀξίωμα Cæſareæ dignitatis & nobilitas Gentis mereatur, ut ejus Regimen præ cæteris populis noſcatur, exiſtimo tamen, effuſam illam Juris publici Romano-Germanici licentiam inde ortam eſſe, quod nullius principis verecundiâ, vel interceſſione, (nec enim monarchia, vel Ariſtocratia ſed πολυκοιρανίη (*) eſt in Germania) retardati ſunt ſcriptores, quominus omnia *imperandi arcana*, quæ ad Summam Imperii pertinent, aperto velo, publicatum expoſitumque irent, quod alibi ſuſpicaces regnantium animos offendere poſſet; (10) quemad-

(9) Immo vero a *Caroli M.* & *Ottonis I.* temporibus Reges Franciae, & Germaniae, legitimos *Honorii* in Occidente ſucceſſores fuiſſe, probatum nuper ivimus in Diſſert. *de Romano Germanorum Imperio.* Neque adeo veteris reliquias Imperii nudis praetenſionibus contineri, formula regni *Longobardici* cum maxime evincit; Salvis Imperatori & Imperio, aetate etiam noſtra, vaſallagiis, regalibus, tributis, judiciis, executionibus, inveſtituris cum antiquis tum novis, &c. Neque incerta magis eorundem ſupremae *advocatiae* in Eccleſiam & Papam Romanum jura.

(*) *Formam* cujusque Reipublicae ex *legibus fundamentalibus* arceſſendam eſſe inter peritos rerum conſtat. Regnum itaque *Germaniae* integrum ſi ſpectetur, limitatae ſpeciem monarchiae referet; Ordines vero inter ſe *ſocii* videbuntur, communi fœdere unum in corpus coaliti; intuitu *exterorum* denique, ſingulos Ordinum totidem ſupremos Principatus obtinere dices, ſalvo tamen Imperii vinculo, tum civili, tum feudali, qua de re Juris Germanorum Publici auctores varie multumque diſputant, inque illis interpretes Pufendorfii *ad cap. V. & VI. Monzambani*, & gemino tractatu Henniges, *de ſuprema Imperatoris poteſtate.*

(10) Recte Plinius minor, *lib. VIII, epiſt.* 14. de oppreſſa Domitiani tyrannide patriae libertate, *priorum*, inquit, *temporum ſervitus, ut aliarum optimarum artium,*

ſu

admodum hac causâ de peculiaribus singulorum principum regimentis non minus infrequentes parcosque videmus esse Germanos, quam Galli, aut Hispani, aliorumque scriptores populorum esse consueverint. (11) Sed quicquid hujus rei Tu aut ego esse putemus, id mihi causam dubitandi non videtur habere; quin nemo ab Ordinibus nostris expectaret, nedum exigeret, ut de Jure imperii *Romano Germanici* functionem docendi publicam, in Academia suâ constabilirent: quando curiositas potius in alienæ Reipublicæ Inquisitione, quam honos erga nobilissimam gentem ejusmodi instituto inesse videretur. Supererat, ut Domini communem patriam hoc notabili honore prosequi debuissent, sive jus proprium *Frisiæ*, seu generale provinciarum *fœderatarum*, Studiosæ Juventuti inculcandum putavissent. Nec forte an absurda vel inutilis hæc instituti ratio fuisset, maxime in eorum gratiam, qui splendore natalium meritisque fortunæ in spem Reipubl. honorumque gerendorum nituntur; quique diffusum asperumque Juris privati studium labore deterriti vel contemptu infatuati refugiunt. Hi Juris Publici, maximè Patrii, cum historiæ amœnitate conjuncti, notitiam forte non adspernarentur; nec eorum parentes de hac parte doctrinæ in animum inducerent, quod alioqui multos de literis studiorum non modo cogitare suspicor è factis, sed adseverare scio verbis, facultatem eruditionis nihil ad Rempublicam prodesse gubernandum: credo quemadmodum ab illis administrari solet; verum aut ego vehementer fallor, aut qui his diebus Rempublicam nostram, *Frisiæ*, inquam, peculiarem

sic etiam juris Senatorii, *quod* partem *Publici* esse paullo ante dixerat, *oblivionem quandam & ignorationem induxit.* Primus apud Germanos Jus Publicnm Wittebergae professus est *Henningius Goden*, sub initium imperii *Caroli V.* de quo, aliisque non paucis plenius egit Jo. Pet. Ludewig, in *Singul. Jur. Publ. cap. I.* § 29. *p.* 140. *seqq*

(11) Contra ea nihil hodie frequentius, nihil publice utilius descriptione politici, singulorum *Europae* regnorum, & territoriorum *Germaniae* regiminis, quod editas passim systemata abunde loquuntur, ne *Russorum* quidem despotico *Imperio* excepto, cujus formulam nuper non male concinnavit *M. Morgensternius* Utinam vero & Belgae, tandem aliquando, Romae cives esse, & in patria hospites, publice, dediscerent, praeeunte cum maxime amplissimo Viro, *Cornelio van Bynkershoek*, & patriae suae, & Themidos ornamento principe, *in Quaestionibus Juris Publici.*

rem intuetur, in alia omnia sit concessurus? Qui propius consilia cordata *Procerum*, qui exactam omnium ordinum officiorumque disciplinam, qui afflictissimo tempore par oneribus ærarium, qui adserta foris jura provinciæ, qui cuncta æquabili habita tenore considerat, non potest non ita existimare, qui hæc suis finibus regunt, eos utique publici Juris esse prudentissimos. Tamen hos ipsos utcunque doctos sapientesque Dominos, cum olim hujus Juris professionem mihi decernerent, idemque modo scriptis illustrandum commendarent, non id egisse opinor, ut Frisicæ Belgicæve Reipublicæ jura & arcana nominatim tractanda curarent; quod ut inusitatum, si Germaniam excipias, vix est ut limatissimis eorum judiciis convenire videatur. Minus politicæ considerationis & plus dignitatis inesse videtur in doctrina *Juris Publici Universalis*, cujus præcepta disputationesque, sicut omnibus & singulis civitatibus, ita nostræ quoque patriæ conveniunt, eique peculiariter sine incommodo invidiaque poterunt applicari. Jam vero tu rogabis, quid fuerit impedimento, quominus hanc *Artem Juris Publici Universalem*, cui judicium de particularibus Gentium institutis regimentisque inest, Nostrates Domini jam olim in Academiâ docendam ornandamque judicaverint. Ego ita existimo, fuisse illud Jus ignotum & prope inauditum, quatenus ut Ars propria disciplinaque separata consideraretur. Etenim hoc modo credita fuit terminis Politicæ contineri pariterque cum illâ scientiâ, sed minus plene, validéque tractari solita fuit. Primus *Hugo Grotius* nostra memoriâ viam paravit ad Artem Juris publici à politicâ separandam, in libris civili sapientiâ omnique eruditione refertissimis *de Jure Pacis & Belli*; Sed viam paravit, inquam, huic Arti, de quâ nos loquimur, â Politicâ dividendæ, non fecit, nec illam separationem; utpote, quæ scopo materiæque scriptionis, quam præ manibus habebat, non conveniret. Nam ille commentatus est doctrinam de jure, quod inter diversas civitates, nec invicem nec uni subjectas Imperio, intercedit; sive, ut ipse loquitur, *quas nullâ juris civilis tenet communio, quales sunt, & qui in gentem nondum coierunt, & qui inter se diversarum sunt gentium, tum privati, tum reges ipsi, & qui par regibus jus obtinent.* Nostra autem disciplina docere debet, *quid in*

regimine cujusque civitatis fas & rectum, quid singulis in eadem Republicâ ordinibus, imperanti, subjectisque imperio, sit tribuendum. Manifestum igitur est, Jus Grotianum ab eo, quod nobis propositum est, toto genere materiaque discrepare; sed hoc vidit suisque lectoribus inculcavit *ὁ μέγας; ei*, qui jus publicum discere, docere cupit, *temperandum esse ab his quæ alterius sunt tractationis*, inter quæ collocat omnia *quæ docent, quid ex usu sit facere.* Nam *ista*, pergit, *suam habent artem specialem, Politicam*, quam recte ita solam tractare observat *Aristotelem*, ut alieni nihil admisceat, contra quam *Bodinus*, fecerit, *apud quem hæc Ars cum Juris nostri Arte confunditur*. Nec tantum Bodinus hujus confusionis errore ductus fuit, sed fere quicquid est Politicorum hujus seculi, Althusius, Besoldus, Arnisæus, & quicunque in hoc stadio palmam quæsiverunt, ut vix reperias ex recentioribus, præter unum Lipsium, qui meram politicam, Aristotelis exemplo, tradiderit; nisi vir egregius *Johannes Henricus Böclerus*, præceptor olim noster Argentorati, desideratissimus, in sua politica Lipsio hac parte sit adjungendus. (12) Verum Juris Publici Universalis, à Politica sejuncti, quod jura regnandi parendique in una civitate, seorsim ab eo quod expedit, doceat, adhuc nullum mihi specimen aut exemplum videre contigit. Cum primum *Antonii Perezii* nostri *Jus publicum*, sicut inscriptum est, viderem, primoque intuitu scopum ejus esse generalem, non ad Romanum vetus, aut recens Imperium, aliamve Rempublicam, adornatum animadverterem, non dubitabam, quin tunc aliquando *Jus publicum* ad meum gustum doctrinamque de jure civitatis puram synceramque reperissem. Quomodo enim secus de viro exactæ eruditionis & judicii maximoque Jureconsulto præsumerem, quam ut Jus à facto, justitiam ab utilitate, separatim considerasset; præsertim, quia sic visum ei fuerat, non *Politices*, sed *Juris Publici* inscriptionem præferre suo libello. Nunquam, fateor, exspectationem meam magis improvisus error elusit, quam cum in tractatu de *Jure Publico* hujusmodi capitum præscriptiones offenderem; *Princeps vitia fugiat, virtutes amplectatur. Uxor ducenda & quæ. Rex filios bene*

(12) *Sidneii*, *Lockii*, aliorumque scripta in omnium sunt manibus. *Hornii* tamen Architectonicis ego *Hertii* Prudentiam Civilem longe antefero.

bene curet instituendos. Primogenitus ne quid, vivo patre, machinetur. Rex tributa moderatè imponat. paucis consilia sua revelet. Adsentationi aures ne præbeat. Consilium utile sine morâ exequatur. Qui majora obsequia præstant sæpe gratia excidunt. Quibus modis avertenda belli incommoda, atque id genus alia passim; in quibus omnibus sententiis nihil juris, sed mera esse consilia & monita, primo auditu intelligitur. Nec hoc igitur exemplum, quo doctrina de jure Civitatis in Artis formam redacta fuerit, citari potest. Exiere quidem scripta quæ ad *Jus Publicum Universale* pertinent, sed quæ de toto Jure Civitatis ab summis ad infimos ordines agant, nullum, inquam, videre mihi licuit. (13) Nolo ineptus videri nec inanis auræ captare gloriolam; sed aut primus illam Artem eo modo composui, aut ita scripsi, quasi primus eam constituerem. Si quis vero ex ipsâ rei evidentiâ, Grotiique magni auctoritate, necdum satis persuasus sit, doctrinam de jure Civitatis à politicâ separandam esse; velim hunc secum reputare, in administratione Reipublicæ duplici fere prudentiâ opus esse, quarum altera Juris, altera Facti sano sensu vocari potest. *Prudentia Juris* docet Te, quid civitati singulisque in civitate Ordinibus ex regulis Justitiæ tribuendum sit: *Prudentia Facti* moderatorem civitatis consilio instruit, quid in regenda Republicâ pace belloque facto opus, quid ex usu sit. *Prudentia Juris* habet pro materiâ facultates hominibus competentes ad aliquid agendum vel habendum, quæ sunt res certæ atque præsentes; *Facti Prudentia* versatur circa res contingentes, earumque futuros eventus. Finis prudentiæ Juris est *Justitia*; finis alterius, *utilitas*; quarum reputationes in consiliis hominum semper diversas, aliquando contrarias esse, docet abunde experientia. Sæpe quando in utilitatis respectu conveniunt, de juris ratione disceptatur, ut omni die inter partes evenire videmus; sæpe etiam, cum de jure consentiunt deliberantes, de rationibus utilitatis discrepant. Quanquam hæc res tam clara sit, ut contradictionem recipiat nullam, juvat tamen adducere exemplum, quod discrimen illud juris ac utilitatis non tam explicet amplius, quod necesse non est, quam de-

(13) Editum nuper hoc titulo illustris *Böhmeri* opusculum nemo ignorat; uti nec Antoniam Jur. Gent. *Henr. Coccejii*

claret ac illustret. Apud *Thucydidem* in *libro tertio* memoratur acerrima contentio, quæ fuit inter *Cleonem*, importunum illum demagogum, & *Diodotum* civem bonum atque prudentem. *Mitylenæi*, cum ab *Athenienfibus*, insigni eorum incommodo, atque hostili animo, ad *Lacedæmonios* defecissent, iterum armis subacti, adque deditionem fuerant compulsi. Deliberabant in concione *Athenienses*, quid adversus dedititios statueretur: *Cleon* vehementi oratione cunctos sine discrimine trucidari, *Diodotus* mitiora suadebat. Vicerat *Cleon*; sed dimissâ concione, cum populum pœniteret, legati *Mitylenensium* novam impetraverunt audientiam; ibique rursus *Cleon* & *Diodotus* summa cum vehementia egerunt. Uterque statuebat, pœnam mortis jure, scilicet jure belli, à dedititis expeti posse; tametsi forte nec hæc res, ut innoxii cum nocentibus exitio darentur, dubitatione juris careret, verum de utilitate potissimum discrepabant oratores, eo quod *Cleon* terrore supplicii, Diodotus clementiâ ac humanitate, rectius in officio contineri socios imperioque subjectos adfirmabat: at hoc quidem decidere non est hujus instituti. Sed *Cleon* ita concludebat: Πειθόμενοι μὲν ἐμοὶ, τά τε δίκαια ἐς Μιτυληναίους, καὶ τὰ ξύμφορα ἅμα ποιήσετε. *Si meo consilio obsequamini, & adversus Mitylenæos juste, & pro vobis utiliter consuletis* Diodotus verò post multam disputationem ita desinebat; τὸ δὲ πλέον τὸ αὐτὸ δίκαιον καὶ ξύμφορον τῆς τιμωρίας οὐχ εὑρίσκεται. *Illa Cleonis justitia & utilitas non inveniuntur in hoc pœnæ exemplo.* Atque ita hæc res satis manifesto, ni fallor, usu veritatisque argumento constat, scilicet, artes, quæ tradunt juris regulas, quæque docent utilitatis rationes, penitus esse diversas. Placet occupare *duas objectiones*, quæ adversus hanc separationem moveri posse videntur. *Prima* sit, quod regimen civitatis secundum Juris artem, regulasque justitiæ, non possit exigi, quia sic ab hominibus summæ auctoritatis traditum sit: *civitates sine multâ injustitiâ non posse gubernari.* Sic *Aristides* justissimus Græcorum sentiebat, de quo *Theophrastus* apud *Plutarchum* auctor est, eum circa res privatas & circa cives singulos summopere justum fuisse, verum *in publicis multa fecisse pro ratione status Patriæ* ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένης, *cui scilicet crebrâ opus esset injustitiâ.* Plato etiam cum alibi, tum in epistola ad propinquos

quos & adfines Dionis, affirmat sibi constare, de omnibus sui temporis civitatibus, ὅτι κακῶς ξύμπασαι πολιτεύονται, *quod omnes male gubernentur.* Nec hodiernis temporibus sanctiora esse Regum & Rerumpubl. consilia docet abunde experientia. *Cosmi Medicæi* Senioris dictum est, non posse mundum regi cum *patrenostro* in manibus. Lipsius ipse, gravitatem licet Stoicam præ se ferens, alibi quidem se libenter audire scribit, qui verbis *Ciceronis* vetant, *rationem bono consilio a diis immortalibus datam, in fraudem malitiamque converti*; verum in civitate regenda negat se posse, quin fraudis mixturam admittat, quam ut ratione certam faceret, hoc egit, ut *tres gradus* fraudis statueret; *primum*, quæ haud longè â virtute abit malitiæ rore leviter adspersa; *alterum* quæ ab eadem virtute longius deflectit, & ad vitii confinia venit; *tertium*, quæ non â virtute solum, sed â legibus etiam recedit, malitiæ jam robustæ & perfectæ; *Illam suadeo, hanc tolero, istam damno*, inquit. Quicquid Senones aliqui velint, adhuc verum putat esse *Democriti* dictum; *Fieri non potest*, ajebat ille, τῷ νῦν καθεστῶτι ῥυθμῷ, *ut nunc se res habent in mundo*, μὴ οὐκ ἀδικέειν τοὺς ἄρχοντας, *quin Principes injuste aliquando agant*; ἢν ᾖ πάνυ ἀγαθοὶ ἔωσιν; *tametsi eximie boni sint*, addit. Deploranda Principum conditio, si aliter rectam navem tenere nequeant, nisi prius jacturâ conscientiæ facta, nec aliter commoda populorum gubernare possint ad salutem, utcunque boni & sancti, nisi malitiæ rore plus minus adspersi! Nam id, credo, non contendent illi dispensatores, quin illud æternæ veritatis dictum regnantes etiam teneat, τὸ μὴ καλὸν οὔποτ' ἔφυ καλόν; *Quod semel injustum est, id nunquam fiet honestum.* Adeoque nobis religio est adsentiri, vel Democriti, vel Aristidi, vel ei qui pietatem in corde, quam in lingua habere malebat. Platoni equidem non detrahimus fidem; omnes omnino civitates, ut olim, ita hodieque pravo more gubernari: sed aliter nullo modo Imperium haberi posse; ne de sacris literis dicam, credo, non concedat, aut Marcus Antoninus, aut Alphonsus Sapiens, aut Ludovicus Sancti cognomen adeptus; homines qui ad regnandum non modo propositum justitiæ immotum, cultumque doctrinæ, sed & vim judicii, peritiamque regnandi præclara copula junctas attulerunt. Quin etsi con-

concederemus, nullum regnum sine fraudis artibus *aliquando* exercendis haberi posse, nemo tamen eò venerit impudentiæ, ut omnem juris observantiam à civitatis administratione velit. remotam; Nobis autem ad Artem Juris publici vindicandam, si non daretur ultrâ, sufficeret, quod sane plerumque Juris regulæ in administrandâ civitate sunt observandæ. De Lacedæmoniis memoriæ proditum est, eos inter se, jurisque civilis ratione, exactâ virtute justitiâque fuisse usus, sed adversus alios nullum jus cognovisse, nisi quo Sparta major & potentior evadere posset. Quæ philosophia licet flagitiosa tamen huic Arti nostræ, quæ terminis cujusque civitatis continetur, suam relinquit integritatem. *Altera objectio*, quæ adversus institutum separandi Jus civitatis à politica præsumi potest, in eo consistit; quod malo consilio juris & utilitatis rationes dividimus ac in oppositas artes dispertimur. Id enim ad *Machiavelli* (14) institutum accedere videtur, qui Principem suum utilia seorsim docet; cum ea nunquam à Juris & æqui rationibus dividenda, solaque bona, quæ honesta existimanda sint; eamque conjunctionem melius exprimere videntur, qui juris & utilitatis rationes miscent exemplo Agricolæ, quem Tacitus, *eruditum* fuisse narrat *utilia honestis miscere*: quod scilicet, hi quoque facere videntur, qui politicam, jurisque publici rationes; uno eodemque volumine tradunt. Ad hæc facilis responsio est, ex eo quod nos diversis libris de rationibus juris & utilitatis agi volumus, minime sequi, in actionibus vitæ regendaque Republicâ eas æquè separandas esse, nisi quis putet, Ethica & Oeconomica præcepta in eodem patrefamilas non debere concurrere, propterea, quod philosophi de illis alio ac alio systemate tractant. Præterea, quanquam jus ab utilitate non potest ita separari, ut turpia, quia sunt utilia, facere liceat; sine dubio tamen ea, quæ justa sunt, omittere quidem licet, ob rationes utilitatis: ideoque fere in omnibus de jure & æquo controversiis ejus quod expedit rationes seorsim considerandæ, miniméque inter se confundendæ sunt; cujus rei modò evidens exemplum in disputatione Cleonis & Diodoti, referente

(14) *Machiavellum* Republicanum, potius, sive Monarchomachum, fuisse, post *Conringium*, *Baelium*, alios, nuper doctissimus *Christius* evicit, gemino opusculo.

te Thucydide, habuimus. Atque hæc, *Ornatissimi Juvenes*, arbitror sufficere, quo vobis persuadeatur, Artem Juris publici separandam esse à Politicâ, antehac unâ utramque disciplinâ solitam fuisse comprehendi, & hanc fuisse causam, *quod Proceres*, constituta jam dudum *Politices* professione, juxta reliquam philosophiam, *de Jure civitatis proprio marte docendo cogitare non potuerunt*, quod erat propositum hujus orationis. Utinam æquè jam vobis persuadere possem, debere vos animum inducere, non modo Jureconsulti, sed etiam Theologi, & quibuscunque salus Reipubl. ad animum pertinet, ut hanc Artem, cujus adhuc plane expertes, esse videmini, sedulo discatis. Poteram vobis multa de utilitate, jucunditate, facilitate hujus scientiæ poponere, sed tempus monet esse perorandum. Credo, vos ipsos facile existimaturos, cum nihil magis intersit humanæ societatis, quam statum civitatis bene se habere, hanc artem esse non modo perutilem, sed & necessariam. Jucunditas vero quæ major esse posset, quam in eo studio, quod in media luce historiæ copiaque omnis generis exemplorum versatur? Nec audio qui dicant; satis negotii nobis est in iis artibus, queis vota parentum fortunaque nostra nos addixerunt, ut nihil opus sit novo studio, quo carerè nos posse credimus inde, quod adhuc incognitum fuit. Scilicet ignotum fuit; ita ut à politica separatum est, sicut inde separari debet; haud aliter; olim confusè ac ita difficilius docebatur. Nunc eam viam instituimus, ut faciliorem ejus intellectum promittere vobis atque præstare possimus. Quanquam per se nullius scientiæ quam hujus, facilitas major esse potest, de quâ fide meâ jubere pollicerique possum, non modo Juris studiosos, sed & omnes aliarum artium Auditores, nullo negotio quæ à nobis in hoc genere explicabuntur, esse percepturos. Quapropter accingite vos, *Ornatissimi Juvenes*, tantumque studiis gravioribus subtrahite temporis, quantum opus erit ad accipiendam ejus Artis institutionem, quâ nulla majori utilitate, jucunditate, facilitate, vobis commendari potest.

DIXI.

ULRICI HUBERI

ORATIO IV.

Quâ respondetur ad objectiones, quæ moventur adversus institutum, oratione II. commendatum.

Diximus (1) in oratione, quam habuimus ante *primam* Juris Romani cum moribus seculi *Collationem*, esse, qui institutum pluribus verbis à nobis ideo commendatum, ut in cursu studiorum vobis instar cynosuræ esset, non satis probarent, nec ad veram proficiendi legem pertinere contenderent. Non dissimulavimus etiam, habere non ipsos, quæ non tam adversus consilium nostrum, quam juxta & circa illud commonefacta & observata cuperemus. De his, præsenti oratione vobiscum, *Ornatissimi Juvenes*, agere constituimus, haud alio ordine, quam oratio, de quâ loquimur, nobis suppeditabit. Nec enim committere debemus, ut consilium cujus ipsi nos tulimus Auctores, scrupulis & difficultatibus impeditum relinquamus. *Primò* omnium, credo fore, qui dicent, se expectasse, ut eximia quædam disciplinæ præcepta, quibus in intima Juris adyta pervenirent, exponerem & commendarem: Nunc autem quid hoc est aliud à te suggestum, quam quod omni die traditur & inculcatur in Academiis? Nonne *Paratitla* jam olim plurima sunt in lucem data, nonne communis hæc est ratio methodusque docendi, ut Institutiones & Pandectæ ordine Justinianeo institutoque paratitlari explicentur, Quid igitur sibi voluit hic apparatus orationis, quâ nescio quid inusitati arcanique promittere videbaris? Sæpe mihi usus venit, *Præstantissimi Juvenes*, ut adolescentes studiosi me privatim adirent, seque in amicitiam interiorem peterent admitti, haud aliâ gratiâ, quam ut peculiarem viam secretamque methodum sibi panderem atque mon-

(1) Sup. in *Orat. II. p. 64. seqq.*

monſtrarem, per quam celerius atque feliciùs eruditionis iter conficere poſſent. Reſpondere ſolitus ſum: *maximum* quod illis ſuggerere poſſem *arcanum* eſſe, laborem indefeſſum in eâ viâ, quam publice illis præirem; pararent ſe accuratè, priusquam in collegium venirent; ibique auſcultarent attente, notarent quod non lectum prius audirent; cuncta repeterent cum fontibus, mandarentque memoriæ, rurſus offerrent ſe examini ſequente collegio, proponerent ſolvendum quod non intelligerent; hoc agerent, ut tyrocinium ſuum paucis onerarent præceptis, attamen univerſæ artis, eademque validiſſime ſua facerent, & in cauſas fontesque rerum ubique penetrarent; in tempore dictum iri, quam id ſine ambagibus optime breviſſiméque fieri poſſet. Alia ſi quis arcana vel compendia polliceretur, verendum eſſe, ne non faceret idem, quod circumforanei remediorum nundinatores, qui miracula ægris promittentes ingenti pretio nihil quam ludibrium & pœnitentiam venderent. Idem prorſus evenire Juris ſtudioſis, qui ſeſe intra paucos menſes Juris doctores perficiendos traderent magnificis promiſſoribus, quorum pudenda exempla ſemper erunt qui execrabuntur, ſemper etiam qui ſequentur. Non eſt igitur quod vobis diſpliceat, *Optimi Juvenes*, meum conſilium à ſapore publico non eſſe alienum; etſi tamen diſciplinæ meæ dictum vetus heic quoque obſervatum, *τὰ κοινὰ καινῶς*, commune inſtitutum nova ratione cultum & exercitum reperietis. Nec vero tamen ita vulgatum id eſt, quod propoſuimus, ut non multi ſe prodant, à quibus improbetur & reprehendatur. Sunt enim qui mirifico contradicendi ſtudio cuncta diſciplinarum (2) *compendia*, tanquam mera *diſpendia* ſtudioſorum, contemnunt iisque diſſuadent, nec ſine magnis, ut videtur, rationibus ut ita ſentiant induci videntur; imprimis reſpectu Juris ſtudioſorum & ejusmodi compendiorum, quale nos commendavimus: Nam quia neceſſe eſt ea ſcribi ſtylo brevi atque conciſo, fieri non poteſt, quin eorum, qui talibus adſueſcunt, ingenium & oratio ſterilitatem, & neſcio quam contrahant ariditatem;

 qui-

(2) Conf. Auctoris Dial *de rat. doc. Jur. ad calc. Digreſſ.* quaeque Bökelmannus, Otto, Heineccius, in praeff. Suis *ad Inſtitt.* monuerunt. Neque alia Epicuri ſententia apud Diog Laërt. *lib. X. p* 729. *ed Caſ.* & Senecae *lib. VII. de Benef. cap.* I.

quibus adolescentes, quos maxime decet ubertas & floridi dicendi copia, degenerant & corrumpuntur. Notum est etiam, qui Juris Studium feliciter exercere volunt, eos *amœnitates historicas* humanioresque literas cum eo jungere debere, cujus rei nulla penitus occasio in ejusmodi compendiis datur. Insuper ars ipsa juris eâ methodo pervertitur, aliumque induit habitum quam à Juris conditoribus accepit, & quam habere debet. Repletur novis principiis, terminisque semibarbaris, atque fictitiis definitionibus, in systema scholasticum deformatur. Quâ re fit, ut studiosi inde ab initio novis innixi fundamentis, in progressu quoque, & in ipsa praxi, rationes decidendi non tam ex limpidis antiqui juris fontibus, quam ex lamis & lacunis, ex præceptis regulisque systematicis, petere consueverint. Præterea, cum nihil ad solidam juris cognitionem sit efficacius, quam ipsos *veteres* & *totos* legere *Jurisconsultos*, siquidem aliter veræ & integræ illorum sententiæ satis rectè percipi nequeunt, qui hoc genus compendia amant, eo fructu non potiuntur; sed juxta regulas systematicas, identidem peculiares textus, qui modo hinc, modo illinc citantur, inspiciunt & qualitercunque singulis præceptis applicant: Quin hoc tantum faciunt qui diligentiores habentur, plerique verba compendiorum memoriæ mandare contenti, cum illa recitare possunt, egregios se Jureconsultos evasisse opinantur. Quod si omnino libellus manualis ad inchoandum Juris disciplinam opus est, quæ vos agitat insania, ut aliud cempendium quæratis, quam Cæsar ipse Justinianus composuit, & juventuti sollicitè commendavit? Nam hac gratiâ narrat ipse Princeps sapientissimus in constitutione, quâ libellos Institutionum confirmavit, se *Triboniano, Theophilo & Dorotheo viris Illustribus convocatis negotium dedisse, ut auctoritate Principali prima legum cunabula in libros Institutionum redigerent.* Quid aliud neoterici compendiorum Suasores & Auctores agunt, quam ut pubem Academicam spolient illo notabili honore, quem Justinianus tam magnifice illis imputat, cum ait; *digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, ut & initium vobis & finis Legum eruditionis á voce principali procedat.* Quanti vero illud est, quod Studiosis hac perversa methodo eripitur, quod qui Justinianum veteresque Juris auctores

ctores adsiduò legunt, eorum dicta sententiasque sibi familiares redditas, semper & ubique non modo in scholis sed etiam in foro laudare & allegare possunt, multo certe luculentius & efficacius quam regulas istorum compendiorum, quibus se vulgus *Candidatorum* jactat. Denique certitudo sententiarum Juris non potest haberi ex hodiernis systematibus, cum auctores eorum alii ab aliis δὶς διὰ πασῶν dissentiant, & quod ex uno didicisti, si ad alium te transferas, iterum sæpe dediscendum sit. Ex adverso qui solos veteres sectantur, quicquid didicerunt immutabili auctoritate ad extremam usque senectam in doctrinâ usuque perseveraturum esse noverunt.

Sufficerent equidem hæc *objecta*, si vera sunt, ad elimandam ex Academiis illam methodum discendi docendique, si tantis incommodis urgetur, si tam noxios habet effectus, nec dubium, quin ille sit scopulus bonæ mentis & importunum eruditionis impedimentum. Sed bene habet, quod talia nullo jure de nostri instituti exemplo, quod non ita pridem laudavimus, prædicari possunt. Id nunc agetur, ut vobis persuadeamus *Ornatissimi Juvenes*, ne quid scrupuli vobis sedeat, quominus alacri animo per viam à nobis monstratam & inculcatam pergatis ad primum illud stadium Juris feliciter decurrendum. *Principio* non erit, opinor, necesse, multis verbis uti ad probandum, quod Legale studium nihilo magis ac reliquæ disciplinæ carere possit *institutione compendiariâ* in eorum grâtiam qui in primis legum incunabulis versantur; quod oratio nobis opposita inde ab initio moliri videbatur. Nam postea rursus occupata, & quasi inducta fuit illa objectio, per commemorationem Justinianei compendii, quod in quatuor Institutionum libellis repræsentatur. Alioqui statim oppressa fuisset adversantium sententia nimis gravi auctoritate Cæsaris, qui sic ipse loquitur: *Incipientibus nobis exponere Jura populi Romani, ita videntur posse tradi commodissime, si primo levi simplicique viâ, post deinde diligentissimâ atque exactissimâ interpretatione singula tradantur.* Quâ in re secutus est prudentissimus Princeps eorum exempla simul ac præcepta, qui in disciplinis studiorum tradendis & inculcandis ab omni antiquitate celebrati fuerunt, *Aristotelis* & *Quintiliani*, quorum ille δεῖ πρῶτον ὑποτυπῶσαι; *prius* inquit, *lineamenta ducenda*,

cenda, ἔνθ' ὕστερον ἀναγράφειν, *dein veris utendum coloribus*, notissimo pictorum exemplo; hic vero, *incipientibus præcepta breviter & simplicius tradi convenit*, ait; *adolescentum animos scitè cum vasculis angusti oris comparans*, *quæ superfusam humoris copiam respuunt*; *sensim autem influentibus complentur.* Et rationem Imperator addit gravissimam: *Alioqui*, inquit, *si statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi*, *multitudine ac varietate rerum oneraverimus*, *duorum alterum*, *aut desertorem studiorum efficiemus*, *aut cum magno labore sæpe etiam cum diffidentiâ*; *quæ plerumque juvenes avertit*; *serius ad id perducemus*, *ad quod leviore viâ ductus*, *sine magno labore & sine ullâ diffidentiâ maturius perduci potuisset.* In hoc igitur facile conveniemus; Rudimento compendioque opus esse ad primam Juris institutionem rite fundandam; difficultas in hoc vertitur, utrum fas & utile sit, diversam eligere compendii formam ab eo, quod Cæsar nobis compositum reliquit: nam ita Illi opinantur, esse in ea re contemptum Cæsareæ Majestatis, cujus legibus nos subjecimus; nec posse quin detrimentum exinde studia tyronum capiant; si aliis discendi principiis quam ipsius Jurisprudentiæ conditoris inbuantur. Ad hæc ita respondebimus, *Auditores*, ut ratio nostra tam à contemptu Cæsaris, quam à damno studiorum vestrorum aliena esse facile probetur. Nam *lectiones nostræ*, quas in usum compendii destinavimus; aliter vobis usus esse non possunt, quam si Institutiones Cæsareas juxta eas continuo legatis, eandemque methodum prematis, nec ideo vos ab illis deducere, multo minus earum contemptum ingerere, sed in iis firmare suique venerationem augere poterunt, dum â *positionibus nostris* ad eas tanquam ad principales auctoritates adsiduo remittemini. sed hoc mihi sacratissimi manes Justiniani largientur, ut dicam; non esse faciendum his diebus, ut methodo quam ille quondam præscripsit, in omnibus examussim præscripsit, in omnibus examussim præciseque inhæreamus. Nam quod ille primo omnium voluit, ut ne studiosi ultra *semestre spatium* in Institutionibus detineantur, quæso quam hæc res hodie facultatem haberet? Fateor, Institutiones semestri spatio explicari posse, neque diutius in iis olim commorari solebam, nec inposterum longius eas producere cogito. Sed quis vestrum de

inge-

ingenio memoriâque suâ tantum fiduciæ conceperit, ut una deambulatione se argumenta institutionum ita possidere sentiat, ut super illud fundamentum totam Digestorum molem adstruere sustineat? Accedit, quod nemo negare potest, expedire Studiosis, ut mutationes, quæ universis (3) *Europæ moribus* in disciplinam Juris invectæ sunt, Justiniani regulis admisceantur. Quæ ratio sola sufficit ad probandum, quod Justiniani compendium non respirat aliud manuale eadem opera methodoque legendum. Cujusmodi jam illud esse putamus, de quo agimus & quod oratione nostra descripsimus. Enimvero, si nihil aliud vobis discendum tractandumque suaderemus, quam hujusmodi compendia brevibus verbis in formam positionum redacta, metuendum esset, ne non sicciores & aridi, sicut *objectio* dictabat, fieretis. Sed quid sibi volunt compendiorum Censitores, ergone credunt, nos ita compendiis delectari, ut in his Studiosos omnes suos labores ordiri atque consumere velimus? ut periculum sit, ne ad horum exemplum orationem stylumque contrahant & exhauriant? Ego vero priusquam de Juris studio ejusve compendio cogitetis, ita vos omnino animos inducere velim, ut lectione bonorum auctorum, eorundemque imitatione, & adsiduis styli exercitiis amœnitatem ingenii, ubertatemque orationis, ita comparetis, ut in habitum vobis abeat; ac deinceps, etiam quando Jus studetis, & hæc ipsa compendia tractatis, ne illa quidem amœniora vos penitus omittere, sed laxamentum in ipsa varietate studendi quærere velim. Adde quod sæpius dixi, positiones illas compendiorum esse tantum *indices*, secundum quos textus Juris, quibus nihil amœnius, nihil uberius, inquiri & legi possunt ac etiam debent. Quæ ratio facit in Pandectis, ut absolutè necessaria sit hæc *conjunctio paratitlaris*, etsi nihil Justiniani Institutionibus addere velles; siquidem manifestum est, non modo universam methodum in illis esse difficilem & obscuram, verum etiam singulos titulos, sine directione compendii alicujus methodici, neque disci neque doceri posse; quamobrem Cæsar ipse diserte voluit, ejus generis indices & summas capitum describi, quas utique bre-

(3) Quae in contrarium disputavis Corn. van Eck, una cum aliorum traditis, videsis ad *Merill. Orat. in calce Repet. Instit. p. 61 seqq.*

breves atque concisas esse debere, negotii ipsius natura satis indicat; nec metuit Imperator illud prætextum corrumpendæ eruditionis & eloquentiæ periculum.

Ex his credo vos jam præsumere, *Auditores*, quid ad *alteram objectionem*, quâ per hanc methodum præcidi volunt communicationem Juris cum *historiis* omnique literatura humaniori, sit respondendum. Non contineri in hoc genere compendiorum observationes, digressionesque historicas, & literarias, fatemur, impediri prohiberique negamus. Nunquam enim cessavimus hortari studiosos, iisque præire frequentibus exemplis ad hanc conjunctionem variæ eruditionis cum arte Justinianeâ. Memini, cum primum ex Eloquentiæ & Historiarum Auditorio (4) in Jurisprudentiæ cathedram solenniter deducerer, me non modo utilitatem, sed & necessitatem hujus conjugationis ex historiâ Juris Romani oratione continua probare, quam & ideo vobiscum brevi communicare decrevi. Cum etiam inde totus ad docendum publice privatimque Jus Civile conversus essem, nullam solitus sum occasionem prætermittere, quâ in antiquarias literatasque digressiones exspatiarer, & Auditoribus juxta solidas Juris dapes elegantiarum quoque bellaria apponerem. Sed non dissimulabo, *Præstantissimi Juvenes*, me deinceps aliquantò diversam animi sententiam induisse, postquam experiendo cognovi, esse quidem utriusque studii copulam perutilem & profecto necessariam, sed in lectionibus tamen, in disputationibus, Collegiisque Juridicis, has facultates separatim esse habendas; nec plus ex Antiquitate literisque humanioribus *Professor Juris*, dum in suis exercitationibus versatur, esse delibandum, quam ad explicationem eorum, quæ identidem ab ipso tractantur, perspicuitas explicandi flagitet; cæterum, Jurisprudentiam domesticis principiis posse atque debere esse contentam. Idcirco, cum primo ingens volumen *Prælectionum Juridicarum* exorsus essem, in quo conjunctionis illius non modo vestigia, sed etiam ubique tramites conspiciebantur; etsi illis inerat detectio rerum, quarum me nec etiamnum pœnitet, nolui tamen id opus, ut erat inchoatum, absolvere, sed vela converti, mutatoque instituto, cum à professione

(4) Vid. rubrica *Orat. seq.*

sione Fundamentorum Juris ad Digesta translatus essem, quicquid ad Institutiones *humaniorum observationum* Juridicis lectionibus miscueram, id seorsim in librum peculiarem transcripsi, atque sub nomine *Digressionum* publici Juris feci; ut palam ostenderem, me esse in ea sententiâ, debere Juris doctorem gravitati suæ professionis addere literarias humanitates, non tamen confundere cum institutione propriæ disciplinæ. Atque, ne ignoretis, eundem mihi scopum, *Auditores*, propositum habui, cum *Juris Positiones* solas, ita ut ex *οἰκείοις* principiis eductæ erant, epitomarum libris complexus sum, ut vobis, qui meis itineribus ire volueritis, instar manuductionis essent ad solidiorem Juris doctrinam: quibus proinde rationibus huic quoque *objectionis* argumento me satisfecisse, apud æquos judices, confido,

Nec est quod de *tertiâ difficultate*, quæ mota fuit, laboremus, quâ videri volunt, his neotericis *Institutionum* imitamentis non præferre Themidem suam faciem nativam, sed ejus formam cultu adscititio corrumpi. Fateor equidem, si per hæc compendia fieret, ut Ars nostra terminis quos vocant exoticis impleretur, licentiâque finiendi partiendique scholastica in aliam transiret speciem, me quoque alienum ab illis futurum. Ideoque curatissimè id operam dedi, ne quid tale meis quidem positionibus objectari posset; in quibus *religio* fuit ullas ponere definitiones aut divisiones, quæ non aut è verbis aut è mente sententiaque legum evidenter colligi possent. Fuit, inquam, religio; nam *superstitio* non debeo dicere; qualem fuisse futuram ego quidem arbitror, si nihil ejusmodi collocare voluissem, nisi quod totidem verbis à Justiniano veteribusve Jureconsultis præscriptum esset; etiam ita Cujacium, Duarenum, Donellum, aliosque Juris vetusti & intaminati cultores severissimos existimasse eorum exempla palàm ostendunt; quando proprietates rerum à veteribus fuse expositas neque semper in definitionum formam redactas succinctis propositionibus enuntiant atque declarant, quod omnium artium, quæ ab Antiquis ad nos profectæ sunt, Interpretes fecisse videmus. Quis logicam, quis physicam, aut moralem scientiam ex ipso Aristotele adolescentibus hodie tradendam putaret, quis Medicinam docet in Academiis ex Hippocrate vel Galeno,

leno, ſine compendio definitionum diviſionumque novitiâ methodo conſcripto? Nec ſacrarum literarum doctores ejusdem inſtituti auxilio carere potuerunt, quò fluctuantem diſcentium memoriam judiciumque ſyſtematis alicujus aut ſummario locorum communium inſtrumento regerent ac præmunirent? Scio non deeſſe, qui longe ſatius exiſtiment procul habere ſcriptores Inſtitutionum hodiernos, tanquam lamas & lacunas, ipſos ſcripturæ ſacræ fontes adeundos puriusque ſalutares aquas inde bibendas. Atque hæc eſt eadem *quartæ objectionis* ſententia, quâ jura quoque terſius & ſyncerius ex ipsâ veterum ſcaturigine quam ex rivis atque fluentis hauriri putant; cumque facultas ſit ipſum adeundi caput incontinenti, præpoſtere eos conſulere, qui novas machinas ad aquam educendam excogitent. Sed ego caput aquæ noſtræ, quam indagamus, nego ſine duce ſatis facile commodeque ab ignaris viæ inveniri poſſe; verum ubi detectus ſemel, & ope conſilioque manuductoris ipſe fons apertus fuerit, tum adſentior, eſſe vecordiam, quærere aquas inde derivatas jam limum ſordesque vehentes, ubi gnaro viæ puras limpidasque è primis laticibus haurire liceat. Scilicet meminiſtis *Ornatiſſimi Juvenes*, me dicere vobis antehac, videri *duplex* ſtadium ſtudiumque Juris eſſe, quorum *prius* Inſtitutionibus & Pandectis via paratitlari diſcendis abſolveretur; *alterum* in hoc ipſo intellexi conſiſtere, quod modo expoſuimus, & quod diſſentientes illi nimis intempeſtive ac ante diem urgebant. *Novi inexhauſtas æqui bonique divitias in corpore Juris latere, ſi quis totum illud omnesque receſſus & adyta penetres ac indefeſſus excutiat; ſed æquè novi, ſi quis imperitus fundamentorum Juris id impetu quamlibet animoſo aggrediatur, eum vix unquam inde ſolidam eruditionis gloriam conſecuturum.* Fieri poſſet, ut valde excellens ingenium perrupta confuſione tam immenſæ molis directè ad optatam metam eniteretur; ſed idem compendiariâ viâ prius calcatâ, ſine dubio celerius & ſecurius eodem perveniſſet; mediocribus autem ingeniis nihil ex ejusmodi inconſulto auſu quam pœnitentia & ignorantia redundare poteſt; niſi quod aliquando ingenti imaginatione doctrinæ, iſta duo mala vidimus adumbrari, ut aliis manifeſta, laborantibus incognita viderentur: *Nimirum, diffluit inque inane reſolvitur illa memoria rerum*

per

per vasti corporis libros diffusâ lectione quæsita, nisi judicium certis principiis sedibusque materiarum quasi præmunitum atque firmatum habeat, quo cuncta referat, inter sese comparet, atque discernat. Quò fundamento carent inutiliter, qui systema præceptorum ejus artis, cui se dedere cupiunt, gravioribus studiis præmittere, seque ad ea præparare tanquam indignum vel supervacuum adspernantur.

Sed rursus instantes audio; sufficere debet in hanc finem liber Institutionum à *Justiniano* relictus. (5) Ego vero, non sufficit, inquam; *primo*, quia mutationes temporum, de quibus alias dictum, significari debent; *iterum*, quia monendi sunt adolescentes quid alibi, maxime quid recentiori jure Codicis & Novellarum de iisdem capitibus sit dispositum: *adde*, quod gustum aliquem observationum & controversiarum, quæ in scholis Juridicis tractantur inde ab initio percipere debent; principia notitiasque generales intelligo, quibus deinde plenior & exactior interpretatio accedere possit: *postremo*, quia in Pandectis nihil habetis à Justiniano, quod in hunc usum vobis servire queat; & tamen in his facile pars æqua fundamentorum Juris exponitur, de quibus Cæsar in institutionibus nihil commemoravit: Nam si maximè ad hoc manuale Justiniani nihil addendum putaretis, illa tamen capita Pandectarum, quæ in Institutionibus intacta relicta sunt, eodem modo præsumenda esse, quem Cæsar in his quatuor libellis præivit, nemo qui exemplo & auctoritate Cæsaris utitur, negare possit. Atqui hæc est ipsa, nisi multum fallor, hujus instituti, quod præ manibus habemus, & quod laudavimus, ratio. Ut extaret æquabile Institutionis compendium: quod fundamenta Juris Universi succinctè nervoseque complecteretur. Jam id præ cæteris in objectionibus nostris mirari subiit, quod *incertitudinis* in ratione studiorum, hæc discendi docendique methodus arguebatur. Nam si quod res est, dicere fas sit, non uno mihi experimento compertum est, eos qui diversâ à nobis, via præcipuè se jactabant, in colloquiis & examinibus Juris adeo fluctuantes, ne dicam ignorantes, in Artis nostræ fundamentis esse repertos, ut miseratione potius quam diversæ sententiæ invidiâ con-

(N)

(5) Ita Cuiacius *lib. XI. Obs. cap* 38. cui tamen inter alios jam responderunt Vinnius, Otto, Heineccius, in *præfatt. ad Institutt.*


convitioque digni judicarentur. Nec est, quod eorum æmulos id egisse per insidias arbitremini, quasi sophisticis argumentationibus, argutiisque scholasticis, simplicem sed rectam eorum doctrinam aggressi fuissent: ne quidem definitiones devisionesque per Institutiones & Digesta sparsas objiciam illis ignoratas, modo ipsa rerum momenta titulorumque Juridicorum sententias intellexissent. Nam ego pro gravi doctoque Jurisconsulto habere non gravabor, qui materias Artis à Justiniano traditas & expositas novit atque perspexit, etsi nullas *terminorum* formulas, nec quidem definitiones partitionesque Juris, recitare possit, modò ex omnibus Juris locis eductas quæstiones usum in humana societate habentes solvere & interpretari queat; hoc enim est Jureconsulti officium, de Jure consultum respondere posse, secundum regulas Artis quibuslibet verbis indutas. Verum qui Jura docet alios, ut is ignoret, quid exempli gratia, (6) sit *Collatio*; ut is contendat, etiam in Adscendentibus, quando liberis succedunt, habere locum jus illud Conferendi, aliaque certi juris capita velut à facie nunquam cognita tractet & excipiat, hoc equidem nullo modo pati me posse fateor; Et tamen ejusmodi imbecillitates non modo in trivialibus Candidatis, sed etiam in consummatis Juris Cultoribus, quique jam alios, sine compendiis scilicet ac systematibus erudiebant, animadvertere nobis contigit. Nec potest aliter fieri, quin talia quandoque systematum contemptoribus eveniant, dum inde ab initio sententiis veterum obscurioribus indagandis, legum emendationibus excogitandis, ritibus atque formulis veteribus explicandis, omissis disciplinæ compendiis, omni conatu sese dedunt: similes hisce qui omnium primo *Quæstiones Illustres* intricatasque, & legum enantiophanias, aliaque inusitata, & auditu speciosa, adolescentibus proponunt. Qui alterutra via ducuntur & incedunt vel nunquam vel difficillime rarissimeque ad veram eruditionis frugem enituntur. Enim verò non id agimus, ut talia docentes discentesque reprehendamus, aut deterritos velimus; quis enim veræ doctrinæ amator in iis rebus se non plurimum libentissimeque exerceat; hoc tantum desideramus,

(6) Adfinia sunt, quae apud Jo. Saponium Hattestedium notata legimus, in *Asserti Gloss. Accurs. p. 56. seqq.*

mus, iter à nobis monstratum facile rectum & compendiosum prius esse calcandum, ut deinceps secundum ejus ductum, illud alterum longius & difficilius planeque vastum felicius absolvi possit. Denique, non debetis ex eo mutare sententiam, quod *objectio* moliebatur, eos qui alium à Justiniano manuductorem sequuntur, incerta plerumque & olim dediscenda percipere; cum veteres ipsi nil nisi vera, certa clara suppeditent: Quasi non iis, qui statim antiquos Juris conditores legunt, eosdem scrupulos & difficultates occurrere necesse foret, quibus omnes Artis interpretes eos tractando inciderunt. Non patitur institutæ orationis modus agere de infinitâ varietate quæstionum, discrepantiâque sententiarum, quibus diversis sectis dediti Jurisconsulti, quorum responsa Pandectis inserta sunt, inter sese commissæ fuerunt, verum id omnibus hauddubie constabit, eum, qui se tali Oceano sine ductore committere ausit, non posse sine crebris erroribus, nec sine evidenti periculo naufragii, desideratum attingere portum, Nihil etiam de illorum argumento dicam, qui hoc ordine consilioque tyrocinii, quale suggessimus, adolescentum animos *præjudiciis* occupari differunt, quibus omnino vacuos oporteat esse, qui fiduciam sui certâ cognitione subnixam in quolibet eruditionis genere sectantur. Per me quidem, *Lectissimi Adolescentes*, deponite quicquid habetis præjudiciorum, modo unum retineatis, sine quo vos doctiores facere non possum; illud antiquum videlicet; *discentes oportet esse credulos*. Ast ubi me descripseritis, non morabor vos, quominus omnia quæ didicistis, etiam me ipsum, ad examen revocetis, nec aliud vobiscum statuatis, quam quod omnibus exactis atque perpensis in animum induxeritis: Hac lege tamen, ne quis vestrum præsumat, ita se liberare *præjudiciis*, ut juris conditores ipsos ad censuram revocare velit, quò arrogantiæ videmus esse, qui temetipsos emancipaverint; quasi de Jurisprudentiâ philosophiam creare fas esset. Spero me satis abundeque probasse, *Juvenes Ornatissimi*, nihil in his objectionibus esse, quod vos à consilio nostro deterrere vel avertere debeat. Igitur accingite vos, fultis, alacriter ad eam viam summo studio lentâque festinatione decurrendam, quæ vos citissime tutissimeque voti compotes reddere possit: verum oblivisci no-

nolite, quod hac oratione præmuniendi cavendique gratiâ monuimus, omnium primo, ne animos ad Juris prudentiæ cultum adjiciatis, antequam Philosophiæ, maximeque humaniorum literarum, studio vos ad graviorem disciplinam rite præparaveritis; aut, si jam properatis votis hanc viam celerius quam oportuit, occupaveritis, saltem ut aliquid subcisivi temporis historiæ, antiquitati, & eloquentiæ excolendæ, impendatis; quod pariter cum Juris studio commodissime fieri servarique posse, non modo ratione, sed & experientiâ doctus adseverare possum. Præterea, cum vel nostras positiones, aut aliorum compendia secundum libros Justiniani legetis, cavete, ne unquam aliter quam textus Juris conferendo, memoriæ judicioque vestro ea committatis. Hæc res bene exercita primæ auditionis tempus, & otium vestrum, quod satis sit, occupaturum videtur, neque tum proinde vobis auctor fuerim, ut lectiones vestras latius diffundatis. At cum hæc fundamenta mediocriter animo possidebitis, utile jucundumque erit ad alios melioris notæ scriptores digredi, sed paucos: Nam qui proficere cupit, multa legere debet, non multos, & πολύνοιαν exercere potius, quam πολυλογίαν. At cum hæc generalis plene firmiterque tenebitis, jam tuto quocunque velitis vagari licebit: Tunc instruet varietas nec confundet, delectabit nec abducet, attamen semper à tergo respiciendum, quod didicistis, huic insistendum innitendumque; sic tamen, ut, si meliora deinde videatis, & explorate cognoveritis, nullis præjudiciis à veritate amplectenda vos retineri avertique patiamini.

DIXI.



UL-

ULRICI HUBERI ORATIO INAUGURALIS

HABITA FRANEKERÆ,

Cum ex ordinaria Eloquentiæ & Historiarum Cathedra solenniter in Juridicam deduceretur;

Exhibens Historiam Juris Romani, & ex ejus argumento continuam probationem, literas humaniores cum jurisprudentia esse conjungendas.

a. d. XIII. Kal. VIIIbr. CIↃ. IↃC. LXV.

CUm publico auspicio primum ex hoc amplissimo ad dicendum loco eminerem, AUDITORES, quæ singula corroboratam & exercitam eloquentiam debilitare poterant, ea tunc in adolescentem prope universa incumbere videbantur. Non tantum, quod Auditorii insolentia, & frequens doctissimorum hominum conspectus, aliaque majora quàm essent, inexpertis oculis offunderentur: sed quod pro ea dicendum professione foret, quæ cum ex multa eruditione, ex pluribus artibus, & maximarum rerum notitia, exundet & exuberet, omnium doctrinarum velut compendium repræsentaret, Qua quidem existimatione gravissimi muneris, & publice tunc fatebar, & semper alias ita præ me tuli fuisse perculsus, ut *Illustrissimorum Procerum* voluntati vix fuerim obsecuturus, nisi munitus testimonio, firmatus alloquio, & hortatu *ejus potissimum Viri*, (1) *cujus desideratissimam memoriam recenti adhuc luctu, & acerbissimo jacturæ sensu Academia prosequitur*; & cujus ego recordatio-

 ni

(1) *Jo. Jac. Wissenbachii*, de quo mox. plura. Ipsum pro concione laudaverat Collega JCtus, *Guil. Cup.* Vitae praecipua enotavit Noster in *Dedicat. Dispp. Wissenbachii ad Institut.* Vid. Inf. Oratio XII. *sub init.*

ni tantis me beneficiis obstrictum reperio, quæ non modo gratias habendi sed & agendi facultatem multum antevenerunt. Quam ut omnino præcideret Ille, ac æternum in ære me suo quasi nexum retineret, supremo etiam moribundæ voluntatis honore vices meas sustulit, & gratitudinem, quâ defungi non poteram, soli posteritatis conscientiæ voluit obligatam. Sed hæc rerum humanarum inconstantia, hæ vices sunt temporum! Quo præ cæteris auctore nuper ausus eram in publicum, in hunc spectatissimum docendi locum prodire, cujus testimonium imbecillitatis meæ auctoritas, cujus laudes quasi Sponsiones publicæ & vades mei studii habebantur, is hoc tempore non hærentem pari occasione, consiliis explicat, non hortamentis nutantem recreat, sed publici privatique damni reputationem & gravem luctus memoriam renovat. Nam etsi, quod imprudentibus largitur tempus, ratio solet occupare solatium, hic in contrarium ipsa ratio doloris vetustatem acuit, nec patitur obliterari, quod continua irreparabilis detrimenti æstimatione repræsentat. *Tu quidem, Beatissime* Wissenbachi, *vivis etiamnum vivesque semper; nam fas non censeo mortem vocare quâ tua mortalitas magis finita quam vita est; quin & latius in memoria & sermone hominum versabere, postquam ab oculis recessisti*; sed nos publicæ vocis silentium, nos gravitatis, sanctitatis, doctrinæ fulgentissimum sidus, nos Solem Academiæ nostræ (Tu supra invidiam es) occidisse lugemus, Si tamen flere fas est, & non potius ad exempla consiliorum atque virtutum tuarum respiciendum. *Hoc enim multo præstantius est amicorum munus quæ præclare fecerint defuncti, quæ præcepta reliquerint meminisse, quam irrito desiderio & se macerare & ipsorum gloriam ignavo luctu otiosisque lamentis prosequi.* Non equidem diffusam & inexhaustam Viri maximi eruditionem, *Auditores*, non vitam innocentissimis moribus plusquam professioni suæ respondentem nec loco nec tempore jam suo laudabimus. Sed unum ex innumeris doctrinæ consiliis, quibus studia nostra regebat, tacitus nullo modo præterire possum; quod & ab initio suggestum & adsiduo inculcatum, si quis avidius amplecteretur, cum mirifice delectabat. Hoc enim, cum in adolescentiam se repetebat, aditum ad intima civilis sapientiæ sacraria præbuisse, hoc viro sibi facto aures homi-

hominum, hoc januam famæ patefeciſſe recordabatur. Scilicet, *à primis diſciplinæ rudimentis, eum qui Juris olim ſacerdotio cuperet initiari, illuc vota ſuo dirigere, illuc conatus inſtituere laboresque oportere affirmabat, ut graviſſimæ Juris Romani prudentiæ, non tralatitiam* (verbis ipſius utor) *utriusque linguæ, hiſtoriarum, antiquitatis & quicquid humaniori literaturæ complectimur, cognitionem præmitteret, nec unquam à Legali ſeveritate eruditas amœnitates ſepararet.* Et mihi quidem, admiſſi in animum altius ſaluberrimi hortamenti ille fructus ſtudiorum atque fortunæ conſtitit, ut non modo Artem, cui meorum me voluntas addixerat, felicius ac facilius caperem; ſed mox etiam, quod auxilio tantum honeſtæque voluptati comparaveram, otium mihi luculentum & ornatiſſimam Cathedræ dignitatem conciliaret. Cui ſive ab initio fuerim impar (2), ſeu poſtea, ut mihi Procerum benignitas perſuaſit, ſim viſus ſatisfeciſſe, id non ſine eximia & incomparabili utilitate me ſentio conſecutum, ut quanto fidelius mandati officii partes implerem, tanto me profundius iis artibus immergerem, quæ ſummopere Juris ſcientiam ornarent, augerent & illuſtrare poſſent. Quapropter quod experimenti periculo, quod tam claro Præceptoris & omnium qui civili gloria floruerunt, exemplo, ſtudii noſtri caput ac fundamentum eſſe cognovimus, id hodie pro ſolenni ſententia pluribus approbandum, & Inaugurali occaſione digniſſimum judicamus. Non, ut quæcunque poſſent jucunditatis & emolumenti rationes in ampla diffuſaque materia proferantur: Sed quod mihi compendioſius, vobis, *Ornatiſſimi Auditores*, gratius fore confido, *ex hiſtoria Juris Romani conjunctionem Legalis ſcientiæ cum politioribus literis non modo ad ornatum, ſed utilitatem quoque ſummam pertinere doceamus. Exhibebimus*, inquam, compendio, *quo ſtatu, quo cultu Romanæ Jurisprudentiæ ſtudium inde à primo Decem Virali initio uſque ad hæc ultima tempora ſit habitum, per tot rerum & Imperiorum vices provectum & continuatum.* In qua commemoratione, ſi nullos omnino vel Auctores legum vel Interpretes, harum artium, quas lau-

(2) Annos unum & viginti natus, anno 1656. Novembris ultimo, munus ſuum auſpicatus Vid. Vitringa Pater, *Orat. fun. p* 11. *&* 12. Ceterum ingenuam hanc auctoris modeſtiam nec diſſimulare Eckius potuit, *Epiſt. ad Amic de Parentibus Juſtiniani, p.* 14. *ſeq.*

laudavimus expertes, si decus & famam sine harum præsidio nulli temere parta comperiamur, nec hodie censeo dubitatum iri, quin Jurisconsulto futuro sit idem necessarium, quod ab omni antiquitate illis ratio & usus adesse oportere approbavit. *Primo omnium satis constat*, populum Romanum, ut de antiquissimis mortalium accepimus, sine jure certo sine legum freno manu Regum esse gubernatum; sive quod nulla adhuc mala libidine nec pœna coërcitionibus indigerent, sive antequam unius imperii pertæsum, simplicitate & ignorantia rei pulcherrimæ *Principum arbitria pro Legibus acciperentur*. Sed cum pulso Tarquinio plebis & Patrum factiones Rempublicam agitarent, pravoque licentiæ vel dominationis usu nullum jus æquum, sed contrariis cunctæ studiis raptarentur, facile constabat, opus esse *remedio*, *quod neque inflecti gratiâ*, *neque perfringi potentia*, *nec malis artibus adulterari posset*; multitudinis lasciviam, nobilitatis ambitionem, utriusque pravi pervicaciam *re Jurda & inexorabili* coercendam. Igitur compositæ duodecim *Tabulæ*, non ut sæpe alias, *dissensione ordinum & apiscendi inlicitos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latæ*, sed ut summis infimisque, quatenus humanum providere posset ingenium, ex æquo consuleretur; idque tanto populi consensu, *ut non jussisse latas sed ipsemet tulisse videri posset*. Hoc est non Romani jam sed omnium populorum commune præceptum & velut *Sponsio generis humani.* Hic est *unicus in immenso aliarum super alias acervatarum Legum cumulo*, *fons omnis publici privatique juris*; quo duobus hisce annorum millibus orbis terrarum utitur. Ex hoc fonte, inquam, velut rivi, cæteræ *Leges*, *Plebiscita*, *Senatus Consulta*, Principum & Magistratuum *Edicta* promanarunt, hinc illud flumen *Prudentum interpretationis* & ad hujus exemplum recentiora gentium scita ac instituta in universum juris Oceanum confluxerunt. Sed unde hoc immortale Dei donum? Unde primam hujus fontis scaturiginem arcessimus, *Decem-viri accitis*, *quæ usquam egregia*, *Duodecim Tabulas composuerunt*, *non tantum* ex antiqua Hetruscorum disciplina, sed & celeberrimis Græcorum maxime Athenienfium, quæ sapientiæ & æqualitatis temperamento laudabantur, monumentis excerptas, civiumque ingeniis, quatenus Italica gravitas à Græculorum levitate non abhorrebat,

accom-

accommodatas. (3) Quin eâdem opera *Phœnicum*, *Ægyptiorum*, aliarumque per Orientem nationum, memorabilia huc fuisse derivata liceat affirmare, cum ex iis eruditionem adeoque & corpus suarum Legum peregrinantem collegisse *Solonem*, vetustas prodiderit. Videtis igitur, *Auditores*, hos *duodecim Tabularum* Conditores, sine Græcis artibus, hoc est, omnibus quæ philosophia & universa studiorum doctrina sibi vindicat, muneris sui partibus perfungi non potuisse. Qui de omnibus vitæ publicis privatisque, forensibus & domesticis officiis, de omnibus rebus divinis ac humanis commentabantur, an hos ullam sapientiæ partem, nedum linguarum eruditam varietatem aliaque communia & pervagata ignorasse arbitrabimur? *Si bibliothecas omnium philosophorum unus duodecim Tabularum libellus & auctoritatis pondere & utilitatis ubertate complectatur ac superet*, ut *Tullius* arbitratur, satin clare videtis, ejus Artifices & philosophicas artes & earum Comites ac administras cultiorumque gentium mores & instituta percalluisse? Eos *in doctrina de naturis hominum*, *de historia*, *de antiquitate*, *de administratione Reipublicæ*, & si quam aliam suppellectilem in Jurisconsulti instrumento *Scævola* requirebat, præclare fuisse versatos? Cæterum, populus Romanus, his legibus latis, quod apud omnes peræque gentes evenisse videmus, nequaquam in simplicitate & severitate illarum acquievit. Nam & rigorem antiquum, cui par non erat posteritas, à Prætoribus emolliendum curaverunt, & mox imperitia multitudinis interpretationem fori, interpretatio novum jus, *Prudentium Auctoritatem* stabilivit. Quid attinet, *Auditores*, denuo contendere, quod ultro se probat & in oculos ingerit, non potuisse legum sensus intelligi, non rationibus confirmari, multo minus illustrari vel ad utilitates communes & fruitionem æqualitatis flecti, nisi illarum artium ope & facultate, quas in compositione juris nobilissimi adhibitas & expressas memoravimus. Quid hic ego *Sextum Papirium*, *Appium Cæcum*, *Tiberium Coruncanum*, qui primus profiteri cœpit, aliosque, quorum laudibus Pomponii manuale sufficit, enarrandis enumerem?

(3) Post Jac. Gothofredi integram messem, & nos spicas legere instituimus, *Doctr. Proœm Institut.* § 13. Sed nec hisce nunc opus, edita absolutissima *de LL. XII. Tabb*, commentatione Ev. Ottonis, jam Syndici Brem. in *Praef. tom. III. Thes. Jur. Civ.*

rem? ne *Mutii* quidem *Scævolæ* Jurisconsultorum eloquentissimi, & Eloquentium Juris peritissimi, pervulgata mentione utemur, cum omnis antiquitas plena sit exemplorum, quibus nullas res æque conjunctas, usuque assiduo conglutinatas apparet, quam *bene dicendi Artem*, & *Juris notitiam*. Legum, inquam, studio eloquentiam conjungimus, non eam qualemcunque dicendi exercitationem, sed ut omnes variæ eruditionis partes hac una voce complectamur. *Nam & publici juris auctoritas & regendæ Reipublicæ ratio & monumenta rerum gestarum & vetustatis exempla*, ut *Cicero* judicabat, *oratori nota esse debent*, *ac pariter Jurisconsulto est enim plurima*, pergit idem, *in Pontificum libris*, *qui & Jura tractabant*, *in duodecim Tabulis & in omni Jure* Civili *antiquitatis effigies & historiæ ac Eloquentiæ communicatio*. Hinc P. Crassus illius Scævolæ frater sæpe testabatur, *se nec ante causas amicorum tractare atque agere cœpisse*, *quam jus Civile didicisset*, *nec in hujus studio feliciter se versatum*, *nisi cum vicissim dicendi copiam assumsisset*. Quid vero ille M. Cato, qui nihil ostentationis, nihil voluptatis & vis quicquam ornatus causa affectabat, nonne & eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa ætas Romæ ferre maximam potuit & Juris Civilis omnium peritissimus? Nonne & provectus in senectutem, ut accuratius utrique studio satisfaceret, literis Græcorum excolendis animum applicuit? Cui potissimum exemplo, *Juvenes Ornatissimi*, velim pro se quisque diligenter attendat. Vir antiquæ severitatis, ab omni novitate, elegantia, cultuque amœniori pene morose alienus & jam ætatis vitio asperior, ut civili tamen doctrina se plenius imbueret, non altiorem modo sapientiam, non domesticæ antiquitatis memoriam, non modo vernaculam sibi facundiam comparavit, sed transmarinam humanitatem & politiores Musas sectari tanto quidem amore voluit, ut pridem *Consularis* & *Censorius*, postremò *Elementarius* quoque *Senex* appellari non erubesceret. Qua mutatione literaria forsitan austeritas ejus efficacius quam uxorio levamento, quod octuagenarius in juvencula quæsiverat, detrita fuit ac emollita. Sed proinde, num quisquam erit vestrum, *Themidos Alumni*, qui ætate ingenioque florente fatiscentem corpore & animo *Catonem* imitari sit cunctaturus? Imo si vel utilitatem necessariam vel liberalem animi oblectationem quæritis, occu-

cu-

cupate tantum decus, ne vel ad senectutem *Catonis* non perveniatis, vel eam assecuti animo forte pari commodoque destituamini. Quod si hæc severiora pristinæ doctrinæ nomina juventutis animos nondum satis elegantiarum amore inflammaverint, transeamus ad proximum multo equidem pulchrius & politius ac aureum vere sæculum, *quo & verbis delectus, & ars compositioni, & sententiis accuratior inventio est adhibita*, & quo cultior omnino ac lætior eloquentia viguit ipsamque Jurisprudentiam multo reddidit illustriorem. Omnia in admirationem florentissimi temporis elogia cumulasse videbor, si hoc ipso *Tullianam* è rostris & in foro vocem tonuisse ac fulgurasse dixero, si libros scripsisse de Juris arte *Sulpicium*, si responsa dedisse *Trebatium* commemorarim. Quorum uterque, ut Græcis artibus, sic amicitia proximus *Ciceroni*, perfectos, ut Oratorem alter, si tamen unquam possunt esse perfecti, (4) Jurisconsultos exhibuerunt. Et *Servius* quidem altero primum studio contentus & infixus, postquam necessitate & convicio *Scævolæ* exagitatus ad conjunctionem utriusque compulsus est, nec Oratorem, nec Jurisconsultum, in suis tantum subselliis exactam mereri laudem experimento docuit. Quæ non ejus fuit solius, aut *Trebatii*, sed omnium qui Romæ ad honores contendebant, existimatio; *sine eloquentia, & civili facultate; neminem aut assequi posse, aut tueri conspicuum, & eminentem in civitate locum*. Nemo plus nominis & favoris apud plebem, apud Principes gratiæ, apud Patres & Magistratus auctoritatis, quam Patroni causarum comparabant, quorum numero qui censerentur, tanquam inertes nec honoribus suffecturi negligebantur. Hos Præturæ & Consulatus ultro vocabant, nec privati quidem honore & potestate carebant; *cum nihil splendidius, nihil ad magnam potentiam efficacius haberetur, quam clientelis abundare, & laborantium spem, vitam, ac posteros, gloriosa vocis munimine tueri*. Hoc igitur fuit tempus, quo *forum nobilissimis Patronis coartatum*, quo Juris Facundiæque Magistri & numero & dignitate in immensum augebantur. Quin forte adeo nimium, ut luxurioso ingeniorum proventu, *hoc nimium verteretur in vitium, & eloquentia fieret alumna licen-*

(4) Obviae sunt *Freigii*, *Praschii*, aliorumque hujus argumenti differtt. quibuscum jungenda Cl. Heineccii *de JCtis Semidoctis* Oratio Viadrina.

centiæ, comes seditionum, effrenati populi incitamentum, arrogans, temeraria, contumax, sine obsequio, & ignara servitutis, in quam tamen ab Augusto, (5) subtractâ, quæ facem admovebat, contentionum materiâ, una cum populo brevi fuit redacta. Nec minus Jurisprudentia Legum multitudine & Interpretum copia non sine magno judiciorum dispendio & omnium rerum confusione laborabat. Adeo quidem, ut *Cæsar Julius* inter præcipuas ordinandæ Reipublicæ curas, huic morbo nonnisi magno & audaci remedio succurrendum judicaret. Quippe ex infinita Legum & disputationum mole tollere supervacua, seligere & in paucos conferre libros, ut multis postea sæculis à Justiniano factum, probatissima quæque decreverat. Quod, nisi mors eum infausta & hac utique parte inauspicata occupasset, cis paucos menses incredibili cum posteritatis fructu absolvisset. (6) *Per me quidem fruere conscientia tua BRUTE, & quantum vis, imputa Idus Martias populo Romano. Consuluisti tamen immortalitati tuæ potius quam orbi terrarum, pessimo dicam an pulcherrimo facinore. Manes tuos non insectamur, nec tyrannicidæ statuam invidemus, sed rosæ ac lilia sepulchrum tuum non ornent, qui nimis crudo servitii odio improspera festinatione saluberrimi conatus fructum generi humano intercepisti. O quam præstitisset, corruptos & degeneres tuos cives legum & imperii obsequio licentiam exuere, quàm ancipiti & piaculari libertate intempestive onerari! cujus adeo incapaces & indigni erant, ut ne traditam quidem & inculcatam à vobis recipere & conservare potuerint. Si carunculam Senis expectare & tantisper indomitam regni impatientiam cobibere, quam Rempublicam in casum dare & civilibus bellis involvere maluisses, O quam præclaro Magni Dictatoris beneficio Jurisprudentia frueretur! Quanto cultius Justiniano* (ignoscant sacratissimi manes) *Caji Cæsaris ingenium, quanto melior & doctior Triboniano Sulpicius, quàm dispares Dorotheo nescio cui, vel Theophilo, Scævola atque Trebatius, quanto beatiora florentis Romæ quam jacentis & à Gothis oppressæ tempora, tanto elegantius, tanto con-*

(5) Quam materiam erudita oratione persequutus est Jo. Kool, *de artiq quib. Aug. sibi paravit imper.* Trajecti, anno 1696.

(6) Hanc *Erycii Puteani* querelam fuisse, Auctor in *Eun. Rom. p.* 2. & 3. memorat. Conf. Thomasius *de Naev Jur. Rom. lib. II. cap.* 1. Rem ipsam in *Doctrina Proœmia Institt.* excussimus, § 15.

concinnius & eruditius (confessionem vis veritatis extorquet) *Julianum præ Justinianæo Compendium extaret. Non versaretur in ore doctorum tristis querela, fractum nobis & lacerum & enerve Juris corpus esse relictum. Non repræsentarent deliciæ nostræ, Pandectæ, quasi rudera magnificentissimi ædificii pulvere multo dissipata, quasi tabulas ornatissimæ classis ex infelici naufragio reliquas, aut merces pretiosissimas irreparabili jactura mari vasto fluctuantes. Ille, qui ingeniosa Kalendarii emendatione suas anno tempestates, suas vices Soli & Cœlo restituerat, quantam non lucem foro idem ac tribunalibus, id est, ipsi Justitiæ, unico societatis humanæ præsidio, immortali posteritatis bono infudisset! Non hoc solo, quanquam fortuna major, Patre fuisti minor* Auguste! *Qui potentiæ securus & otio affluens, cum abjecto Trium-Viratu, jura dares, quibus pace & tanquam Principe populus uteretur, institutum Divi Julii adeo non persequebaris, ut potius de cumulandis legibus augendaque fori disceptatione cogitares. Interpretes Juris non modo auctoritate, quam & olim populari consensu obtinebant, sed insuper immensa Legislatorum potestate armasti. An ita dominationi visum expedire? ut nova responsa vetus Edictum, & Prudentium auctoritas judiciale regnum Prætoris everteret? An ut otii dulcedine plebs emollita, nobilioresque animi civilibus studiis ac forensi occupatione, partium & armorum obliti, pristinam ferociam & atrocem Reipublicæ memoriam deponerent? Sed interim gloriæ atque dissentiendi libido docentium copia & dignitate aucta, non modo judicum religionem multitudine sententiarum distraxit; sed & Græculorum exemplo scholasticas contentiones & sectarum nomina sanctissimis auditoriis intulit.* Verum hoc professionis nostræ damnum aliud pensavit commodum, hanc tam severi studii corruptelam novum *Augustæi* sæculi ornamentum obliteravit. Nam licet illa quondam *Tulliani* ævi senatoria & judicialis eloquentia paulatim, imminuta libertate, in arctum cogeretur, ab hoc tamen potissimum tempore, politiores illæ & secretiores literæ, quas humanitatem & elegantias appellamus, cum Legum interpretatione conjunctæ & velut adoptatæ à Jurisconsultis, in eorum cultu ac comitatu esse cœperunt. Temporum quies, otium populi, Senatus tranquillitas, & contentiones ordinum severiore Principis disciplina castigatæ popularem vehementemque facundiam adstrinxerant & frenum oratoribus imposue-

rant. Proinde, qui plausum & & clamorem audientium velut pleno theatro mereri non poterant, domi tanto exactius eloquentiæ & literarum ope Jurisprudentiam excolebant. Præclarum specimen *Antistius Labeo*, Princeps & Pater *Proculejanorum*, hujus instituti præbuit; qui, teste *noctium Atticarum Aristarcho*, Juris quidem civilis scientiam principali studio exercuit, & consulentibus publice responsitavit; cæterarum tamen bonarum artium adeo non fuit expers, *ut & in Grammaticam sese & literas antiquiores altioresque penetraverit, Latinarumque vocum origines rationesque percalluerit.* Quod adjumentum quantopere Juris Professori expediat, nemo clarius eodem *Labeone* docuerit, qui *hac præcipue scientia ad enodandos plerosque Juris laqueos feliciter utebatur.* Quis hodie non risu vel flagris dignum judicaret, qui Jurisconsultum ad vocabulorum disputationem & Criticorum nugas adstringeret? quis Majestatem artis amplissimæ non corrumpi hisce minutiis & indigne violari contenderet? Sed desinent mirari, qui quod Oratoriæ Institutionis Auctor de hoc ipso censet, animadvertent; omne jus positum esse, aut in æqui pravique discrimine, aut in verborum interpretatione. Agnoscite, reponite hoc animis, *Ornatissimi Juvenes*, duas professionis nostræ studiique vestri partes constitui, unam gravissimis Philosophiæ, alteram jucundissimis philologiæ præceptis imbutam & instructam. Quapropter exuite hanc persuasionem, alterutram vobis partem ad consummatam Iuris intelligentiam sufficere, Mihi vel potius *Quintiliano*, quem laudavi, credite; sine studiis humanitatis Leguleji, non recuso, Jureconsulti nequaquam haberi potestis. Hinc æmulum *Labeonis*, & pacis eodem tempore decus alterum, *Capitonem*, & *Sabinianos* Auditores, quique proximis Imperatoribus utrique Scholæ præfuerunt, idem incorrupta sectatorum imitatione continuasse & annales & ipsorum monumenta sequuntur. Nam licet illa Veterum magna & notabilis facundia spretis exercitationibus paulatim erat amissa, quantopere tamen facultatem ejus Jureconsultis necessariam judicarent, cum in Rhetorum declamationibus, fictisque controversiis, & imitamentis dicendi versarentur, abunde significabant; uti nec illæ, quas dixi, arcanæ & à strepitu remotæ literæ, donec Imperio suum decus & honos mansit, à Patronis cau-

caufarum feparatæ unquam neglectæque fuerunt. Quod utinam, qui noftro fæculo in forenfis gloriæ, ut hoc dicto utar, periftyliis ambulant, imitari dignarentur! à quibus vulgo in bonas adeo contemni aut ignorari videmus, ut in actionibus eorum atque confiliis etiam fæx quotidiani fermonis, omniaque inculta & impolita, nec raro, cum Legum autoritas erudita Lingua profertur, pudendi errores vixque tyrocinio ignofcendi reperiantur. Sed ab irrito reprehendendi labore ad antiquos relabamur. Haud fruftra focietatem elegantioris doctrinæ atque Juridicæ profeffionis, modo cum honore & magnitudine Romani Imperii conjungebamus. Nam priusquam migratione *Thracica*, & *Vandalorum Gothorumque* inundatione, Romana Majeftas aut in exteros fparfa, vel à Barbaris extincta defeciffet, nunquam elegantiis fuis, nunquam fuis literis & humanitate Jurisprudentia deftituebatur. Cujus rei magnificentius & gloriofius argumentum, quam refponfa Veterum, quibus hodierna Digeftorum volumina conftant, nulla gens vel ætas præftare poteft. Quæ ab alienis quoque Lectoribus, ne ad fufpectam domefticæ auctoritatis fidem provocemus, non modo laudis maximæ, fed admirationis etiam fummæ teftimonio extolluntur. Quale mihi mihi non tempero, quin ex nobili Scriptore, nec Jure Confulto, nec fatis æquo Jure confultis, quique cenfor alias & obtrectator eorum infolens & acerbus audiat, unum & infigne producam. (7) *Quippe non modo fummam diligentiæ, gravitatis, prudentiæ, æquitatis & doctrinæ laudem* Pandectarum Auctoribus tribuit, *fed & orationis tantam effe puritatem, dignitatem & elegantiam* fatetur, *ut beatos prædicet Juris Studiofos, qui tam ornatæ, tam*, ut ipfe loquitur, *aureæ difciplinæ dent operam, cum qua nulla ex iis quæ publice leguntur, quoad venuftatem & eloquentiæ copiam, comparari poffit. Non rerum* facrarum *profeffionem hunc cultum recipere, non Jus Pontificium, quod ex maxima parte fit Gothicum, non Philofophos fui temporis, quorum portenta verborum*, ait, *nec à Gothis aut Vandalis intelligerentur. Digefta*

(7) *Laurentium Vallam*, indigitat, doctum quidem illum, fed rabiofum Grammaticum, in *præf. lib. III. Elegant. Lat Serm.* Quam vero nuper *Cl. Jenfius* de Pandectis noftris conjecturam extulit, in *Strict. Jur. Rom in præf.* mihi quidem, alios enim ignoro, nunquam fcio probaturus eft.

ſta Juris Romani cum arce Tarpeja comparat, *quæ ut urbe capta & incenſa, non tantum ſola manſit inviolata, ſed recuperandæ totius urbis & imperii occaſionem præbuit; ita & hos libros non modo puros & ſanctos, cum omnia barbariæ ſitu obſita & contaminata jacerent, eſſe ſervatos; ſed per quotidianam eorum lectionem, & ſemper aliqua ex parte incolumen atque in honore fuiſſe Romanam Linguam, & brevi ſuam dignitatem atque amplitudinem recuperaturam. Tantum igitur*, inquit, *deberi puto hiſce libris, quantum illis olim, qui Capitolium ab armis Gallorum atque inſidiis defenderunt; per quos factum eſt, ut non modo tota civitas non amitteretur, verum etiam ut tota reſtitui poſſet.* Hactenus animoſi illius Grammatici autoritas, qui hæc tam magnifice, de Juris Auctoribus, non utique Græcis, nedum recentioribus Gothorum poſteris, prædicavit; ſed de genuinis ipſiſque Romanis. Nam donec Urbs æterna, quæ procreaverat, noſtram Artem in ſuo gremio fovit ac enutrivit, nunquam germana proles à Parente & à Majoribus degeneravit. Sed in aliam tranſlata ſedem, alioque induta cultu, non ſecus mores & formam corrupit, quam ſolum & cælum omniaque inſtituta mutavit. Romam videlicet eodem tempore civilium doctrinarum & eloquentiæ honos cum Imperii majeſtate deſtituit. Quæ dum manſit, non modo ſub *Antoninis*, ſed ad *Diocletianum* uſque & *Maximianum*, haud quaquam ſpernenda, quæque ſæculum ferre poſſent, utriusque ſpecimina duraverunt. Tandem ex *Britannia* (paucos ſcio quod dicam expectaturos) peſtis atque clades Italiæ & eruditionis Latinæ prodiit. *Conſtantinus*, inquam, cui religio magis quam Reſpublica, Pontifex quam populus Romanus, *Magni* cognomen debet. (8) Mole potius rerum geſtarum, & enormitate ſucceſſuum, quam ſolida ſuisque meritis ſubnixa fama, gloriam ad poſteritatem adeptus. Nam ut libertatem Romanam non contentione noviſſima, ſed priore *Cæſaris* & *Pompeji* concordia, trucidatum iri *Cicero* atque *Cato* vaticinabantur; ita ruinam Occidentis non *Gallieni*

(8) Verae ut religionis, ita jurisprudentiae, atque item reipublicae, corruptorem principem fuiſſe *Conſtantinum*, & ab ambitioſa in Epiſcopos profuſione, honorum atque divitiarum, *Magni* cognomen accepiſſe; ex hiſtoriis tum ſacris, tum profanis conſtat. Vid. *Jo. Leunclavii* apologia pro Zoſimo, & B. G. Struvius in *diſſ. de Conſt. M. ex ratt. poll. Chriſtiano.*

ni aut *Honorii* ſocordia, non *Stiliconis & Narſetis* perfidia, ſed tua, *Conſtantine*, imprudentia, & domicilii omniumque rerum præpoſtera mutatio, & Auguſtæis præſidiis nudata Imperii clauſtra pepererunt. Nam ut inconſulta Imperialis ſedis, & Germanicarum legionum diſtractione, porta Barbaris in cultiſſimas provincias ipſamque *Italiam* patefacta eſt, ita eruditionem & literas hac funeſta occaſione translatoque palatio, Romam & Occidentem reliquiſſe, nemo cui illorum temporum hiſtoria vel levi auditu conſtat, ignorare poteſt. Græcos autem, qui & olim ſua tantum mirari ſolebant, nequaquam pari affectu ſtudioque Leges & artes Italicas excepiſſe, nec eadem qua Romani Veteres dexteritate coluiſſe, res ipſa, quæque reliquerunt de Jure commentaria, teſtantur. Nolo doctiſſimis eorum Interpretibus (9) *Draconem Lacedæmoniorum Legiſlatorem*, *Severum ac Antoninum Divos Fratres* ſalutatos, & tot ridiculas verborum derivationes, aliosque lapſus pueriles exprobrare. Non patitur inſtitutæ orationis modus in reprehenſiones evagari; nec omnino præpoſteram eorum ſagacitatem probamus, qui in *Juſtinianum*, & Amanuenſes ejus, quæcunque perſonis contumelioſa, vel compoſitioni Juris indecora & adverſa reperiuntur, conquirere ſtudioſe, & cum bile multa evomere gaudent. (10) Erat ſane quod graviter indignaremur, ſi, ut vulgo jactatur, conſtaret, Juſtinianum poſt novam Legum digeſtionem, Compilatorum ſuorum inſtinctu, antiquorum Jureconſultorum aboleviſſe & concremaſſe monumenta (11); nec

(P) omnino

(9) Non Theophili, ſed librariorum σφάλματα haec eſſe, jam Nannius *ad* § 2. *Inſt. de I. N. G. & C.* item Curtius, Hotmanus, & Fabrottus *ad* § 6. *Inſt. de Excuſ. tutor.* oſtenderunt. Et Nannium quidem illaudatum ſequutus eſt Meurſius *in Solone, cap.* 13. *fin.* Vindicias vero ſecundum Theophilum, ceterosque Graecos, poſt Fabrottum in *Apologia, XII Exercitt. praemiſſa*, nuper admodum poſtulavit Jo. Henr. Mylius, *ad Proœm. Inſt.* & in *Hiſtoria Theophili*; ſpe majoris operis forte jam praerepta.

(10) Inter alios Hotmanus, in *Anti-Triboniano*, Ant. Faber, Matthaeus avus, & Chr. Thomaſius: contra vero Juſtiniani & Archytectorum cauſam ſtrenue egerunt Chifletius, Rivius, Trivorius, Gaudentius, & Cl. Schultingius peculiari Oratione, *ad calc. Juriſpr. Ante Juſt.* Ego mediam potius cum Ludov. Vive ſententiam probarem, *lib VII de Corr. Diſcipl. p.* 202. *ſeqq. ed in* 8.

(11) Ficta ab Hotmano, ut Cujacium ureret, calumnia eſt, in *Anti-Trib. cap.* 11. nullo unquam auctore cenſita. jamque pridem ab aliis ſatis exploſa. Vix enim fieri illud

omnino deerat, in quo justi doloris libertati indulgeretur, adeo penitus in versam vetustæ Jurisprudentiæ faciem, nec pauca sine dubio perperam addita, detracta atque mutata monstrari possent. (12) Sed alium dictioni meæ scopum, alios mihi fines terminosque pridem constitui, extra quos si in illam materiam egrederer, nec orationi finis, nec modus querelis reperiri posset. Quin ex ipsis hisce temporibus, & quæ multo infeliciora sequentur, novæ rationes se produnt, & valida pro conjunctione studiorum argumenta suppeditant. Nam & passim in commentationibus suis Græci, ut Auditores Linguæ & Antiquitatis Latinæ rudes, ex ipsis velut fontibus intimisque principiis erudirent, mores ritusque veterum & vocabulorum origines crebro & accurate inculcant. Quæ licet ab omni hallucinatione forsitan liberari nequeant, minime tamen vel hoc solo spernenda fuerint, quod nobis exemplo, his diebus, *Ornatissimi Juvenes*, in vestram gratiam imitando prælucere videantur. Nam si Græcorum juventus hoc novo lumine in percipienda Legum disciplina carere non potuerit, cum adhuc in recenti memoria vetus Respublica versaretur, quæ spes aut ratio vobis post tot seculorum decursum facilioris intelligentiæ superest? ut adeo non ornatum vel amœnitatem solam, non qualecunque commodum, sed inevitabilem discendi necessitatem literas & humanitatem flagitare videatis. Sed cum permultas hujus studii partes dari aliquoties sit dictum, audeo tamen affirmare (licet non paucos verear perculsum iri) nihil Juris Studioso utilius, nihil ad proficiendi compendium efficacius, quam mediocrem Græci sermonis usum esse ha-

illud potuit in tanta exemplarium toto orbe dispersorum multitudine; tum & non pauca hodiedum integriora veterum fragmenta superant; denique & complura alia in Basilicorum scholiis reperias, quae in Pandectis Justinianeis frustra quaesiveris. Adde sis *l. un § 9 fin C de cad. toll* item Harmenopulum *lib. II. tit. IV.* & principem denique JCtum, Corn. van Bynkershoek, *Opusc de Reb. Manc. cap. 7.* Quae omnia ex ipsis Basilicorum libris illustrare sum conatus in *Doctr. Proœm. Inst. § XIX not.* †

(12) Inficias nemo prudens haec iverit, modum tantummodo servandum hic esse, viri doctissimi admonent Vid. Ampl. Bynkershoekius in *praef. Sec. vol. Observatt. Jur. Civ.* quique eruditam Wissenbachii Emblematibus opposuit apologiam Triboniani consultissimus Wybo, in *ed. sec. Hal.*

habendum. (13) Novimus pervagatam hactenus, avideque vulgo susceptam opinionem. Theologos quidem & Medicos, forte an & Philosophos, nunquam suis artibus, quas è Græcis fontibus hauriunt, absque hujus linguæ præsidio decore satisfacere posse; At Juris Romani prudentiam, vernaculo sermone traditam, Græcis indigere literis, id vero inexpectatum & inauditum videri. Græcorum adolescentes ad nostras Leges accedere, sermonemque ausos aspernari accepimus, nobis non erit integrum ignaris Hellenismi Latinum Jus tractare, & negligere in Interpretibus, quod illi impune in Legislatore spreverunt? Equidem feliciter illos, *Generosi Juvenes*, latinitatis imperitos in nostra fuisse disciplina versatos res ipsa copiose refellit; Sed agite, quid nobis hodie expediat, non quid illis præstare licuerit animadvertamus. Fontes Romanos, nisi per Græcorum rivulos proponi inaccessos indignamini; Sed quid si fontes in arduo sitos, inventuque difficiles, rivos inde per lætas valles, & aperta camporum manantes, aditumque ad fontes planum facilemque præbentes reperiatis; nam quis eos adire, ut mox puriores bibat aquas, gravabitur? Sed ita cum Legum studio, & Græci sermonis, hodieque comparatum esse, quæso attendite, *Auditores*, dum ex recentiore Juris historia, priusquam peroremus, strictum, at in conspicuo exhibeamus. Hoc enim nemo inficias ire potest, postquam *Italia*, & omnis qui nunc est *Christianus orbis*, Barbaricis armis, Urbe & Imperio extinctis, redactus est in servitutem, Juris Romani scientiam omnemque memoriam funditus per populos Latini nominis eversam atque deletam, tantumque *Gothicas*, *&* *Longobardicas*, *&* *Saxonicas*, *atque Normannicas*, similesque magis Barbaras per Europam Leges valuisse, quæ nec hodie quidem Juri Civili tam eleganter docteque composito, & humani-

(13) Cicero *pro Archia*, *cap.* 9. *fin. Si quis*, inquit, *minorem gloriae fructum ex Graecis putat percipi, quam ex Latinis, vehementer errat*: in Romana certe Jurisprudentia, ut quae Graecam Latinamque eruditionem trahit universam. adfectu autem magis, quam vero judicio, in alia omnia ivisse constat Alb. Gentilem, in *Catone*; cujus verbis abuti passim videas semidoctos, a Viris Clar. Hombergio, Brunquello, Sibenio, jure merito reprehensos. Addesis laudati supra Mylii *Hist. Theoph. cap.* 6. ubi tamen minus benignum *Eckius* noster calculum tulisse videtur.

tatis æquitatisque pleno, cedere dignantur. (14) At interim *Constantinopolis*, nova Roma, & domicilium Imperii facta, Illustri Gymnasio, totiusque Orientis supremo Tribunali præfulgens, Juris Professionem, omnesque literas, pacis & florentium rerum amicas, cum nusquam sedem tutam stabilemque reperirent, sibi facile vindicavit. (15) Tam eximia potiti occasione Græci, omnium reliquarum artium inventarum gloriâ superbi, insito suæ linguæ excolendæ propagandæque, Latinorum autem obscurandæ studio, hanc quoque Reginam & Dominam Artem, una cum Imperii dignatione, Romanis subtrahere, sibique totam mancipare constituerunt. Igitur licet Imperatores, qui usque ad Justinianum novo Juri excogitando, ferendisque legibus operam navarunt, veneratione Urbis Æternæ, regnatricis Linguæ honorem utcumque tuerentur, absurdumque judicarent, alio publicos actos sermone celebrari, quam eorum â quibus ipsi originem, nomen, auctoritatemque ceperant; brevi tamen extitere, qui leges Vetustas in suam Linguam transtulerunt, & Constitutiones novas Græce tantum edi atque promulgari curarunt. Cui postremo accessit Justiniani, Recentioris & Antiqui Juris compendiaria Digestio, quam neque multo post intervallo, vel Gentis invidiâ, vel fatali socordiâ, veterum secutus est interitus monumentorum: Non equidem jussu Sanctissimi Imperatoris, quod nunquam mihi persuaserim, sed eâdem qua nos ratione sentimus omni die, breviariis & excerptis clarissimos auctores incuriâ paulatim & oblivione sepeliri. Ita per annos plusquam sexcentos sola doctrinam Legalis sapientiæ Græcia retinuit ac continuavit, ut non modo in Italia cæterisque provinciis, omni careret usu & honore, sed ne copia quidem aut ullum in publico exemplar Pandecta-

(14) Utramque Juris prudentiam, *Romani & Patrii*, conjungendam ab omnibus; qui *Pragmatici* censeri gestiunt, non vero divellendam esse, cordatiores omnes vere sentiunt; Contingius, Schilterus, Kulpisius, Strauchius, Hofmannus, quique alii Maiorum nostrorum leges illustrare sunt adgressi. Conf. V. Cl. Jo. Gotl. Heineccius in *Praef. Elem. Jur. Germ. & proœm. diss. Corpori Jur. Germ. praemissa.*

(15) De Gymnasiis publicis Romae utriusque, item Berytiensi, professa opera Conringius, Strauchius, & Hassaeus egerunt. Vid. Consl. *Omnem*, *pr. &* § 7. ubi quaedam adscripsimus, *ad calc. Rep. Inst. Jur. Civ.*

dectarum haberetur. (16) Nam vetustissimus Pisanorum Codex, quem postea Medicææ domus fortuna Florentinis addixit, primum in lucem prodiit *anno supra millesimum & centesimum trigesimo sexto, cum in Urbis Malfitanæ direptione repertus, magnoque veneratione ab victoribus prædæ exemptus, & quasi consecratus esset.* (17) Quocirca totum Corpus, *Ornatissimi Juvenes*, ut hodie circumfertur, vel à Græcis contractum, digestum, & in fragmenta redactum, vel à Græcanis Principibus omnino est conditum atque procuratum. Et cum hoc quidem Græce maximam partem conscriptum, illud ita Græcorum interpretamentis, & observationibus sit illustratum, ut multa sine illis à Nostratibus intelligi non potuissent, quis ea linguâ tam præclaro hujus studii instrumento carere se posse existimet? nisi *Baldum*, *Bartolum*, *& Accursium*, *vel Bulgarum*, *& Hugolinum*, aliosque ejusdem ævi Legum expositores. genuinos earum sensus aut vidisse putet, aut vere Antiquorum responsa fuisse interpretatos. (18) Enimvero nec potuerunt, nec proinde reprehensionem merentur, eo destituti præsidio, quod unice erat necessarium, & *Constantinopoli* abundabat. Ubi expeditum & in promptu erat resolvere difficultates, quas nostri ex concisis tot millium librorum particulis, ex ineptis versionibus,

(16) Eandem ferme sententiam tuetur Henr. Brencmanuus, in *Hist. Pand. lib. I. cap* 9. a qua tamen ut meam sejungam, inter alia quamplurima facit Juris Justinianei per Italiam promulgatio, sub ipsismet Gothis; perpetuusque tum Romae, tum in Exarchatu usus; Romanum porro ad Carolingos & Ottones usque celebratum Juris Gymnasium; citationes Justiniani legum in Jure Longobardico, Francico, Siculo; Gratiani, Gregorii, Yvonis auctoritas; loca apud Sarisberiensem, Philippum de Leydis, Speculatorem utrumque; ut alia nunc transeam, peculiari forte opera mox persequenda.

(17) Unus omnium optime ista excussit laudatissimus Brencmannus in *Hist. Pand. lib* I Non tamen omnia ex Florentino exemplaria, quibus utimur, manasse, in *praef. Lect Jur Civ.* me professum memini, & pluribus aliquando evincere adnitar, in nova Opusculorum hujus argumenti editione.

(18) In *Glossatoribus*, ab Irnerio usque, plura omnino laudem, quam vituperium mereri, post Alb Gentilem, cum Cujacio, Viglio, Alciato, Chesio quoque, & Marano, Bynkershoekio denique, adfirmare non dubitavi, in *Orat. Traject Inaug. pro Glossatoribus.* Ceterum in utramque partem a viro docto satis prolixe disputari ista posse nullus ignoro. Auctor itaque sum ut cum nostris conferantur, quae post editam a me Orationem prodierunt, geminae praefationes, una illustris Heineccii *tom II. Jurispr. Att. & Rom.* altera Cl. *Trotzii* novae editioni operum Gul. Marani adjecta.

nibus, & mendosissima Codicum Lectione, vel nunquam assequebantur, vel cœca falsaque divinatione corrumpebant. Cæterum, quis deformem & infelicissimam disciplinæ nostræ Professionem, à *Lotharii è Saxonia Imperatoris* (cujus auspicio) & *Bononiensis Irnerii* tempore, (19) (cujus ductu) restituta est Europæ Jurisprudentia, fuisse ignorat? Quam tamen prolixius ostendere, & exagitare supersedeo, ne quis eorum existimationi detractum & insultatum putet, qui adhuc in foro regnant, nec Pœnitendis de Arte nostra meritis claruerunt, ut tamen meliores haut dubie condendi Juris Auctores, quam conditi & à veteribus traditi Interpretes esse contendam. (20) Verum tandem aliquando superiori sæculo, depulsis tenebris, *novus illuxit sol Jurisprudentiæ*, postquam Grœcæ & Latinæ literæ cœlesti beneficio renatæ, ut reliquis disciplinis, ita nostræ facultati facem prætulerunt; postquam harum subsidio pristinos fontes vitiorum colluvie turbidos & lutulentos, Viri Magni repurgarunt, & limpidissimos inde rivos suo labore industriaque deduxerunt. Quorum Antesignani *Alciatus*, *Budæus Cujacius*, aliique illam magnam & duraturam cum Artibus famam, non magis in suis quam Literaturæ subselliis comparaverunt (21); Quorum ad scripta, *Præstantissimi Juvenes*, si ab *Accursianis & Bartolistis* aliquando transeatis, *non aliter vobiscum agi putabitis, quam si è domo situ & aranearum telis obsita in ædes pulcherrimas & argento aureaque supellectile renidentes adscendatis*. Quæ amœnitas & incredibilis delectatio præter utilitatis respectum sola vos ad amplectendum orationis nostræ propositum abunde, ni fallor, provehet ac invitabit. Sed ne arduum nimis asperumque

(19) Jam ante Lotharium ineunte saeculo XII. privata magis, quam publica auctoritate, *Peponem* primum, deinde *Irnerium*, Romanas Leges Constantinopoli edoctum, Bononiae Juris Scholam aperuisse, post Calixtum, & Conringium, data opera ostendit Ampl *Brencmannus d. lib. I. Hist. Pand cap 9.*

(20) Verba sunt Grotii, in *Proleg. de I. B. & P.* § 54. neque aliud judicium Gu. Budaei *ad tit. D. de Off. Praef. praet.* & Lud. Vivis *lib. VII. de Corr. Discipl. p.* 207,

(21) Literatura omnium virtutum maxima praedicatur *l. 1. C. Th. de Decus. urb. Rom* notante etiam Cujacio *lib. XXI Obs. cap.* 10 Commentatum hac de re Brunquellum vide sis in *Diss. Prael. Hist. Jur* Modum tamen a futuro Jurisconsulto sollicite tenendum esse, Auctor pluribus infra nos docet, *in Orat. X.* & in *Dial. de rat. doc. Jur.* quod ulcus & ipso leviter tetigi in *praef Lect. Jur. Civ.* utinam vero & mederi liceret.

que eruditionis hoc iter, quod pridem incultum, desertum & impervium sit, existimetis; non omnes equidem Juri destinatos pari modo & æque profunde literis ac antiquitatibus immergi suadeam; *sed qui otio & facultate abundant, hos plene vellem* instructos; *qui secundum eos, nec admodum festinant, nec longiores patiuntur moras, quod satis foret*, imbutos; *sed quos Parentum imperium, vel familiaris fortunæ occasio, properandi necessitate adstrinxit, si non daretur ultra, leviter saltem* tinctos *desiderarem*, etiam ex illa modica & perfunctoria Humanitatis notitia incredibilem in studiis suis & lucem & voluptatem percepturos. Sed ut aliquando absolvamus, si advertistis animum *Auditores*, quinque vobis intervalla & insignes studii nostri mutationes, post *Decemviralia* comitia, repræsentavi. (22) Et *primum* quidem ad *Antoninos* usque Cæsares, sub quibus præcipui, quorum supersunt responsa, floruerunt; *alterumque* spatium ad *Byzantinam* migrationem arctissime Leges & Literas copulasse, pluribus quam necesse erat verbis comprobavi, modo non paucioribus, quam ad alliciendam excitandamque juventutem requirebantur. *Tertium* à *Constantino Magno* ad *Saxonem Lotharium* Græcam Linguam ejusque inexhaustas divitias propius cum Legali gravitate conjunxit. Quod sequitur ab *Irnerii* Auditorio ad renatus novissime politiores artes, non minus acri validoque, licet diverso ad humanitatem stimulo vos impellet, si barbariem illorum temporum, & incredibilem inscitiæ deformitatem, oculis animisque proponatis. Sed *ultimum*, cujus nuper initium extitit, & mox nisi Deus & *BONA MENS* avertat, extabit finis, quo recentius; eo nos efficacius præsenti discriminis sensu movere debebat; ne *sextum* deterrimi ominis intervallum à nostro sæculo inchoaretur. Nemo enim, qui & cæterarum scientiarum & Jurisprudentiæ statum studiumque intuebitur, dubitabit, ire nos magnis passibus ad superiorum temporum barbariem, non iisdem utique causis, quibus Literæ & Artes, Romano collabente Imperio, interierunt, non diminutione publicæ Majestatis, nec inhumanis *Attilæ* vel *Totilæ* armis, sed proprio Marte, nullo prohibente vel infestante, doctrina-rum

(22) Pluribus hac de re post. *Jac Gothofr.* egimus in *Doctrina Proœmii Institutionum.*

rum inſtituta, velut immaturo feſtinatoque ſenio elanguerunt. (23) Cujus corruptelæ qui cauſas expetit, *Quintilianum* ut nobis loquentem audiat: *Quis*, inquit, *ignorat*, *& eloquentiam & cæteras Humanitatis Artes deſciviſſe ab iſta vetere gloria*, *non inopia hominum*, *ſed deſidia juventutis*, *& negligentia Parentum*, *& inſcitia Præcipientium*, *& ignoratione moris antiqui.* Non eſt igitur, quod ſeculum accuſemus, vel ingeniorum nos pœniteat, *Generoſi Juvenes*, modo incuriæ ſocordiæque maculam eluamus; quod cum in omnium ſit poteſtate noſtrûm, abſit ut vel conatibus veſtris diffidamus, vel de ſucceſſu præclaro deſperandum putemus. Non eſt quidem nulla Parentum quos *Fabius* incuſat, hodieque culpa, dum liberorum fortunis provide conſultum credunt, ſi feſtinatis votis eorum cruda ſtudia non per legitimos gradus promoveant, ſed in forum Eccleſiamque protrudant. Verum hanc difficultatem, qui ſerio ad amorem elegantiarum ſunt animati, facile profligabunt. De *Franciſco Duareno* proditum eſt memoriæ, quod miſſus *Lutetiam Pariſiorum*, ut Jura ſtuderet, cum *Budæanum* quoque Auditorium frequentaret, delatus à popularibus indignationem Patris incurrerit, quaſi nugis feriaretur, nec quicquam pro ſpe atque expectatione præſtaret Sed placato per *Budæum* parente, celeberrimum &, vix Cujacio ſecundum *Duarenus* nomen evaſit. (24) Non ſunt vobis, fateor, *Budæi* Præceptores, quorum & nunc peritiam atque dexteritatem merito *Quintilianus* requirat. Nobis nihil quam voluntatem affectumque & ſincerum gratificandi Vobis propoſitum ſtudiumque vetuſtatis arrogamus, ſine quo ſpes ſolida diſciplinæ & ſevera lex proficiendi nulla ſervari poteſt; quoque duce, ſi non omnia conſecuturi ſumma, nunquam tamen ab omni ſpe laudis via nobis præcludetur. Perſona quidem modo ſuſcepta impoſterum ſerio eſt agenda, quamque nacti ſumus Spartam hanc ſolam ornare contendemus, *Literas* commendamus, *Juriſprudentiam* docebimus, nec proinde amore diverticulorum deflectemus à regia via; ſed ad veram ſolidamque ſtudiorum frugem

(23) Cauſſas corruptae Jurisprudentiae poſt *Gravinam* & *Noodtium* illuſtres viri *Barntenſteinius* & *Heineccius* profeſſa opera indicarunt.

(24) Non auditor *Budaei*, quippe non docentis, ſed liberorum paedagogus fuit, atque domeſticus. Vid. Bayle in *Dict. Crit. h. v.*

frugem ipsamque Civilis Sapientiæ Arcem recta vos deducere conabimur. Dux & Auctor proprius humanitatis, curabunt *Illustrissimi Proceres*, & jam curaverunt, ne in hac ipsa bonæ mentis palæstra desiderari possit. Vos modo quibus bona mens & incorrupta disciplina sinceram proficiendi rectamque eruditionis viam monstravit, nolite adspernari hæc studia, quæ plus in recessu quam in fronte gerunt, plus præstant quam polliceantur; quæ non ad speciem atque pompam, sed veram solidamque laudem magnifice sunt comparata. Liceat nobis cum *Laurentio Valla*, quem modo scientiæ nostræ gloriam tantopere extollentem audivimus, hortamentum Maroniani versiculi vobis applicare, *O fortunatos nimium, bona si sua norint, Jurisconsultos!* Pulcherrimam vereque auream habetis Artem, si agnoscere pulchritudinem ejus atque splendorem, si percipere suavitatem, imbuto literarum deliciis palato, potestis. Proinde curandum vobis & prospiciendum, ne pudenda ignorantia, quam nunquam imputare possitis, fructu vos rei saluberrimæ destitutos & orbatos relinquat; ne propterea minor sit vestra felicitas, quod bona toties exhibita & inculcata cognoscere, & tota mente complecti neglexeritis. *Quis ea fronte, quis tanta erit audacia, qui ad Ulpiani, ad Scævolæ, ad Papiniani lectionem manibus illotis, id est, sine bonis literis audeat accedere? Quod erit os illius Jurisperiti, qui sine ulla humanitatis scientia Paulum, qui Cajum, qui Africanum, non dicam legendos, sed interpretandos aggredietur?* Credo, quod *divinarum & humanarum* rerum se Consultos prædicabunt, licet verborum minutias & scrupulos Grammaticorum ignorent. Sed quæ, malum! est arrogantia in *minoribus navigiis rudem esse se confiteri, quinqueremes autem & majores etiam gubernare didicisse!* Maximarum rerum scientiam jactare, ad quas sine parvis & minutis illis nemo unquam pervenit! Interpretari Juris auctores absque præsidio illarum artium, sine quibus nullo modo intelligi possunt! Scilicet, quibus non aliter aurum ex Antiquis erutum, quam multo oblitum Accursiano fimo splendescere videtur! qui sic adornant Jurisprudentiam, ac si vestem attritam laceramque opulentissimæ Reginæ circumdandam pararent. Et hos tamen videas non modo præsidium clientibus, sed orbi prope toti lucem ingenii atque doctrinæ suæ porrigentes ac ostentantes.

Quos ut fugiatis, *Generosissimi Juvenes*, & hortatus sum multis, & ad excitandum ardorem vestrum plura supererant; sed non omnia vobis inculcanda, quædam intelligenda relinquemus. Non usi sumus ignotis ad persuadendum argumentis; domestica sufficiunt. Leges vestras evolvite, Magistros Legum consulite, quamque docendi rationem illis tam præclare servatam videtis, eandem discendi viam alacriter insistite, & me auctore, præclara quæque de successu sperate. Sed nunc quidem satis ad vos abundeque diximus. *Quod superest, ad Te nos convertimus, Parens Ter Optime, Ter Sanctissime, cœlestis munificentiæ Dator & fons copiosissime, Te supplices veneramur, ut hæc nova muneris nostri professio in sanctissimi nominis Tui gloriam, in Ecclesiæ & reipublicæ utilitatem, juventutis omniumque nostram temporalem æternamque salutem cedat. Est ita* Clementissime Pater; *omnia pene cœlitus inculcata nobis præsagia commonefaciunt, supremum Filii Tui adventum circumacta præcipitantis ævi periodo, brevi terminum finemque rebus humanis impositurum, ejusque terribile (sic meriti nostri conscientia dictat) justumque judicium hæc terrena judicia Legesque & omnia fluxa societatis fundamenta sublaturum. Proinde nequaquam temere in has cogitationes delabimur; frustra tantum laboris & negotii civilibus studiis paulo postea desituris impendi atque consumi; dandam potius operam, ut à vanis transeuntium & caducarum rerum feriati curis animos in Tuæ Majestatis cultu ac æternitatis meditatione defixos & occupatos teneamus. Auget solicitudinem nostram asperitas præsentium temporum, Reipublicæ terrâ marique periclitantis perturbatio, & omen majoris mali, tam conspicue flagrantis iræ tuæ contemptus hominumque pudenda securitas; dum violatos Patriæ fines, vastatos agros, profligatas classes, interceptas à ventis victorias & haustas fluctibus utriusque Solis divitias, præda hostes, littora naufragiis impleta, non ut magnas calamitates loquuntur. Sed iterum* Ter Maxime & Benignissime Pater, *excitat perculsas mentes & ad officii institutum actionesque vitæ revocat Magni Judicis cohortatio, beatos prædicantis, quos in ultimis humani generis, illis cœli atque terræ comitiis, sui muneris satagantes operique sedulo incumbentes observaverit. De Republica, beneficiorum, quæ Majoribus exhibuisti miracula non minus desperare vetans, quam vitia nostra & ingratitudo reformidare jubent. Ignosce nimis luxuriosæ prosperitati no-*

nostræ & fortunam quam fecisti nova sed inculpata felicitate tuere, datisque tam largiter incrementis perpetuitatem præsta. Interea nobis animum, humilitatis, innocentiæ, gratitudinis plenum, fiduciaque propitiatorii sanguinis subnixam spem largire, qua stationi commissæ fideliter inhærentes rationem sui quisque muneris in illa die Magno Quæsitori probare possit.

DIXI.



ULRICI HUBERI ORATIO,

HABITA FRANEKERÆ

Cum iterùm Rector Academiæ declaratus esset.

Kal. Jun. CIↃ IↃ C LXVII.

Agit de celebribus Jurisconsultis Frisiis, *qui hoc & anteacto seculo floruerunt.*

INter cætera pietatis ac fortitudinis specimina, quæ Patres nostri in vindicanda libertate superiori seculo exhibuere, quanquam multa præclara memorantur, mihi tamen nullum illustrius extare videtur, quam quod magnificum *Academiæ* fundandæ consilium difficillimis temporibus & capere & explicare potuerunt. (1) Nam expeditiones continuæ, prælia, obsidiones, vigiliæ, constantia in adversis, solicitudo in prosperâ fortunâ, virtutes illæ quidem magnæ & admirabiles fuere; sed quas ratio temporum & necessitas bellorum sine interitu summæ rei abesse non patiebantur; at de seminario eruditionis, ornamentisque literarum, tam alieno tempore cogitare, ad animos in mediâ tempestate securos, & conscientiâ causæ fiduciâque prosperi eventus serenos, arguebat.

Majus

(1) Crescentis in dies libertatis, puriorisque religionis, firmandae caussa, *Leidensem* anno 1575. d. 8. Febr. ac decennio post *Franequeranam* d. 29. Jul. anno 1585. institutas fuisse, ignorat nemo Vid. *Fr. Fabricii Oratio in Natal III. Acad Lugd Bat. ibique citati in Adnotat. & Nic. Blancardi Panegyr. pro Jubileo Acad. Franeq.* Conf. *Pier. Winsemii Chronic. Fris. lib.* XIX *p.* 758. *seqq.* item *Henr. Ant. Nerdeni Initia Acad. Franeq.* De excitata denique, annis post quinquaginta, *Universitate Ultraiect* d. 16. Mart anno 1636. luculenta egit oratione Cl. Drakenborchius, in festo sæculari, anno 1736 d. 27. Mart. st. nov. Conf *Gisb Voetii, Ant Matthaei*, & *Ant Aemilii*, aliorumque Orationes Inaug. Gymnasii primum, deinde Academiae Ultrajectinae.

Majus erat fortitudinis documentum, clangente ad portas tubâ, agrisque incendio fumantibus, tanquam in pace Musarum sacris vacare, quàm de finibus cum potentiori hoste indies decertare; quatenus hoc audaciam in præsenti necessitate, illud fiduciam de futura felicitate contra incumbentes undique terrores indicabat. Præsertim autem mirari liceat unde tam in arctâ contentâque rerum copiâ, in extremis ærarii angustiis, quod belli quotidiano apparatui non sufficiebat, animi nostratium tam repente creverint, ut erigendæ insuper, & ex decoro, etiam ultra vicinorum exempla, instruendæ Academiæ se pares existimaverint. Magnitudo enim publici oneris cives tam importunè prementis omnem impensam ornandæ quam defendendæ patriæ inservientem respuere videbatur; ut, tametsi plerique Rempublicam neque Ecclesiam hominibus eruditis carere posse perpenderent, non fuerint tamen Proceres, sumptuosissimi rem consilii extra ordinem decreturi, nisi per quam nobilis doctrinæ amor cuncta obstacula perrupisset. Equidem de Juris Romani studio notabiliter in memoriam advertisse videor; ad hanc præ cæteris Artium disciplinis, ingenia nostratium, qui se studiis dare volunt, naturali vigore ferri. Quin fortean adfirmare liceat, haud alium populum tàm anguste habitantem hoc & anteacto seculo plures numero clarioresque dedisse Jurisconsultos. Quod ne affectu reverentiâque Patriæ præsumptum videatur, permittite mihi, *Auditores*, ut repetitis altius exemplorum documentis breviter approbetur, donec ordo temporis ad initium Almæ nostræ sermonem perduxerit. Nam exinde, volentibus vobis, consilium est, Jureconsultorum, qui in his Auditoriis docuerunt; & si qui fuerint alii; non *vitas*, quod est alterius instituti, sed breves *laudum* summas excerpere, nobisque ad æmulationem inflammandis proponere. Primò omnium, quam proclivia sint ingenia Frisiorum ad Jurisprudentiam, clarioribus nunquam speciminibus approbatum est, quam cum detritis factionibus, pulsisque *Saxonum* & *Gelrorum* exitiosis armis, *Carolus Cæsar V.* Burgundicæ Domui nos adjecit (2), compositâque

(2) Quam exiguo autem, vel nullo jure, immediatam hanc usque Imperii terram, suam velut Provinciam effecerit, hujus loci non est, ut ostendatur. Idem vero & de Episcopatu *Trajectino*, de *Transisalania*, *Groninga*, *Drenthia*, censendum puto.

que Republ. civilis otii, quo in hodiernum diem fruimur, saluberrima fundamenta à *Saxonibus* inchoata firmavit. Quâ temporum opportunitate detecta & exculta ingenia mox ita effulserunt, ut non *Frisia* modo eximiis abundaret Jureconsultis, sed coarctatâ multitudine Patriâ, per exterorum Gymnasia Curiasque diffunderentur, præeuntibus & quasi signum egregiæ æmulationis extollentibus *Viglio* ab *Ayta* Svichemo, & *Joachimo Hoppero* Snecano. *Viglius* enim (3) *Patavii* & *Ingolstadii* Jus Romanum professus, cum jam inter eruditissimos Italiæ Germaniæque numeraretur, ad Aulam Cæsaris vocatus est, moxque sub Philippo secreti Belgicæ Consilii Præses, Adsessor Senatus Ordinum, aliisque honoribus præfulgens, incredibili cum sapientiæ & gravitatis existimatione vixit; neque parum ad studia popularium excitanda contulit, cum exemplo & hortamentis, tum quod plus minus triginta adolescentes plerumque suo sumptu in Academiis exhiberet, totidemque fere mortuus, continuatâ in posteros liberalitate, Collegioque Lovanii constituto, sustentaret. Proximus ætate & dignatione *Viglio* fuit *Hopperus* (4), primo Juris apud Lovanium Professor, dein Senatui Mechlinensi, mox Secretiori Consilio adscriptus, postremò Belgicarum rerum in Hispaniâ Curiæ tantâ cum prudentiæ opinione præfuit, ut homo Belga *Sapientis* cognomine ab Hispanis, sua tantum mirantibus, honestari meruerit; præsertim postquam atrocia *Philippi Regis* consilia adversus Belgas tumultuantes, ita, sicut ille vates ratiocinatus erat, in nervum erupissent. At vero neminem ita bene subductis rationibus ad infinitam casuum varietatem fuisse, quem non aliquando fortuna refelleret, idem ille Sapiens *Hopperus* ostendit, cum in fata concedente *Requesenio* Gubernatore, pervicisset apud Regium Consilium, quo Rei Belgicæ summa Senatui Ordinum committeretur (5); quasi hoc populare remedium compescendis

(3) Praeter *Suffr. Petri* de Scriptoribus Frisiae, Decad. XII. cap. 10. vid, *Gesnerus* in Bibliotheca, & *Aubertus Mizaeus* in Elog. Belg. unde sua excerpsit Melchior Adamus in *Vit. Germanor. JCtor. p. 225. seqq*

(4) Iidem Auctores *dd. ll.* apud *Suffr. Petri*, Dec. XII. cap. 9. & *Melch. Adam p. 220. seqq.*

(5) Auctor in *Hist. Civ. part. II. lib. II. sect. I. cap. 16. p. 325.* post Hug. Grotium *Ann. Belg. lib. II. ad ann.* 1576. & Fam. Stradam *lib. VIII. de Bell-Belg. ad eund. ann.*

scendis populi motibus suffectu-rum putaret. At cum aliter quam opinatus erat evenisset, secutâ mox omnium provinciarum universa defectione, vir generosus, & sibi parcere nescius, tam alto pectore concepit dolorem, ut vel hac, vel aliis accedentibus causis, tabifico corporis languore brevi consumeretur. Sed *Viglius*, & *Hopperus* idem, antea pridem sub *Granvellano Cardinali*, Duacensium Academiæ constituendæ præpositi, juxta alios Frisios, *Boëtio Roordabusano* (6) Jurisprudentiæ docendæ provinciam detulerunt. Nec minus eodem tempore decora *Frisiæ* extra Belgicæ limites propagata sunt. Quippe *Cyprianus Vomelius à Stapert* (7) Juris Antecessor *Moguntinus*, à Carolo Cæsare nobilitatis Comitisque Palatini insignibus auctus, *Imperialis Judicii Spirensis* Adsessor constituebatur. Eandem *Spiræ* dignitatem tenuit *Aggæus Albada*, eique postea suffectus *Andreas Roorda*, viri splendore familiarum & eruditione præcipui. Sed *Georgius Ratallerus* Leovardiensis, primo Mechliniensi magno Senatui interfuit, dein legatione Danica pro Cæsare defunctus *Ultrajectinam* Curiam Præses gubernavit. In quo tamen honore præcesserat eum *Hector Hoxwirius*, qui ex *Frisiæ* Senatu *Trajectensi* Curiæ præfectus fuerat. Sed plurium laudes dignitatesque tradidit in libro, quem de claris *Frisiæ* Scriptoribus edidit *Suffridus Petrejus*; qui & ipse postea *Coloniæ* Jurisprudentiam docuit, quemque licet Pontificium, Ordines *Frisiæ* primum Historiographi sui munere & honorario sunt prosecuti; à quo hic honos diu vacuus in *Pierium Winsemium* transcriptus, & ab illo egregiè exercitus jam exinde pro beneficio Reipublicæ habetur. Sed pulchrum hoc veterum Frisiæ Jureconsultorum agmen claudat memorabilis *quadriga*, cui nescio an paris gentibus aliis in promptu sint futura, quatuor germanorum fratrum, qui Jurisconsulti & bonis artibus copiosi, nomen suum omnes æternitati, quod ex vero sit dictum, consecrârunt. Erant ex *Popmanâ* familiâ *Sixtus*, *Cyprianus*, *Titus*, & *Ausonius*. (8) Qui omnes

(6) Vid. Suffridus Petri *d. l. Decad. XV. cap.* 3.

(7) *Ibid Decad XIII cap.* 1 & 2 item *Decad. XI. cap.* 2. ubi & de Ratallero & Hoxwirio differitur.

(8) De iisdem late *Suffridus*, de Sixto *Decad XV. cap.* 4. de Cypriano *Decad. XIII. cap.* 4. de Tito *Decad. XV. cap.* 5. & de Ausonio *Decad. XV. cap.* 6.

omnes cum per exteras Academias se preclare exercuissent, in patria civitate *Ilstana* dediti otio nobili, secretumque studiis quærentes, rei literariæ scriptis adjuvandæ perpetuò incubuere, quod eorum tersa nec vulgaris doctrinæ monumenta hodieque extantia declarant. Interim neque Reipublicæ, nec Academiæ, florentibus adhuc ipsis constitutæ, aggregati fuere, seu religione sacrorum, sive, quod propius puto, amore secessus, & eruditæ quietis ab omnibus vitæ motibus abhorrentes. Hæc pauca & insigniora ex pluribus decora, quæ tulit ætas illa, memoravimus, non tam, ut argumentum orationis ab honore patriæ peteremus, quam ut posteri nos, conscientiâ degeneratæ virtutis in ruborem acti, ad æmulationem popularis, ac quasi domesticæ virtutis excitaremur. Enimvero, qui hæc bene consideret, huic in proclivi erit existimare, quo pacto tam claris studiis exculta *Frisia*, fundandæ Academiæ consilio desperatis temporibus applicari potuerit. Principio tamen, cum hæc res agitaretur, informes adhuc & angustæ cogitationes erant, rerumque sacrarum major quam reliquarum Artium ratio habenda videbatur. Crebrescebat interim fama egregii instituti, nec dubitabatur, quin *Leovardia*, metropolis Frisiæ, sedes Professorum novisque Musis domicilium destinaretur; quo loco *Viglium* quoque, & illos veteres *Frisios*, de Collegio stabiliendo cogitasse *Suffridus Petri*, qui consuetudine illorum usus est, commemorat. (9) Sane *Henricus Schotanus* (10) Jurisconsultus, recens è Galliis & auditione Cujacii redux, communem hanc credulitatem errore pulcherrimo secutus est. Quippe, ne vota Magnatum in sacrâ & philosophicâ re subsisterent, ipsis procerum quibusdam auctoribus, Jurisprudentiæ gustum faciemque nascentis quodammodo Academiæ Leovardiensibus repræsentavit. Excitatâ enim non mediocri studiosorum hominum frequentiâ, Institutiones Imperiales in aulâ *Jacobinorum*, apertis valvis, interpretari aggressus est. Promovit hoc haud

(9) Qui de re vernaculo conscriptus sermone *Dialogus* Auctoris nostri prostat, civem inter Leovardiensem & Franekeranum.

(10) Hunc primum Juris Antecessorem dictum mox fuisse, tum ex fastis Academiae, tum ex Winsemii Chronico, satis constat, *d. lib. XIX. p. 759.* Conf. Panegyricus Nic Blancardi, *p.* 13.

haud dubiè & auxit instituendæ ornandæque Academiæ consilium; sed invidia civilis discordiæ, cui se Leovardienses intemperantius miscebant, hoc decus Franekeranis conciliavit. Qui cum sua in Urbe comitia tunc haberi cernerent, plerisque Nobilium Leovardianis partibus adversis, facile tenuerunt, ne alibi, quam in hac Civitate *Academia* collocaretur. Non potest negari, quin *Leovardia* magnificentius Musarum fuisset domicilium eoque juventus frequentior confluxisset, ad majorem scilicet & pulchriorem abundantioremque civitatem. Et tamen, si ad exempla eorum, qui alibi terrarum Academias constituerunt, respicimus, plerique id egisse videntur, ut Collegia æmulantium studia sapientiæ in parvis secretisque locis haberentur. Novimus, *Academiæ* nomen esse à vico Athenis proximo, ubi Plato suas exercitationes habebat, fugiens metum strepitumque magnæ Urbis Athenarum. Marcus Tullius Arpini Tusculive, non in urbe gentium domina, collegia lectionesque studiorum colebat. Quæcunque sunt in Germaniâ celebriores Academiæ, mœnibus angustis continentur, *Heidelbergæ*, *Witenbergæ*, *Lipsiæ*, *Jenæ*, *Altorphii*, *Helmstadii*, *Tubingæ*, *Lausannæ*, *Marpurgi*, *Giessæ*, licet alibi vicinæ non deessent urbes longe ampliores. Idem Britanni in suis universitatibus apertè quæsiverunt. Nec est dubium; quin concursus occupationesque magnarum urbium habeant aliquid Musis secreto gaudentibus inimicum: Quanquam & alii conditores Academiarum non defuere, quibus diversa placuit ratio. Nostrates ita putare videntur, satius fuisse magnam scholam inde ab initio *Leovardiæ* constabiliri; sed *Franekeræ* semel constitutam rectius illic retineri. Hanc esse communem sententiam inde colligo, quod sæpius agitatum est, de Academiâ Leovardiam transferendâ, semper autem prævaluit, nihil esse innovandum. Quod de translatione deliberatum est, id argumentum mihi dat; videre Proceres, initio faciendum fuisse quod nunc emendatum vellent; Quod nihil mutarunt, eo satis indicant, non tam male sedere Academiam *Franekeræ*, ut tantæ molis novitas periclitanda videatur. Verum progymnasmata Jacobina tantum existimationis *Schotano* addiderunt, ut quanquam Proceres à principio *rei*

Theologicæ (11) duntaxat rationem habendam censuerant, ipse tamen inter primos electus & introductus fuerit Professores: atque ex eo per viginti fere annos eandem functionem cum maximo juventutis emolumento continuavit. Præ cæteris indefessa ac immodica, sicut *Timæus Faber* de eo scripsit, diligentia viri celebratur. Cujus documento sit, quod publicas lectiones, quoties & quamdiu sine Collegâ Facultati præfuit, quotidiè duas habere fuit solitus, privatis autem Collegiis tam frequenter Studiosos exercuerit, ut nihil commodo suo, nihil otio, nihil negotio tribuere, sed totum se discentium desideriis ac utilitatibus consecrasse videretur. (12) Septennium integrum sic unus vir Jurisprudentiæ suffecit; verum ab eo tempore collegas habuit viros nobiles & longe clarissimos *Julium à Beima*, *Johannem à Sande*, *Marcum à Lyklama.* Beima *Doccumii* natus ita pridem inclaruerat, ut Leidensis Academia hunc sibi delegerit Antecessorem, posteaque Frisiæ Ordines, eum exemplo *Drusii* atque *Tiaræ*, qui & antea *Leidam* propter *Franekeram* reliquerant, in hanc Almam vocaverunt. (13) Ibi cum *Schotano* gravitate morum, præstantiâ ingenii, & adsiduitate laborum, per quadriennium summa contentione sed absque simultate certavit. Cujus rei argumentum habeo, quod juventutem publicis disputationibus pariter exercuerunt, quarum volumen sociatis laboribus, non magis in doctrinæ quam concordiæ testimonium publicaverunt. Erat tunc seculum, quo supremæ Reipublicæ dignitates secundum merita hominum tribuebantur. Etiam loca Senatus Supremi, & Præturas Jurisdictionum amplissimarum *Professoribus* dari non erat insolens. Forte erat vacuus in summâ Curiâ locus, nec dubitabatur, quin omnium capacissimi tantæ functionis *Schotanus* & *Beima* forent. Illi tanquam seniori honorem primo delatum esse constat, etiam ab Illo recusatum esse constat, & mirabimini, credo, *Auditores*, rem

(11) Praeter citatos adeundus est Ubbo Emmius, *de Republ. Frif. p.* 52.

(12) Cum *Timaeo Fabro* conferendus *Vinnius* in Laudatione Bern. Schotani p. 7. seq.

(13) Vid Schotanus in *Descript. Fris.* item Antiquitt. & Fundat. Fris. *tom. I. p.* 407. Opera Lambertus filius postuma edidit, duobus voluminibus, *uno* formae majoris, minoris *altero*.

rem adeo ab usu intellectuque sequentium temporum alienam; magis etiam mirabimini, si caussam recusatæ dignitatis amplissimæ intellexeritis. Fuit hæc necessitas torquendi criminum suspectos, quam Senatores in universum evitare non possunt, sive in hac animi sententiâ fuerit, non esse tormentis subjiciendos qui scelerum convicti non sint (in qua plures egregios non modo Theologos sed etiam Jurisconsultos, nominatimque duos præceptores nostros *Antonium Matthæum* & *Wissenbachium* esse novimus) sive desperaverit vir bonus, animum durare se posse, non modo ad adspectum, sed etiam ad officium tam tristis imperii exequendum. Rem ita gestam esse filius ejus *Bernhardus Schotanus* narrare solebat, meminitque in oratione funebri apud hujus exequias *Arnoldus Vinnius*, cum *Bernardo*, inquam, Lugduni *Batavorum* parentaret. Itum igitur est ad *Beimam*, qui nihil cunctatus est senatorium honorem familiæ suæ, tam honorifice invitatus, inferre, quod actum anno præcedentis seculi supra nonagesimum septimo. Nihilo plus difficultatis successor ejus *Johannes à Sande* in accipienda eadem dignitate postea præ se tulit; cujus viri elogium pars notabilis hujus orationis esse debebat, nisi hunc mihi terminum inde ab initio posuissem, agere de Jurisconsultis in ipsa *Frisiâ* natis; Sandius autem natione Gelrus, *Ultrajecto*, ubi inter fori istius Togatos disertissimus habebatur, accersitus, matrimonio deinde fortunaque Frisius est factus. *Marcum à Lyklama*, cognomento de *Nyeholt*, tertium *Schotani* Collegam paulò diutius Academia retinuit, ab anno hujus seculi quarto adusque per sexennium, cum *Sandius* & *Beima* cis triennium ex Academiâ in summum Senatum migraverint. de nobilitate Lyklamanâ quæ satis omnibus constat, nihil opus est docere, sed Eruditio Viri è *Membranarum* & *Benedictorum* libris (14) clarius elucet, quam meâ prædicatione demonstrari queat. Ex ipsis inscriptionibus titulisque capitum primo auditu intelligitur, eum elegantis admodum suique fuisse virum ingenii; alienissimum à

(14) Praeterea librum Comment. de *ineunda rei aestimatione ad l Vinum 22. D de Reb. cred.* Item sub nomine Antonii Mercatoris, pro Jac. Cujacio *Operas* scripsit *Gratuitas, de Condictione Furtiva*, adversus *Operas* Ant. Fabro *Subsidiarias* Denique Sermonem forensem *de Heredis Institutione in legitima, & re certe, ad Ant. Fabrum.*

more hujus seculi nimium frequente sed pudendo, describendi alienas, proque suis audacter venditandi cogitationes. Quicquid *Lyklama* composuit ab ipso repertum, digestum & expolitum fuisse primo intuitu legentibus apparet. Quâ conscientiâ doctrinæ intaminatæ cum nobilitate conjunctæ majores aliquando spiritus sumit, quam forsitan alii convenire, vel licere sibi arbitrarentur; quando capita observationum suarum ita quandoque orditur, ut scripturum se quæ nemo unquam scripsit, demonstraturum quæ nemo ante se docuerit, polliceatur: Non *versabor*, ait, *ignobili pulvere*; *Indam claritatis lucem obscuris*, *liberabo cimmeriis tenebris leges nostras*, *publico bono famulas commodabo manus*. Cujusmodi formulas ne quis inani jactantiæ adscribat obtrectator, verba factis implevit, summâque vi ingenii, politiore literaturâ adjutus, multa adhuc intricata expedivit, omittensque vulgaria nihil quam præcipua & notabilia prosequi dignatus est. Sed tam eximium Academiæ decus Respublica deinde, quasi modò commodasset, sibi vindicavit, eumque jurisdictioni *Stellingwerviæ Occidentalis* prætorium præfectum imposuit, aliisque dignitatibus, quæ præturis quasi addictæ mancipatæque cohærent, tàm domi, quàm apud Consessum Ordinum Generalium, exornavit. Quo tempore locoque suo quam utilitatem literis antea docendis contulerat, eandem vel majorem Fautor atque patronus earum præstare non cessavit. At interea cum Schotanus explesset mortalitatem, *Lyklama* in altiorem locum subductus esset, tantum abfuit, ut generosi *Proceres* Jurisprudentiam destitui paterentur, ut etiam peregrina decora in ejus Academiæque ornamentum conquirenda putaverint. Tam animosè, ut primo *Dionysium Gothofredum*, dein *Johannem Althusium*, ex suis quemque locis amplissimis, non sine spe successus evocare conati sint, donec fortuna potius quam liberalitate studioque eorum deficiente, quod foris incassum quærebant, domi feliciter invenerunt. Erat *Timæus Faber* Leovardiensis, Supremæ Curiæ Advocatus, vir acris, ut tum noscebatur & exitus approbavit, ingenii subactæque eruditionis, denique notabili probitate modestiaque super alios eminens. Hic annorum prope septendecim felici diligentiâ exspectationem omnium non modo egregiè implevit, sed, ut de præsentibus minor

minor reputatio famæ est, valore doctrinæ multum superavit, uti non modo vivus & in patriâ celebris, sed apud exteros hodieque tersissimi Auctoris nomen laudemque mereatur. Nec obscure animadvertere mihi licuit, multos etiam famæ hilarioris scriptores ejus inventa, dissimulato plerumque nomine, tanquam suis, frequentius quam oporteat uti. Quod tantò facilius & rariore legentium censurâ committunt, quod *Faber* ille noster concisis brevibusque periodis, quod solum in eo censor acutus requirat, egregias cogitationes involutius proponit: quæ ab aliis fusius & plenius exposita, non difficulter pro novis & propriis inventionibus laudantur. Imaginem *Fabri* in aula Curiæ nostræ, non heredum culpa, sed ex ipsius voluntate desideramus. Nam ut virum fuisse constat eximiæ gravitatis & religionis, ita hanc ejus animo peculiarem insedisse opinionem à *Sixtino Amama* scriptum reperio; picturas & effigies mortalium hominum nescio quid aut superstitionis aut superbiæ vanitatisque præferre; nec debere sapientem virum tam ineptè sibi placere, uti cum ipsum corpus suum nihil fere quam umbra sit, hujus adhuc aliam velit umbram extare; præsertim in hominibus doctrinam professis ferre non poterat illam speciem ambitionis, quâ libros orbi dantes non contenti nomina sua præscribere, tanti putant lectoribus, qui procul sunt, digito monstrarier, qualem oculis qualem ore tulerit se tanti nominis Auctor. Filia tamen quam reliquit unica, non credit hanc parentis sui conceptam opinionem sibi usque adeò religioni esse debere, quominus desideratissimæ patris memoriæ, qua etiam hactenus se affectam sentit, duntaxat commentitia imagine lenocinetur, quam tentavit ad similitudinem hominis etiamnum superstitis, in cujus ore patris sui effigiem exactè à natura esse descriptam imaginatur, ut hoc modo ipsa, vel Academia fugitivo honore Fabrianæ memoriæ qualitercunque fruatur. Collegas habuerat *Faber* diversis temporibus *Paulum Busium*, & *Joachimum Andreæ*, viros insignes sed exteros, eoque ad præsens orationis nostræ propositum non pertinentes; tametsi *Andreas* virtute ingenii, fortunâque matrimoniali, non modo suos honores, sed etiam translata in filium senatorii muneris dignitate, quam ex Antecessore meruerat, posteros ad præcipu-

am dignationem propagavit. Hujus viri exemplum & in cathedra & in tribunali nihilo minore successu excepit *Hector Bouricius*, amœnissimi Vir ingenii & eruditionis; de quo rursus *Sixtini Amama* testimonium extat, se dubitare, num post *Heinsium* quisquam eo tempore prosa vel versa melius & floridius scriberet. Sed exiguum temporis spatium, quo uterque & *Andreas & Bouricius* in Academiâ vixerunt docendique munere functi sunt, non permisit iis scribendo duraturam in posteros operam navare. Nam & *Bouricius* Curiæ deinde Senator creatus, exinde forensibus curis totum se mancipavit, nisi quod subinde carminibus epistolisque scribendis, palam facere maluit, quid præstare posset, quam ostendere quod elaboraverat. (15) Cujus exempli observatio facit, ut minus in universum mirer, in Curiâ Supremâ tam paucos extitisse Senatores vel Advocatos, qui scribendo sibi famam, patriæ atque Foro thesauros colligere & cum posteritate communicare voluerint. Tam paucos, inquam; nec enim aliqui defuere præstantes viri, qui ingenium ad utramque facultatem theoriæ, quam vocant, & praxeos habile nacti, alteram in alterius cultum ornatumque sedulo adhibuere scriptisque non pœnitendis inclaruerunt. Primus eorum fuit ex Advocatorum ordine *Jacobus Bouricius*, qui duobus libellis (16) in senectute publico datis abunde ostendit, si maturius animum ad scribendum appulisset, plura validioraque ab ætate vegetâ expectari potuisse, verum id ipsum argumento esse velim ejus quod diximus, esse rem difficilem, uno eodemque tempore judicare vel agere caussas & scribere libros, ita ut cum sapore publico recipiantur. At huic duplici officio par fuit *Thomæ Herbaji* Fisci olim Procuratoris ingenium, cultu academico & forensi judicio nulli secundum, ut ex libello ejus postumo, qui de *Rebus Quotidianis* inscriptus est, luculenter elucet. Quod si Deo non placuisset hunc saltem ostendere patriæ, sed ad maturam frugem pervenire passus esset, non deerat profectò spes ex hisce primitiis egregiæ messis, quæ

(15) Nescio an Auctorem fugerint Opuscula *Hectoris Bouricii* junctim edita, in forma majori praeter *Dissertationes* etiam *Lectiones Juris* complexa, anno 1622. Franek.

(16) *De officio Advocati*, & *de Captivo*, una editis cum Joh. Bouricii tractatu *de Officio Judicis*.

quæ *Frisiam* duraturâ in posteros abundantiâ ditare potuisset. Senatorium Ordinem satis constat, omni tempore graves doctissimosque viros implevisse, quam ego causam fuisse non ex minimis arbitror, quod Romanæ Themidos reverentia & honos, præ cæteris omnibus Europæ nationibus, in Frisiâ conservatus est. (17) Nec enim usquam Leges Justiniani tam exacte religioseque custodiuntur paucioribusque exceptionibus labefactantur quam apud nos & olim factum audivimus ac etiamnum fieri videmus. Non ignoramus, *Auditores*, principem hujus rei causam inde petendam esse, quod *Saxoniæ Duces*, cum Rempublicam factionibus plurium ætatum dissolutam, veterumque Legum desuetudine confusam accepissent, in restituendo imperandi parendique ordine, facile ab incolis obtinuerunt, ut secundum Jus Civile solum judicaretur, at sine præjudicio consuetudinum, quæ adhuc exiguo numero, minorisque momenti, nec fere aliæ quam ubique fere apud alias gentes æquè sunt usitatæ, reperiebantur. At mihi sic compertum est, longe majorem legibus Romanis stragem illatam esse per inscitiam eorum, qui praxin forensem in plerisque locis Europæ gubernant. Nam hi in disceptandis judicandisque causis, ubi rationes Juris Latini minus iis perspectæ erant, proprias æquitatis regulas in suo cerebro excogitarunt, quas aliquando rebus judicatis firmatas paulatim obtentu *praxeos* loco Juris introduxerunt. (18) Est mihi facultas probandi, licet huic loco non congruat, eam causam multò latius patere, quam Statuta aliave Instituta, speciali voluntate populorum contra Justiniani auctoritatem recepta. Sed hæc apud Frisiorum Curiam cessavit ratio, quæ semper eruditis & exactis referta Jureconsultis, libera sunt ab hoc deformi periculo, ne per ignorantiam artis Romanæ Jurisprudentia in cerebrinum æquitatis arbitrium degeneraret. Scriptores tamen Curia nostra, sicut aliæ, paucos dedit, sive quod homines nobilitatis aut amplitudinis præcipuæ ad

(17) Cujus argumenti integram dissertationem filius Auctoris *Zacharias* edidit, paternis Orationibus nunc primum adjectam.

(18) Gravissimum hac in re judicium est Ampl. Praesidis *Bynkershoekii*, in praef. prioris Observatt. voluminis. Conf. Em. Merillius in *Orat. de temp. in Stud. Jur. Prorog.* quaeque ibi adscripsimus, in *Append. Repet. Instit. Jur. Civ.*

ad illam curam se demittere gravati sunt, sive quod tritura forensis animos ejusmodi consuetudine devinciat, quæ cum accuratione scholastica, qualis ad scribendum requiritur, non bene conveniat. Enimvero fuisse inter Patres, qui domesticis lucubrationibus publico se præpararent, non est dubitandum; quos inter *Johannes Saekma*, vir doctrinâ sapientiaque memorabilis, qui notas ad Statuta Frisiæ ab *Herbajo* inchoatas non minus ac ille feliciter continuavit, & quantum ex remissionibus in illo opusculo crebris intelligi potest, habuit alios domi suæ commentarios multi laboris & usus: quos tamen ad editionis maturitatem non oportet esse perductos, ut illis quoque notis, quas dixi manuscriptis accidit, cum alioquin à filiis & adfinibus, quos habuit, eruditissimis publico nequaquam subtracti fuissent. Simili conatui immortuus est *Gajus Nauta* ejusdem Curiæ Senator, magnæ eruditionis & diligentiæ vir inexhaustæ, cujus adversaria rerum notabilium ab excessu *Sandii* per decennium in Curia disceptatarum sunt in manibus heredum; sed *adversaria*, inquam, sine ordine rerum delectuque verborum, tumultuario, sicut res indicat, quà latine quà vernacule conscripta, ut essent quasi sylva, unde aliquando Auctor *Decisionum* materiam conquirere & usui accommodare posset. (19) Sed *Hector Bouricius* ex Academiâ primo Graphiarius, quem vocant, Curiæ creatus; deinceps hanc licet emolumentis fertiliorem cum Senatoria dignitate commutavit. Nec enim consentaneum erat, ut homo studiis clarus & ingenio fidens excellentissimam eruditionis colendæ palæstram pecuniæ causâ, qui ipse non parum copiosus erat, occupare cunctaretur. Cæterum *Bouricius* ille postremus fuit, quem è Scholâ Proceres in magnum Curiæ Senatum transtulerunt. Exinde vel tantum dignationis accessit honestati Curiæ, vel Academiæ in hominum repu-

(19) Frequentissima eorum omnium passim fit mentio in Scriptis Huberianis tum *Praelectt* tum *Jurispr. Hod* Imitatus operam patriae utilissimam laudatus modo *Zacharias*, tribus voluminibus, *uno* Casuum Enucleatorum inter Academicos labores conscripto, *geminoque* Decisionum Supremae Curiae, cui tum ab anno 1715 adsidebat. Spes denique adfulget gratissima, novis brevi Observationibus, leges Frisiorum patrias, illustratum iri, ab Amplissimo curiae Patriae Senatore *Dominico van Hamerster*, illustris *Ulrici* nostri, per adfinitatem nepote, tantorumque meritorum aemulo laudatissimo.

reputatione tantum decessit honoris, ut transitus è cathedra Professoris in supremum provincialis fori tribunal immodicus & enormis habitus videatur. Quanquam & à parte Academiæ nonnihil ad hanc vicissitudinem momenti collatum atque profectum esse fatendum est. Nam antehac Juris Antecessores plerique Frisii, & insignibus familiis editi, vel inserti fuerant. Deinceps labascentibus patriæ juventutis studiis, pravoque invalescente more, propellendi ad officia virilia crudos annis animisque, factum est paulatim in Juris Professores è peregrinis locis Franekeram vocari oporteret. Tres omnino adhuc Frisii ex illâ segete vetusta in Jurisprudentiæ Facultatem succrevere *Bernardus Schotanus*, *Henrici* filius, *Martinus Wybinga*, & *Henricus Rhala*. Quantus vir fuerit *Schotanus*, nullo argumento quam trium notionum judicio, totidemque Academiarum experimento constare potest. Nec enim post Frisios, *Trajectini* atque *Leidenses*, eum certatim honorificeque evocassent, nisi eximias in Viro dotes, & omnia perfecti doctoris ornamenta, in eo splendescere credidissent: sed eadem ratio peregrinantis famæ virique sufficit ad intelligendum, quur ad oblatum Parenti honorem in fori peristyliis adsurgere non potuerit. De *Wybinga* non expectabunt, ut edisseram, cur ille decoris tam excelsi compos non evaserit, quibus constat, eum ne Rectoris quidem Magnifici tralatitio munere, suo tempore locoque, dum vixit, potiri potuisse; siquidem postremò, cum sæpius præteritum electio tandem invenisset, fatalem diem Rector designatus occupavit. *Rhala* per octodecim annos, ingenti mortalis ævi spatio, Eloquentiam Romani sermonis ornaverat, antequam supremis annis Jurisprudentiæ admoveretur; sed illi fortuna Senatoriam dignitatem invidisse non videtur, quâ *filium*, in quo egregii Parentis ingenium & doctrina revixit, feliciter insignitum videmus. Cæterum, non est, opinor, ut id agamus, quo nobiscum ventilemus, quamobrem antiquis temporibus portæ dignitatum Scholasticis hominibus magis patuerint, quam nostri temporis memoriâ; sed hoc magis ad rem vestram pertinet, *Juvenes Ornatissimi*, maxime qui Frisii, nominatimque Themidos alumni adestis, cur faciendum fuerit Magnatibus, ut post hæc tempora, quæ designavimus, Juris Professores è Gel-

ria, Germaniâ, Suediâ, (20) conquirerent & evocarent, nullusque Frisius homo totis viginti annis huic officio succedaneus & par inveniri potuerit. Non est, quod naturam quasi effœtam temporumve inclinationem in deteriora accusetis, nec in Proceribus nimia peregrinitatis admiratio, licet hæc plane de nihilo forte non sit, pro causa mutationis haberi debet; sed in ipsis studiosis, eorumque animis & institutis ratio genuina, *Præstantissimi Adolescentes*, quærenda est: Etiam vero in parentibus, qui non patiuntur studiorum gradus fieri, neque id operam dant, ut discendi ratio à filiis feverâ lege instituatur. Quid omnino faciendum sit iis, qui animos aliquando ad spem Juridicæ Professionis adjicere cogitant, nolite à me expectare, *Auditores*, dum explicem tempore perorandi. Hoc novæ Orationis officium & materia esse poterat, nisi vetus à me jam pridem ex hoc loco, in hanc finem sufficiens, recitata fuisset; cum primum ex *Eloquentiæ Cathedrâ* solenniter in Juridicam deductus essem, maxime sub Orationis extremum; unde quid faciendum, antequam Juris studium aggrediamini; quo pacto id exercendum, abunde ad hoc propositum monuisse videmur. Nec enim harum rerum observatio diversa est ab instituto conjungendi Literas Humaniores cum valido Legum Romanarum studio. Dicendum tamen est, in eo tempore, quod absoluto Academico, rebus forensibus impenditur (nec enim facto opus, ut casus auditorii vacantis in longum & incertum exspectetur) ad hujus rei momentum præcipui esse valoris. Namque dum eam Facultatem, quæ in audiendis agitandisque causis vertitur, novi doctores ita colunt, ut quæ in Academiis didicerunt, non modo obliviscantur, sed etiam hoc agant, ut videantur obliti; accidit, ut nihil absurdius habeatur, quam ex Advocato facere velle Professorem. Quod si contrariam animi sententiam induerent, studiaque Theoretica pertinere ad animum suum tempore Praxeos ostenderent, egregiè experirentur & in foro se multo esse validiores, atque ad decus Aca-

(20) E Gelria *Cul. Cup*, e Germania *Jac. Wissenbach*, & e Suedia *Laurentius Banck*, sed extra ordinem Antecessor. Ceterum praetermissus ab Auctore, nobilissimae vir prosapiae, *Taco a Glins*, quem ex Athenaeo Daventriensi in Academiam patriam evocatum, insignique *de Mora* commentario, celebratum constat.

Academicum, si prioribus studiis hanc fiduciam prædesumserint, aditum sibi patere, sicut olim Fabris, Schotanis, Bouriciis, aliisque patuisse accepimus. Agite *Ornatissimi Juvenes*, dum res integra vobis est, ad cultum ingenii capiendum, qualis non modo ad exhibitionem vitæ sed etiam ad laudem gloriamque doctrinæ sufficiat; utimini privilegio ætatis & omne robur ejus impendite studiis, quæ apta nata sunt ad vos amplissimis honoribus præmiisque, sicut Imperatoriâ voce fideque certiores facti estis, augendos & locupletandos. De legum studio intellexistis Imperatorem loqui, quò æquioribus animis legum Academicarum recitationem, quâ claudentur hæc auspicia, confido vos accepturos. &c

DIXI.



ULRICI HUBERI ORATIO,

HABITA,

Cum tertiùm Rector Academiæ declaratus esset, Kal. Jun. CIƆ IƆ C LXXVII.

De statua Eugnomosynes, *quæ fuit in foro Constantinopolitano, juxta statuam* Hermæ Emporii.

Quanquam solennitas hujus diei gravissimâ oratione Reverendi Viri Ex Rectoris Magnifici, quemadmodum alibi solet, contenta esse poterat, quando tamen ita mos & institutum (1) hujus loci jubet, ut etiam pro auspicio regiminis Academici verba concipiantur, faciendum est, ut receptæ consuetudini quam minimo patientiæ vestræ incommodo pareamus, *Auditores.* Hoc autem ita potissimum me consequi posse credebam, si id operam darem, ut & facilitate verborum, & argumenti quadam varietate, tædium continuatæ recitationis occuparetur. Quo circa non est, quod de magni rebus momenti, de summa Republicâ, de spe pacis in Europâ, vel de causis bellorum, quæ his diebus quatiunt orbem Christianum, me dicturum expectetis. Nec est animus ullam Juris Publici Privative controversiam, utcunque studiorum meorum professioni convenientem, hac horâ seligere ad dicendum. Non jura Majestatis, non Substitutionum, Fideicommissorum, vel Interdictorum, perplexam subtilitatem, non (2) legem *Gallus*, aut (3) *Frater à Fratre*, vel (4) legem *Lecta*, quæ millies lecta necdum intellecta dicitur, enucleabimus. Est Scriptor recentioris

(1) Quo more tamen ab initio hujus saeculi amplius non utimur.
(2) *l. 29. D. de Lib. & post.*
(3) *l. 38. D. de Cond. ind.*
(4) *l. 40. D. de Reb. cred.*

tioris Græciæ Constantinopolitanus, qui libellum περὶ πατρίων Κωνσταντίνου πόλεως edidit in lucem, *Georgius Codinus* appellatur. (5) Ex eo rem minimè gravem, sed à præsenti, ut videbatur, occasione non abhorrentem placuit excerpere; modo fas mihi sit, in Oratione Latinâ verbis uti peregrinis, quod ne fieret, olim ab Rhetorices magistris inter Artis præcepta relatum fuisse accepimus. Quando nec Marcus Tullius in omnibus suis orationibus uspiam Græcè loqui sustinuit, præterquam semel unico verbo, quod eadem efficacia vernaculè efferre non poterat. Cæsar etiam Tiberius, cum in oratione publica *monopolii* vocem circumire non posset, haud tamen prius eam pronuntiavit, quam Senatus veniam sollicitè præfatus esset. * At ego Quintiliani sententiam laudo, qui sic Artis regulas commendat, ut cujusque prudentiæ relinquat, *ne superstitione præceptorum contra naturam causæ trahantur.* ** Et est sine dubio longe dispar ratio Professoris in auditorio doctissimorum hominum de literis studiorum agentis, atque Consularis, aut Imperatoris Romani, ad Quirites suos verba facientis. *Codinus* ille, ne vos diutius moremur, (6) narrat, in foro novæ Romæ, quam Constantinus Magnus suam urbem vocavit, statuam fuisse positam, ἄγαλμα, sic infit, τῇ δεξιᾷ χειρὶ σκῆπτρον, τῇ δ᾽ ἀριστερᾷ βιβλίον κατέχον, *quæ dextra manu sceptrum, sinistra librum tenebat.* Cum modo mihi sceptrum Academicum, libellis è fastigio pendulis ornatum, traderetur, in mentem veniebat hæc ipsa *Codini* statua, quæ nisi diversam habuisset inscriptionem, nihil commodius illo sceptro, eoque libro, quàm Imperium Academicum repræsentare potuisset. Nam Reges & Principes liberæque civitates, quæ scholas doctrinarum excelsas fundavere. Doctores juventutis non modo librorum, sed & Imperii in Studiosos curam habere, eâque causâ jure Sceptrorum effulgere voluerunt. (7) Sed in Græciâ mihi non constat, col-

(5) De cujus aetate, scriptis, horumque editionibus, Fabricius agit, in *Bibl. Gr. tom VI. p.* 241. & 480

* Suet. *in Tib cap.* 71.

** Quintil. *lib. IV. cap.* 2. Conf. *lib. V. cap.* 10.

(6) *p.* 48. *ed. Douz.* qua auctor usus est.

(7) Originem *sceptri Academici* fere incertam, Paulo tamen Papa II. posteriorem esse,

legia: Eruditorum hoc notabili honore, jurisdictionis & Imperii, in suæ conditionis homines fuisse condecorata: proinde statuæ nostræ symbola hunc sensum accipere non patitur vetusti moris in illa gente recordatio. Est alia verisimilior interpretatio, quæ ex solo statuæ illius adspectu, vel imaginatione, cuilibet in mentem occurrere debet; eam scilicet nihil fuisse quam typum *Principis Platonici*, quem aut esse philosophum, aut oportere philosophari, * divinus ille, sicut eum veteres honorant, sapientiæ magister prædicabat. Intelligo satis, *Ornatissimi Auditores*, quanto cum expectationis vestræ damno tam luculenta statuæ nostræ sensa refellere cogar, quibus alioquin hoc Auditorium pulcherrime personare potuisset. Quid enim dignius attentione vestrâ excogitari posset, quam si rationibus & exemplis ego comprobassem, quam præclara sit copula *sceptri* atque *libri*, quam longe aliis præstent Rerumpublicarum moderatores, qui naturalem prudentiam eloquentiâ sapientiæque doctrinâ excoluerunt. Sed quominus hanc magnificam sceptri librique significationem statuæ nostræ applicare & oratione prosequi passim, facit inscriptio, quâ *Codinus* eam fuisse distinctam testatur, τῆς ΕΥΓΝΩΜΟΣΥΝΗΣ. Quod Latine reddendum videtur, Statua BONÆ MENTIS. Nam εὐγνωμοσύνης vocabulum, in simplices suas resolutum, nihil magis proprie & efficaciter indicare videtur, ut Budæus † etiam auctor est, quam *bonam mentem*, etsi aliter à *Georgio Douså*, qui primus hunc Auctorem è peregrinatione Turcicâ retulit, vertatur. Mihi præter vocis usum originalem, etiam rei ipsius cum hisce symbolis convenientia, & reliqua *Eugnomosynes* requisita, quæ Codinus sceptro libroque designari intelligit, in hunc sensum mirifice blandiebantur. Namque sceptrum

esse, Conringius existimat, *de Antiqq. Acad. diss. V.* § 20. ubi etiam de *Jurisdictione Academica* ex Authentica Friderici disquiritur. Conf. Corn. van Eck *Vindiciae ad cit. Auth.* brevi typis iterum describendae.

* Apud Polybium *lib. XII. Hist. cap. ult. pr.*

† In *Comment. ling. Gr. p* 699. qui tamen & *aequitatem* recte convertit, ejusque contrarium *ἀγνωμοσύνην iniquitatem*. Porro *sceptrum* Imperii, & *Liber* legum intelligi videntur, legitimi imperii & aequabilis regiminis adumbrandi caussa Vid. Oratio hujus argumenti altera.

trum ideo tribuit *Eugnomosynæ*, ὅτι ἀγχίνους, *quod ingeniosa sit*, ** quomodo rursus ego melius hoc vocabulum reddi putem, quam ut Dousa vult, *quod candido sit ingenio prædita*. Nam ἀγχίνους, si voculam resolvas, ille demum vere dicitur, qui præsentis & exprompti sit ingenii, qui non è longinquo arcessit ratiocinia sed è vestigio, quoties usus venit, ad perpetrandas meditationes excitat, cujusmodi expeditum animi imperium in suas cogitationes *sceptro*, cujus motum intenti observant ministri, aptissime adumbratur. *Librum* Eugnomosynæ additum scribit Codinus, διὰ τὸ τὸν εὐγνώμονα δεῖσθαι ἀναμνήσεως, ἥτις διὰ βιβλίων γίνεται, *quia bona mens eget recordationis, quæ per libros comparatur.* Quod si hæc duo conjungatis, *Auditores*, nihil aliud Codinus & Auctores statuæ indicare voluisse videntur, quam hasce duas res ad *bonam mentem* requiri, *Ingenium, atque Memoriam.* Nec dubium, quin hi, quibus istæ duæ facultates animi bene perfectèque sunt datæ, ponendi sint in eorum numero, quos æquus amavit Jupiter; sicut & eos, qui alterutra virtute destituuntur, nihil præcipui in ullo genere doctrinæ præstare posse manifestum est. Sub ingenio complectimur omnino quoque judicium, sine cujus rectitudine celeritas cogitationum *bonam mentem* nullo modo perficere potest, & quando perfectum dicimus ingenium memoriamque, civiliter utrumque intelligimus, ne quem omnibus numeris absolutum utraque facultate præsumatis. Jam hoc inter duo *bonæ mentis* symbola nostra, *Juvenes Ornatissimi*, interesse animadvertite, quod ingenium quidem ab Auctore naturæ Deo sine studio operâque nostrâ singulis tribuatur; sed memoria, sine qua ingenium inutile ac otiosum est, tractatione librorum imprimis instituenda sit. Quapropter, si bonæ mentis amatores haberi vultis, non oportet ita vos fidere ingeniis, quin diurna nocturnaque manu libros evolvatis, ne, si ingenio, sine memoria rerum præstantium, solo polleatis, cavillatores potius & sophistæ, quam verè docti esse videamini. Sæpe mihi inter studiosos observare licuit, adolescentes lætioribus ingeniis præditos, qui tardiores alios ingenti supercilio spernerent, quos tamen deinde multo

** Immo vero *sollers accurata, perspicax.*

multo sequiorem exitum utrosque fecisse perspexerim; ut hi tristiores hebetioresque illos hilares ingeniososque longo intervallo post se relinquerent; nulla alia causâ, quam quod hi libros, è quibus altera pars *bonæ mentis* formatur, diligenter adsiduoque terendo, defectum ingenii memoriæque supplerent. Illi sceptro suo contenti eoque stolide innixi loco bonæ mentis vacuum cerebrum tenuissent. Non secus ac si Princeps aliquis sceptro eburneo aureoque præfulgens cives suos adeo neglectim haberet, ut omnes sub alienam ditionem redigi pateretur. Nam quod est Rex, qui non habeat quibus imperet, idem mihi videtur esse ingenium sine memoria rerum frugiferarum. Quin adeo sicut Rex appellari non potest, qui caret imperio subjectis, ita non modo *bona mens* sine memoria librorum esse nequit, sed ne sceptri quidem insigne tali ingenio per se licet eximio convenire potest. Nam ideo vel maxime ingenium sceptro adsimilatur, quod non modo percipiat res propositas, sed etiam judicet de illis; nam judicare præcipuum Regis officium est, cujus gratia potissimum σκηπτοῦχοι βασιλῆες, *Principes sceptriferi* appellantur: sed quo pacto de rebus infinitis, quæ viro sapienti judicandæ obveniunt, instituet cogitationes suas ad discernendum inter verum & falsum, cui prius omnium rerum proprietates ex eruditis librorum monumentis non penitus & exactè constiterint? siquidem facultas discernendi è comparatione diversarum rerum conflictuque dissidentium sententiarum, quas suggerit librorum memoria, colligi & invalescere debet. Sed ita rem se habere credo, *Juvenes Egregii*, vos haud gravate concessuros, quis enim bonæ mentis compos id neget? utinam æquè facile veternum excutere possemus iis, qui ingenia naturæque dona adepti non pœnitenda, vel etiam eximia, qualia divina bonitate plerique vestrum possidetis, ut gratulari vobis liceat, minus tamen in studiis proficiunt, quia libris segnius incumbunt, memoriamque sua supellectile instruere, curæ non habent. Deus, fateor, naturalem ingenii vim omnibus largitur, varieque singulis dispertitur, attamen omnibus ex æquo verissimum accinuére carmen antiqui*,

Deum

* *Epicharmi* dictum est apud Stobaeum, *serm.* 117. *p.* 363. cui addesis geminum, huic loco opportunum, *ibid. p.* 365.

Deum cuncta vendere laboribus; nec adeò quisquam insanus esse debet, ut ea conditione se putet exemptum, utcunque naturam adeptus felicissimam. Quis unquam sine *bonâ mente* doctus & sapiens fuit? sed non est bona mens, nec illa se dat cuiquam, nisi cum sceptro libroque simul, cum ingenio memoriaque, labore multo ad omnigenam rerum notitiam severa lege subacta. Verum enimvero numquid ad eruditionem duntaxat acquirendam hæc duo symbola *bonæ mentis* suppeditant argumentum? est nisi fallor & aliud majoris aliquanto momenti, quod *Eygnomosyna* libro sceptroque suo spectatoribus inculcat. Et de *sceptri* quidam interpretatione differentem audiamus *Aristotelem* in epistola, quam dedit ad generosum Auditorem suum, qui unus instar omnium ei fuit, *Alexandrum*, quando *libros Rhetoricorum posteriores* ei inscribebat, ubi inter alia; Ὥσπερ ὁ στρατηγός, inquit, ἐστὶ σωτὴρ στρατοπέδου, οὕτω λόγος μετὰ παιδείας ἡγεμὼν ἐστὶ βίου. *Quemadmodum Imperator est salutis auctor exercitui, sic ratio cum disciplinâ dux & imperatrix est vitæ.* * Si auctores statuæ Byzantinæ hæc philosophi verba in conspectu habuissent, non potuerant, credo, vim sententiamque eorum efficacius exprimere, quam per statuam *bonæ mentis*, sceptro libroque insignitam. Si enim tu claré disertéque velis expositum quid *bona mens* sit, nihil, opinor, ad rem magis appositum protuleris, quam quod Ille dixit, λόγος μετὰ παιδείας, id est, *ratio erudita*. Quoniam vero, docente eodem philosopho, dux & imperatrix vitæ est *Ratio*; quid officium ejus in imperando vitæ modo rectius & elegantius quam sceptrum indicaverit? Et si disciplina eruditionis ad compositionem bonæ mentis est necessaria, sicut ab Aristotele ponitur, qui melius illa quam libro demonstraretur? ut intelligamus, rationem ad imperandum factam regni sui partes nullo modo feliciter explicare posse, nisi libro instructam verâque prælucente doctrinâ. Credo, vos audivisse, *Juvenes*, mentem humanam à philosophis ** in duas partes distingui, quarum altera sit λογικὴ καὶ ἡγεμονική, *rationalis & imperatoria*; rursus alteram esse volunt ἄλογον καὶ ὑπηρετικήν, *irrationalem & servientem*: Quo modo sceptrum rationis non in-

* *Tom. II. Opp. p.* 609. *lit. D.*

** Vid. Aristoteles *lib.* 1. *Eth. cap.* 13. *in med. tom. II. Opp. p.* 16.

integræ menti, sed ejus solummodo parti tribuenda, & sic per excellentiam *bona mens* ea pars animi foret appellanda, cui imperandi facultas in alteram sibi subjectam conveniret. Me quidem parum delectat illa rei simplicissimæ, divinæ particulæ auræ, distributio in partes oppositas, parumque abest, quin *Sallustii* † notum & populare dictum magis arrideat: *Omnis*, inquit ille, *nostra vis in animo & corpore sita est; animi imperio, corporis servitio magis utimur, alterum nobis cum diis, alterum commune cum belluis est.* Proinde genius ille cœlestis originis, *Mens*, inquam, sola & tota, modò sui compos, imperium in corporeas facultates exercet, aut si quando servire deprehenditur, non est in eum usum pars altera mentis decidenda; sed ipsa totaque mens, eadem cui imperium dedimus, corporeis affectuum insultibus succumbere, & à gradu suo dejici intelligitur, ut recentiores philosophiæ Magistri (8) sanius & rectius tradere videntur. Imo vero existimaverim, antiquæ novæque philosophiæ rationes hac parte forsitan verbis potius, quam rei ipsius interpretatione, discrepantes videri. Nam ut veteres in mente duas partes, quibus uno eodemque tempore jubendi parendique facultates sibi invicem oppositæ inessent, extare crediderint, mihi non sit verosimile, nec unde probetur observo. Sed hoc equidem viderunt, animum hominis aliquando fortem validumque coercendis libidinibus, aliquando mollem iisque cedentem animadverti. Has aptitudines, quæ diverso respectu aliisque & aliis temporibus in mente conspiciuntur, totidem facultates appellarunt; quod ego non video, cur mihi quoque in illa *Sallustiana*, novæque philosophiæ hypothesi, facere non liceat. *Imperio mentis*, ait ille, *magis utimur*, id est, frequentius; est etiam ubi turpi obsequio mens à voluptatibus rapi agique se patitur in transversum. Ita modo facultas imperandi, in eâdem illa mente conspicitur, & dum fluctuat animus inter imperium, corpori imprimendum, vel ab eo perpetiendum, nihil absurdi à veteribus exaudio, cum facultatem imperatoriam servilemque inter se contendere dicunt;

† Sub init. *Belli Catil.* ibiq. Theod. Graswinckel.
(8) Cartesio duce, quem videsis in *part. I. de Passion. animae*.

erunt; modo sani sensus explicatio, quam ex recentiore doctrinâ occupavimus, emendet ambiguitatem verborum, ubi rerum nulla contrarietas esse potest. Quam vero illud sceptrum rationis intersit bene gubernari, facile existimabit, qui cogitet, in corpore nostro nihil habitare boni, sed latere in eo semina atque fomenta innumerabilium vitiorum, quae generositati puritatique bonae mentis, acerrime adversantur, eamque continuis perturbationibus ac insultibus infestant, adversus quorum insidias si quis animum adsidua constantiae & honestatis meditatione penitus firmaverit, nae huic verissime dictum illud accinemus: *Tunc omnia regna tenebis, Cum poteris Rex esse tui.* (9) Haec fuit illa celebris veterum philosophorum palaestra, quam certatim nec sine magno plerique fructu calcavere, qui inter eos sapientiae fama excelluerunt. Pulchri nobis atque beati videmur *Christiani*, quando illorum ἀπαθίας, & αὐταρκείας, omnesque virtutes, ut *splendida peccata*, * magnifice increpamus; ipsi plerumque ne minimis quidem affectuum incursionibus, ut omni die pudenda patet experientia, pares. Quin si jure nostro constantiam illorum, ut illa sane vitio suo non caruit, reprehendere volumus, censeo; demus hoc operam, ut frequenti intentaque exercitatione, mens nostra motus corporeos, quibus regali praeest imperio, habeat in potestate, ne fallacissimis cupiditatum illecebris, importunisque affectuum irruptionibus cedentes, nos servorum nostrorum libidini, turpissimaeque dominationi subjiciamus. (10) Est operae pretium, *Auditores*, recognoscere, quam

(T) 2 grande,

(9) Claudianus de IV. Conf. Hon. vs. 262.

* Ita vulgo nostri cum *Augustino*, quasi vero Rationem inter & Fidem nulla intercederet differentia; eademque essent officia hominum moralia, quae bona sunt opera Christianorum. Alia certe virtus hominis est ex *ratione*, & alia Christiani ex *fide* Quamvis itaque virtus, ex ratione quae est, *Christiana* non sit, *virtus* tamen est, actio nempe moralis suae conveniens normae. Et frustra Paulinum illud occinitur, in *Epist. ad Rom. cap. XIV. fin.* „ Quidquid ex *fide* non est, *peccatum* est; „ siquidem eam Apostolus *fidem* hic vocat, quam Christianae libertatis persuasionem plus semel interpretatus jam fuerat, vs 5. 14 22. Vid Vitringa *ὁ μέγας*, *lib. V. Observatt. cap.* 18. item ex Chrysostomo Erasmus *d. l.* denique locus Philonis apud Clericum *ibid.* Quo & illud Plinii pertinet *lib. I. ep.* 18. *Quod dubitas, ne feceris.*

(10) Vid. Magni Dan. Omeisii *Ars regendorum affectuum.*

grande, quam ſublime veteres de hoc ſceptro bonæ mentis ſuper affectus omnesque motus corporeos philoſophentur; ut cui ſtylus eorum minus ſit familiaris, inter participes divinæ conſcientiæ verſari ſe arbitretur; *Facis rem optimam & tibi ſalutarem*, hortatur Lucilium Seneca (11) *ſi, ut ſcribis, perſeveras ire ad bonam mentem. Non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare; Bonus vir ſine Deo nemo eſt. Ille dat conſilia magnifica & certa. Major iſta res altiorque eſt, quam ut credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit. Sacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos. Hic prout à nobis tractatus eſt, ita nos ipſos tractat. Prope eſt à te Deus, tecum eſt, intus eſt.* Quis non aliquem è ſchola Patrum hominem cæleſti afflatu ſuprà terrenas affectiones elatum, de ſceptro Sancti Spiritus animos fidelium regente, concionantem audire ſe putet? Nec mirum, ſi hæc & talia legentes pii Patres Senecam in Chriſtianorum numero ponendum judicaverunt. (12) Sed idem ille Sapiens Romanus, qui tam altum adſurgebat, aliquanto deinceps humilior ingreditur. *Quis Deus, inquit, incertum eſt, non ſunt ad cœlum elevandæ manus, propria virtus eſt, quæris, quæ ſit? animus & ratio in animo perfecta. Quid eſt autem quod ab illo ratio hæc exigit? rem facillimam, ſecundum naturam ſuam vivere.* (13) At nos è contra divinitus certi ſumus, ni manus eleventur ad cœlum, ni virtus inde aliena, ſupràque naturam mentibus affundatur, fieri non poſſe, quin miſerâ atque deformi ſervitute pars melior noſtri infra deteriorem proculcetur, & captiva teneatur. Quò minus ad ſeverandum putamus, quod princeps recentioris ſcholæ philoſophus (14) inter egregia multa, quibus interiorem hominis notitiam illuſtravit, ita tradidit; eſſe nullum adeo infelicis hominem ingenii, adeò tenacem animi affectum, etſi congenitum aut vetuſtate corroboratum, qui jugi exercitatione, mentisque contentione, ſubigi expugnarique non poſſit. Facile equidem patiar, ut benevolà inter-

(11) *Epiſt.* 41.

(12) Vid. Buddeus in *Anal. hiſt. philoſ. de Erroribus Stoicor.* & *de Spinoziſmo ante Spinozam.*

(13) *d Epiſt* 41.

(14) *Ren. Carteſius*, inſuperius citata Commentatione, *de Paſſionibus animae*, *part. I.*

terpretatione sublevetur adsertio, parum alioqui memor imbecillitatis humanæ, quam sacrarum literarum tabulæ passim nobis inculcant. Inde videlicet docemur, sceptrum, quo *bona mens* Christiana subjectum corpus moderatur, esse divinæ virtutis efficaciam; nec illam sine libro, ut etiam hac parte statuæ nostræ signa se suumque mysterium implere videantur. Hic liber non è porticu, vel Academiâ, non è peripato, vel ex horto, sed è cælesti aula demissus, generique humano per Prophetas & Apostolos traditus, absolutam uberrimamque bonæ mentis institutionem in quærentibus suppeditat, quâ de re latius agendi copia dabatur, nisi disciplinæ nostræ, hujusque loci, & auditorii expectationem egrederetur. Habetis ita descriptam, *Auditores*, Eugnomosynen, sive statuam bonæ mentis, ejusque frugiferam interpretationem, ut ejus adspectus non modo vos commonefaciat, ingenio jungendam esse variarum rerum è libris memoriam; sed inprimis operam esse dandam, ut regnum *bonæ mentis* in affectus & voluptates, in omnia, quibus *mens bona* corrumpi, & *mala mens* fieri queat, exerceatur; proinde etiam in pecuniam, quâ nihil in rebus humanis ad pervertendos animos, subruendamque virtutem exitiabilius esse, tam monita Sapientum, quam innumera ab omni ævo in utramque partem exempla docuerunt. Nonne vobis hac gratiâ veteres illi juxta statuam *bonæ mentis* sceptro libroque insignitam, in eodem foro *Hermen Emporium* crumenam præferentem statuisse videntur? nam sic idem ille Codinus auctor est, (15) in foro Constantini, juxta *Eugnomosynem* fuisse statuam *Hermæ*, sive Mercurii, marsupium portantis. Exhibete vobis apud animos vestros BONAM MENTEM, ut Reginam vel Imperatricem sceptro conspicuam, juxtaque vel infra eam *Hermen* pecuniam ostentantem: num qua re clarius indicari potuisset, bonam mentem pecuniæ imperare debere; perinde ac omnia quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti parere *Sallustius* idem cujus modo de mentis imperio sententiam intelleximus, (16) scriptum reliquit? Non expectabitis, *Auditores*, ut latius in philosophiam hujus loci

(15) *d. p.* 48. *Edit Dom.*
(16) In *Bello Catil. cap.* 2.

loci digrediar, eorumque indignam animi servitutem suis coloribus describam, qui & ipsi obediunt, & cuncta faciunt obedire pecuniæ; cuncta dixero, si in pectore, quod obsidet avaritia, generositatem funditus eradicari, nihilque nisi vile & abjectum in eo retineri dixero. Sed vix est, ut omnibus persuasum iri putem, Constantinopolitanos hisce duabus statuis tam subtilem philosophiæ sententiam repræsentare voluisse. Quod ad *Hermen* quidem attinet, Codinus ille noster ideo marsupium ei datum narrat, quod Hermes sit *emporius*, *sive* ὁ κέρδους αἴτιος, *lucri* videlicet *auctor*, atque etiam potentiæ. Quo facit quod de Phœnicibus addit, eos fingere deos gestantes crumenas, ὡς ὁ χρυσοῦ συμβόλου ὄντος δυναστείας, *eo quod aurum sit potentiæ signum*. sicut profecto, si pecunia desit, nulla pace bellove potentia durabilis esse potest. Proinde non spernenda fuerit Græcorum solertia, si juxta bonam mentem pecuniæ quærendæ rationem sibi cordi esse testati sunt: aliter ac philosophiæ Professores, qui *sororem bonæ mentis paupertatem* esse prædicaverunt, (17) quod etiam Papinianus noster illis imputat, quando *vere philosophantes*, ait, *pecuniam contemnunt*, *cujus retinendæ cupidine fictam adseverationem detegunt*. (18) Græci recentiores, interprete Codino, rem alia civiliore viâ reputarunt, quando civibus suis *bonam mentem* ante omnia commendavere, non tamen eam, quæ paupertate magistrâ staret, verum quæ prolato marsupio nummorum divitiarumque spem pariter ostentaret. Bona mens illis placuit, etiam in foro regendâque Republicâ exercenda; sed talis, quæ civitatem beatam reddere posset, non eo genere felicitatis, quale *Florus* Numantinis adscribit, quos in ipso horribili excidio, per extremam desperationem suis manibus patrato, *beatissimam* vocat *civitatem* (19) sed ejus generis, quod Princeps eloquentiæ *Tullius* moderatori civitatis propositum esse debere sentiebat, ut illa *copiis locuples*, *gloria ampla*, *virtute honesta sit*. (20) Hæc est illa demum solida veréque civilis beatitudo, quam Constantinus urbi

(17) Petron. in *Satir. cap.* 84.
(18) *l.* 8. § 4. *D. de Vacat. & excus. mun.*
(19) *lib. II. cap.* 18. *fin.*
(20) *lib. VIII. ad Attic. epist.* 11.

bi suæ perpetuam vovebat, & cujus symbola in ipso foro civiumque adspectu extare voluit, ut Eugnomosynæ, & Mercurio, doctrinæ pecuniæque, pariter studerent. Non, ut iidem homines mercaturæ literisque studiorum vacarent, sed ut intelligerent qui summæ Reipublicæ præerant, id agendum esse, ut utrumque studium in Republicâ floreret. Ita enim prudentissime Cæsar judicabat, in quâ Civitate divitiarum cupiditas sine præsidio *bonæ mentis* regnaret, eam non magis esse duraturam, quam sapientia sine viribus opibusque securam reddere posset. Ne quid dissimulem, *Auditores*, etsi hæc utriusque statuæ significatio à priori interpretatione nostrâ deflectat, adeo tamen evidens earum rerum cum his symbolis convenientia videtur, ut nullo modo refutari queat. Ni potius sit, ut hæc posteriora cum primis jungi aptéque conciliari possint. Fiat Eugnomosyne cum Mercurio, concurrat bona Mens & Mercaturæ studium, sed retineat sceptrum *Eugnomosyne*, regnumque *bona mens* super opes & pecunias exerceat. Denique Reges & Principes, quique liberis civitatibus præsunt, ut sceptro imperioque delectantur in populis imperio coercendis, ita hoc ab ipsis sciant expectari, ut bonæ mentis sceptrum non minus quam summæ potestatis exerant, eoque se reliquis omnibus excellere testentur. Proinde non tantum in mercatores hominesque pecuniosos imperium se habere credant, quo tributis & vectigalibus eos exhauriant; sed ipsi pecuniæ imperare se posse, eâque reverâ superiores se esse declarent. Verum enimvero quam metuo, ne multi Rerum publicarum Arbitri hasce statuas sceptro crumenâque insignes, multo secus ac nostra divinatio tulit, accipiant; dum sceptrum facile patientur imperium significare, Mercurium autem cum marsupio illud ipsum designare, quod alius inter antiquos voluit, qui rogatus quid esse *Respublica*, nihil aliud dixit quam, *aurea messis!* Quam vellem nos veteres solos aut exteros hac causâ reprehendere posse neque malum hoc ipsa patriæ nostræ regimenta effrenem in modum occupasset! (21) Loquuntur id ipsum pudendo more leges sanctionesque, ad irritandum potius quam compescendum

(21) Videsis conquerentes de inveterato isthoc malo Reidanum *lib. XVII. Ann. ad ann.* 1600. & Ubbon. Emmium *de Republ. Frif. p.* 36.

dum deforme vitium ſæpius iteratæ. Quod niſi Deus inter plures, qui perverſe conſulunt, aliquos verè generoſos, bonæque mentis memores Reipublicæ moderatores ad clavum collocaſſet, ne ſalus quidem ipſa nos in portum ſalutis ſubducere poſſet. Sint qui ſuffragia vendunt, qui functiones publicas auctionum more diſtrahunt; ſunt etiam, quibus honos, religio, quibus fas fidesque pluris ſunt; quibus, inquam, *mens bona* carior eſt, quam Mercuri oſtentatum in foro marſupium, quam doloſi ſpes affulgens nummi. Quin forte non deeſt nobis, quod cum ſeveriſſimis temporibus, veterumque in hoc genere populorum exemplis comparare poſſimus. Non ſunt amplæ res noſtræ, exiguâ Republicâ, modicis opibus; quo magnificentius & admirabilius eſt, *quadraginta millia Carolinorum pro uno ſuffragio oblata, inculcata, cum tabulis puris pro quibuslibet aliis conditionibus, recuſare:* non oblata propter aliquod dominationis flagitium, ſed ob alium alii in honore, ſine præjudicio Reipublicæ, præferendum, nulloque in adverſa parte præmio, niſi *bonæ mentis*, & integri Magiſtratus teſtimonio. Integra novâque opus eſſet oratione, *Auditores*, ad extollendam animi magnitudinem, ſanctitatem, conſtantiam, quæ in hoc abſtinentiæ exemplo tam raro, tam inexpectato elucet. Sed eâdem hilaritate, qua pecuniam ſprevit *Ille Generoſus*, facile patietur hoc exemplum ſibi non imputari, quod claritudine novarum majorumque laudum minus in illo memorabile habetur, quam in aliis, æſtimatum contra ſoli ſeculique mores, ab omnibus celebraretur. Sed ne ita quidem præclarum facinus auctorem ſuum laude, gloriâ, quodque majus utraque, & auro longe majus eſt, conſcientia in æternum remunerari deſinet. At nos, *Auditores*, ad initia noſtra relabemur, & in illis aliquando videbimus, ut finem inveniamus. Non abhorrebat à ſpecie veri conjectura noſtra, cum primo ſtatuam illam ad imperium Academicum referebamus; Poſtea de *bona mente* déque imperio in res memoriâ comprehenſas, maximeque in affectus libidinesque, ſecundum ſymbola *Eugnomoſynes* egimus. Omnia, niſi fallor, egregie occaſioni inſtitutoque præſenti convenientia. Nam cui melius ſceptrum atque liber, quam Rectori Academiæ ſedeant? qui non modo ſceptrum vobis regendis, ſed & librum docendis vobis adhibere ac uſurpare debebit?

Quin

Quin vos ipsi, *Juvenes Optatissimi*, non modo librum sed & sceptrum aliquomodo tractetis oportet: *Librum*, ut id cujus gratia in hoc bonæ mentis emporium confluxistis adipiscamini, scilicet eruditionis disciplinam; *sceptrum*, ut in vosmet ipsos malasque voluptates, quæ juventutem comitari solent, imperium exerceatis. Quo autem certius & constantius in hoc regimine, quod sæpe adolescentibus effluit, versemini, censeo diligenter animum advertatis ad hoc, quod modo nobis tradi vidistis *Academiæ sceptrum*, quodque præceptis è libro inculcandis vim salutarem publicæ auctoritatis adjunget. Quin hac ipsa hora in eum finem sceptri librique copiam vobis facere in promptu habemus. Ecce *sceptrum*, quod *Illustres Frisiæ Ordines* in usum regiminis publici Academiæ concesserunt; & ecce *librum*, in quo leges, secundum quas mores vitæ studiorumque vestrorum componere debetis, insigni gravitate prudentiâque conscriptæ sunt; quas dum Academiæ scriba more solenni vobis recitabit, modesta attentione considerate, vobisque in exemplum eas mutuum proponite custodiendas.

DIXI.



ULRICI HUBERI ORATIO,

De statuâ Eugnomosynes

ALTERA.



QUanquam de statua *Eugnomosynes*, quæ fuit in foro *Constantinopoleos* juxta effigiem *Hermæ Emporii*, non ita pridem copiosè disseruimus, ut secundum ejus symbola *bonæ mentis* studium vobis, *Ornatissimi Juvenes*, commendaremus, nescio quid tamen animo adhuc obversatur meo, quod ad ejus explicationem ita spectare videtur, ut nisi pariter explanatum fuerit, in iis quæ præcedenti oratione dicta sunt, nullo modo acquiescere possim. *Tune igitur*, videor aliquem audire vestrum interrogantem, *retractas ea*, *quæ tam graviter*, *tam meditatè*, *&* *ex ipsa interiore philosophiâ deprompta*, *nobis inculcasti?* Non muto, inquam, nec opus est retractari, quæ, nisi vehementer fallor; cum dictis atque rebus à *Codino* demonstratis egregie conveniebant. Verum non hac in re solâ contingit, ut unius dicti ejusdemque rei diversæ significationes dentur, quod præsertim in publicis inscriptionibus, in hieroglyphicis, in statuis & imaginibus docendi causâ propositis amat observari. Proinde nihil est quod miremini, *Eugnomosynen* cum sceptro libroque suo, præter bonæ mentis ideam imperiumque rationis in affectus animi, pecuniæque facultates, aliam non minus utilem elegantemque recipere interpretationem: Quam *Georgius Dousa*, qui primus, ut antea dixi, Codinum publici juris fecit, inde ab initio versione suâ nobis suggessit, & pro verâ propriaque recipiendam putavit; quando verba, τῆς εὐγνωμοσύνης, vertit Statuam ÆQUITATIS. Enimvero quod ad verbum attinet, ejus quidem simplicissima, & etymologica significatio,

catio, inprimis *bonam mentem* indicare videtur, sed usus vocabuli forte frequentior ad æquitatis demonstrationem inclinat, quam & Aristotelem modo *ἐπιείκειαν*, modo *εὐγνωμοσύνην* in suis ad Nicomachum libris appellare videmus. Et quidem si obtineri potest, ut symbola, quæ hæc statua tribuit *Eugnomosynæ*, bene congruant *Æquitati*, credibile est, hanc sententiam melius civiliusque in usum nostrum, *Juris Studiosi*, quam quod de *bonâ mente* disseruimus, applicari posse: nam *æquitatis* intellectum ad Jurisconsulti officium Artemque vel imprimis pertinere, non potest ignorare, qui inde ab ipso limine templi Themidem salutavit. Jam si bene ad animum, quid sit *Æquitas*, adverteritis, non dubito, quin summa cum delectatione sceptri librique imitamentum ei eximie convenire sitis intellecturi. Nec minus evidenter vobis ostendam, quod ego dictum in disciplinæ symbolum, & ad declarandum Eugnomosynes officium, pridem adoptavi, LEX ET RATIO, id ipsum in sceptro libroque & æquitatis expositione luculenter repertum iri.

Jam in describendâ æquitate, quem tutius auctorem sequemur, quam eum quem ad intellectus humani finem pervenisse veteres crediderunt, *Aristotelem*, â quo definitur, *ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου*, *Correctio juris scripti.* (1) At officium corrigendi Leges, id est, scripta jura, si rectè plèneque consideretur, bifariam intelligi debet. Leges enim, aut revera suoque fundamento sunt duræ vel iniquæ, aut ob verborum generalitatem obscuritatemque videntur esse tales. Tu dices; Quæ prioris sunt generis, eæ pro legibus haberi non debent, nec animis hominum valent obligandis; omnis siquidem Lex, auctore Demosthene, *est inventum & munus Dei*, *decretum vero prudentium hominum*, *imperatrix vitæ*, *judex honesti ac inhonesti*, *regula faciendorum & non faciendorum*, (2) cujusmodi prædicata iniquis præceptis nullo modo congruere possunt. Facit eodem quod communiter hac de re ferri solet, *rationem esse animam legis*, sine quâ si Lex esse queat, poterit *etiam jus esse latrocinari*, *jus adulterare*, *jus testamenta falsa supponere*, ut Marcus Tullius in pri-

(V) 2 mo

(1) *Lib. V. Eth. cap.* 10 *ibiq. Giph.* Addesis Budaeum *ad Pand. in.* & Auctorem nostrum *lib. I. Digr cap.* 6..

(2) Vid. *l.* 1. *&* 2. *D. de Legib.* ad easque Auctor in *Eun. Rom.*

mo *de Legibus*. (3) Ego vero discernere vos cupio gradus iniquitatis; Sunt leges quæ absque violatione naturæ gravique ſcelere animorum exerceri non poſſunt, cujusmodi fuerint, quas *Cicero* deſignat; ſunt etiam, quibus ſine vulnere conſcientiæ civibus parere quidem liceret, attamen duræ nimis acerbæque videntur. Jam de hoc genere *Legum Correctio* noſtra propriè intelligenda erat; quanquam ſi qua prioribus ſimilis inveniatur, hanc etiam correctionis indigam eſſe res ipſa loquitur. Sit igitur hæc ſpecies *Æquitatis*, quando lex nullâ verborum ambiguitate laborans, factique propoſito exactè conveniens, ob rationes æqui bonique flectitur & mitigatur, quemadmodum de *Claudio* Tranquillus, (4) memorat, eum ſæpe duritiem Legum in judicando ſecundum æquitatem eſſe moderatum. Si exemplum deſideratis, non poteſt illuſtrius eſſe quam quod Romæ in Senatu agitatum eſt, cum *Pedanius Secundus* urbis præfectus à ſervo ſuo trucidatus eſſet. (5) Vetus lex erat, ut familia omnis quæ ſub eodem tecto manſitaverat, ad ſupplicium ageretur, (6) & apud *Fundanium* quadringenti utriusque ſexus & omnis ætatis ſervi habitaverant. Non erat dubia mens legis, ſed immane videbatur tot innocentes ob ſcelus unius exitio dari: Ideoque tota civitas miſericordiam Senatus & *æquitatem* implorabat, nec in ipſo ſenatu deërant ſtudia nimiam ſeveritâtem aſpernantium: ſed lex & mos antiquus effecit, ut pars quæ ſupplicium decernebat, prævaleret. Non immerito jus illud æquitati, hoc eſt, mitigationi legis oppoſitum Græcis ἀκριβοδίκαιον, jus ſtrictum rigidumque appellatur; imo non deeſt (7), qui hoc *ſummum jus ſummam injuriam* vocat; ſi non id maxime reſpectu alterius ſpeciei quæ conſequenter exponenda venit, intelligendum. Sæpe fit, ut leges ambiguis aut nimis, quod ſæpius accidit, generalibus conceptæ ſint verbis. Ejusmodi dicta præciſe adverſus omnes ſine diſcrimine rerum caſuumque urgere & exequi juris ſtricti fuerit; ſed expen-

(3) *Cap.* 16.
(4) *Cap* 14.
(5) Tacitus *lib. XIV. Annal. cap.* 42.
(6) Vid. *l.* 1. *D. de SCto Silan.*
(7) Poſt Terentium in *Heaut. IV.* 5. & Columell. *l.* 7. Cicero *de Off. l.* 10.

pendere merita circumstantiarum legesque factis ita applicare, sicut ipse legislator sua verba, si adesset, interpretaturus videatur, id humanitatis & *Æquitatis* esse dicitur. Agit hac de re Marcus Tullius in *oratione pro Cæcinâ* (8), ubi eos qui *verbis & literis* nitantur *summo jure* contendere ait, iisque opponit qui bono *& æquo* se defendunt, qui non ex *callido versutoque* jure res judicari oportere contendunt; *scriptum jus*, addit, *sequi calumniatoris est; boni judicis, voluntatem scriptoris utilitatemque defendere.* Placet inducere aliquot exempla quibus utitur Tullius ad rem declarandam. Edictum Prætoris de vi, datur *dejectis;* si proprietatem verbi consideramus prodesse non potest, nisi his qui præcipites de superiore loco acti sunt; at si mentem ac sententiam Prætoris expendimus, non est dubium, quin auxilium ejus omnibus, quibus quoquomodo vis infertur, comparatum sit. Item *actio prodita est in actorem præsentem*, ait, *his verbis;* quandoquidem te in jure conspicio; *hac actione Appius ille Cæcus uti non posset, si tam vere homines verba consectarentur, quam rem, cujus gratiâ verba sunt, considerarent.* Pergit Cicero; *Testamento si recitatus heres esset pupillus, isque jam annos viginti haberet*, secundum juris stricti interpretes *amitteret hereditatem.* directè scilicet, hujus rei observatio solis legibus convenit, sed analogicè ad testamenta actusque inter vivos generaliter ambiguève conceptos extendi potest. Hæc igitur est duplex *Æquitas*, & correctio legum, aut vere injustarum, aut quæ verborum hominumque vitio tales esse videntur. Utraque sub εὐγνωμοσύνης vocabulo & sceptri librique significatione continentur. Per *librum* indicari *Legem* credo jam vos sponte præsumpsisse, *Auditores*; & *sceptrum* Principis aut Judicis (9) officium potestatemque tam proprié designat, ut verbis opus esse non putem ad id vobis approbandum; nisi Regum potius, quam judicum insigne putet aliquis esse sceptrum; quod ut primitus apud antiquissimas gentes ita fuerit usitatum, postea tamen inter Curulium Magistratuum apud Romanos decora. *Sceptrum* fuisse habitum, facile qui historiam urbis inspexere habebunt in

(8) *Cap. 77. seqq.*
(9) Vid. Feithius *lib. II. Antiqq. cap. 4.*

in memoriâ. (10) Videtis igitur legem esse in libro *Eugnomosynes*, interpretem & correctorem in sceptro, quod manu ostentatum Principem Judicemve repræsentat. Sicut autem regnantis & judicantis admodum diversa ratio est, ita negari quoque non potest, quin aliter Princeps aliter Judex in legibus secundum æquitatis regulas corrigendis versetur. Cum enim quicquid Principi placuit Legis vigorem habeat, etiam hoc in potestate Principis inesse intelligitur, ut quibus casibus exercitio Legum durior acerbiorque videatur, iis benignâ *dispensatione* (11) tabulas Legum non tollat equidem, sed vertat paulisper aliterque decernat, quam mens & verba in hoc ipso casu faciendum fuisse dictabant. Ita quemadmodum fecisse Claudium Cæsarem modo retulimus, & quemadmodum Senatus, qui jure Principis judicabat, erga Fundanii familiam statuere potuisset. At respectu Judicis, qui solummodo minister Juris est, vere dici queat, *Legem esse rem surdam & inexorabilem, nibil laxamenti, nec veniæ habere, si modum excesseris.* Reges è contrâ esse *homines, à quibus impetres, ubi jus, ubi injuriâ opus sit; esse gratiæ locum, esse beneficio, & irasci & ignoscere posse.* Quapropter si qua lex non dubii sensus aliquo casu prædura & iniqua videatur, non est in potestate Judicis aliter sententiam ferre, quam lex manifesta jubeat; sed ad Principem Regemve negotii arbitrium referri oporteret, qui non modo Justitiæ, sed & gratiæ dispensationem exercere potest; Judicem vero clementiorem lege esse non oportet, ait Justinianus. (12) Idem de Juris interpretibus, quod in Judicibus, observandum est; non ille, si qua Lex disputando inepta, inutilis, aut injusta demonstrari queat, hoc agere debet, ut aliter consultus respondeat, quam legislatorem voluisse cognoverit. Ulpianus id auctoritate suâ firmavit in *libro quinto de adulteriis*, * ubi mulierem adulterii ream negat servos ancillasve manumittere posse, ne quæstioni subducantur, nec quidem eos, qui extra mi-

(10) *Regum* nempe, & *Consulum* Vid. Dion Halic. lib. III. cap. 76. & lib. IV. *cap* 79. Vopisc. in *Aurel cap* 13.
(11) Auctor. *de Jur. Civ. III.* 2. 5 *n.* 8. *seqq. ib. Thom.*
(12) *Nov.* 82. *cap* 10. *junc. l.* 11. *D. de Pœnis.*
* *l.* 12. § 1. *ff. Qui & à quib. manum.*

ministerium mulieris fuerint, *quod quidem per quam durum est*, ait, *sed lex ita scripta est.* Verum enimvero Judicis officium nullo modo expers æquitatis esse credendum est; nam illa species altera, de quâ superius actum, toto pertinet ad jus dicentis auctoritatem. Hoc, inquam, agere oportet eum, qui jurisdictioni præest, ut æqui bonique notitiæ jungat accuratam *verborum*, (13) quibus auctor legis usus est, explicationem, ut non modo externum eorum corticem, sed vim sententiamque habeat perspectam, eaque ita cum circumstantiis facti comparet, ut nihil inter partes statuat, nisi quod Legislatoris voluntati sit consentaneum. Exemplis hanc rem latius illustrare supersedeo, *Auditores*, cum ea vobis ex superiore loco communi facile sit redigere in memoriam. Existimo quoque, sine difficultate, *Juvenes Ornatissimi*, vos jam soluturos esse nodum, qui vobis à Constantino Imperatore nexus relictus est, dum ad Dionysium Volusiano & Anniano Consulibus ita cum Licinio rescripsit; *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse justitiæ æquitatisque quam stricti juris rationem.* * Biennio autem post ad Bassum Præfectum urbis ita solus scripsit *Inter æquitatem jusque strictum interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere* * Adeone, *Constantine*, fortuna & victoria tibi spiritus auxerunt, ut qui cum Licinio Collegâ Judicibus æquitatem suprà legis rigorem commendabas, deinde solus rerum potitus voluisti, ut placita tua judices exequerentur absolutè, non interpretarentur? Cum æqualem habebas Licinium, auctoritatem Principum æquitati subjiciebas; cum omnes infra te in orbe videbas, tuum solius arbitrium legis & æquitatis loco simul esse volebas? In promtu jam vobis est alium hisce rescriptis in speciem contrariis dare sensum, *Auditores.* Ita vult Imperator in ea constitutione, quâ commendat æquitatem, ut, si verba legum acriorem durioremque sententiam præ se ferre viderentur, quam Legislatorem voluisse credi par esset, Judices æquitatem, id est, benigniorem humanioremque interpretationem amplecterentur. Quod si plane constaret, legis aucto-

(13) *l.* 17. *D. de Legibus.*
* *l.* 8. *C. de Judic.*
* *l.* 1. *C. de Legib.*

auctorem voluisse id ipsum, quod hic & nunc Judici durum acerbumque videatur, non patitur Cæsar, has partes corrigendi juris clari & certi à Juris consultis & Magistratibus usurpari; verum id ei soli, qui etiam novi juris condendi auctor esse queat, vult reservari. (14) Placet utriusque observationis exemplum inducere, quo momentum usumque earum rectius intelligatis, alterum Justinianus, & mos hodiernus alterum suppeditabit. Cæsar in Authentica Collatione septimâ titulo primo sub finem (15) posuit hanc legem; *Qui ex complexibus, aut nefariis, aut incestis, aut damnatis, processerit, non est alendus.* Hinc plerique non modo Juris Censores osoresque, sed etiam patroni ac interpretes collegerunt, ejusmodi proles alimentis à Justiniano indignas pronuntiari, adeoque destituendas esse, ut inopiâ inediaque tam cito quam nascuntur pereant. Non opus est rationibus, opinor, ad refutandam hujusmodi legis inhumanitatem; nec enim ex interpretibus aut inimicis Justiniani, fuerit qui neget, infantibus culpam parentum non esse imputandam, nec innocentes alieni criminis supplicio opprimendos. Quid facias tamen? verba Cæsaris clara & certa esse videntur: Ejus ne Cæsaris, qui tantam φιλανθρωπίας & humanitatis rationem ubique præ se fert? qui passim juris antiqui rigorem, quasi posteritas ei par esse non posset, improbat, emendat, abrogat? eum quasi novum Busirin, aut Saturnum, recens natis infantibus exitium destinare, propter scelus parentum? Ergone Magistratus heic etiam subsistent, aut dictis parere cogentur, ut vel extinguant parvulos, aut Principem super alimentis eorum consulant, ut inter moras rescribendi elidantur animulæ? Imo verò quis credere possit hanc esse mentem sacratissimi Imperatoris; quis non æquitatem heic juris rigori prætulerit? Admodum vereor, ne non hujus sententiæ auctoribus objectare liceat, quod Menander olim scripsit, τὸν ὁρῶντα τοὺς νόμους λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντην εἶναι φαίνεται. *Eum qui Leges nimis accuratè examinat, calumniatorem esse videri,* (16) quod videlicet

(14) Quæ *authentica interpretatio* adpellatur. Ziegler *de Jure Majest. lib. I. cap.* 6 § 9.
(15) *Nov* 89. *cap* 15.
(16) Apud Stobæum *titulo* 165. *p.* 455.

licet in summi strictique juris captatores dictum esse, facile constat. Mihi non absurdum videtur, hanc Menandri sententiam invertere, ac ita efferre; *eum qui leges minus accurate examinat, calumniatorem esse videri*; sicut de eo, qui particulâ legis inspectâ, judicium de totâ ferre non dubitat, alicubi scriptum est (17), idque in hâc specie, & interpretatione Legis, usu venire videtur. Justinianus in prædicta constitutione *Novellâ*, agit de *liberis naturalibus*, id est, e concubinâ susceptis, & in ultimis capitibus, eorum sucessionem ordinat, quam scimus ideo liberis in parentum bonis naturali ratione deberi, quia nihil magis naturæ conveniens est, quam unumquemque operam dare, ut is quem procreavit, in mundo subsistere possit; ideoque per consequentiam alimentorum hereditates paternæ liberis deferuntur: proinde qui ab hereditate secluduntur, hi non aliter habentur, ac si alimentis indigni fuissent declarati; & rursus, qui in lege quâ de successionibus agitur, quosdam obiter non esse alendos memorat, tantundem dicere videtur, atque si à *successione* excluderentur. Vel dic, si mavis, Imperatorem ad notandam efficacius facti sceleritatem, naturæ necessitudinem præcidere voluisse inter liberos & Parentes, qui naturam perverterunt; nec decorum censuisse, ordinariam alimentorum petitionem ei concedere, cujus natales sine execratione memorari non possunt: Quo minus autem publice ali jubeantur ejusmodi infantes sumptu quoque parentum, non modo nihil obstare, sed ratio quoque summa & indubitata mens Justiniani flagitare videtur. (18) Hoc igitur sit exemplum *æquitatis*, quam judices ac interpretes sui arbitrii facere possunt. Quod sequitur diversi generis esse facilius intelligetis. Plurium populorum Leges *adulteros* pecuniâ; *fures*, non modo plagiarios, & abigeos, sed & simplices, inquam, fures capite mulctandos sanciunt, præter Juris Divini, Romani, omniumque gentium antiquarum (19) exempla & auctori-

(17) *L. 24. D. de Legibus.*

(18) *Civilia* alimenta iis negantur, non vero *naturalia*. Vid. *l. 4. D. de agnosc. & al. lib.*

(19) *Polygamias* & *divortiorum* licentia pœnas adulterii exasperasse, prohibitio minuisse videtur, quo rec&e observato multum dubii evanescet.

ctoritates; nec minus contrà justitiæ æquitatisque præscriptum, quod vult æqualitatem criminis pœnarumque religiose servari: cujusmodi tamen inter contrectationem rei mobilis alienæ, vitamque hominis; aut inter violationem thori conjugalis, pecuniamque modicam, nulla comparari potest. Quid autem, an ubi leges ejusmodi obtinent, ibi Judicum arbitrio relinquitur, utrum fures suspendi, adulteros gladio feriri oporteat, an secus? Nequaquam, sed heic obtinet *Constantini* dictum, Principem sibi soli discretionem juris & æquitatis vindicare. Sed est una furti species, in qua Judicibus arbitrium Æquitatis haud gravate concesserim, & est memorabilis exempli. Extat *Hadriani* Cæsaris rescriptum, quo *abigeos*, cum durissime puniuntur, ad gladium damnari solere adfirmat; * quæ verba de pœna gladii, sive decollationis, ita ut sonant, capienda videntur, ac ita plerumque etiam ab his, qui interpretationibus suis vim addere possunt, accipiuntur; etiamsi & Divini Juris exemplo, & rationi modo à nobis expositæ refragetur. Quod si verba neutiquam alium recipiant sensum, nihil hærendum, quin judicem aut exequi hunc rigorem, aut abdicare se oporteat; at est ita, ut executio procedat, etiam ubi genuina Juris Romani auctoritas religiosissime servatur. Ego vero saniorem ejus rescripti intellectum æquitati, sententiæque mitiori, locum facere debere aliquando existimavi. Nam per *gladium* ex mente Hadriani non strictum ensem, sed ludum gladiatorium esse intelligendum, *Sandius* ipse, Decisionis contrariæ scriptor & laudator, fatetur: At ludus ille per Constantinum, inquit, sublatus fuit; idcirco tempore Justiniani damnatio ad gladium non nisi ad momentaneam decollationem referri potest, utcunque *Hadrianus* ludum designasse videatur. Recte, si non *Justinianus*, aut ejus Amanuenses, pleraque suo tempore moribus obsoleta, veteri tamen sensu Pandectis inseruissent, quod innumeris rerum documentis probari potest; ut dubium mihi non sit, quin noster *Flavius* Cæsar Hadrianum introducens loquentem, haud alium ei sensum, quam cujus ipse sibi

* *l. 1. ff. d. Abigeis.*

ſibi conſcius fuit, affingere voluerit. (20) Ideoque bonus & æquus Judex, ſalva religione Cæſareaque Majeſtate, abigeos ita punire poteſt, ſicut proportio pœnæ, quâ damnati non conſumebantur ſed poſt lapſum temporis pileum rudemque cum libertate ſperare poterant, exigere poſſe videbitur. Sed ut video, ſufflaminanda eſt oratio; ne longius excurrat in legalis Philoſophiæ ſpatia, quam modus inſtituti & hæc hora patiatur. Credo, me vobis ſecundum ea quæ diſſeruimus, haud difficulter approbaturum, *Æquitatem*, ſive judicium corrigendi Leges, nihil aliud eſſe, quam *Rationem* cum *Lege* conjunctam. Nam ſive Princeps, aut Senatus, qui jura Principis exercet, arbitraturi ſint, utrum leges ob aſperitatem in certis caſibus emendandæ; an, ut ſcriptæ, ita exequendæ ſint; ſive judices verba legis cum probabili mente ſententiâque legiſlatoris ſecundum merita cauſarum comparare velint, manifeſtum eſt, utroque caſu tam *libro* opus eſſe, id eſt, accurato examine verborum Legis, quam *ratione*, ſive ingenio judicioque veri à falſo, æqui ab iniquo, liciti ab illicito ſeparandi. Quam ad rem non modo prudentiam, ſed etiam ἀγχίνοιαν, ut *Codinus* addit, id eſt perſpicaciam ſubtilitatemque, requiri bene ſentiunt, qui Jus Latinum, ut eſt hodie contractum, ſeriò ſtudent. Nec enim unamquamque legem ſufficit examinari, ſed omni corpore Juris diffuſas *Æquitatis* regulas, deque iiſdem ſimilibusque rebus, inter ſe conferre, perpendere & applicare præcepta oportet, ut in quoque genere quæſiti ſuper æquo ſtrictoque jure gnarus & adſeveratus eſſe poſſis; quò pertinet, quod Ἐυγνώμων, id eſt, *Æquitatis Arbiter*, memoriæ, quæ in libris exercetur, apud *Codinum* indigere dicitur. Denique, *ſceptrum* eſſe Rationis atque judicii ſymbolum, præcedenti oratione tam clarè demonſtravimus, ut jam nihil hæſitandum ſit, quin Statuæ *Eugnomoſynes* cum ſceptro libroque ſuo bene ſignatéque LEX & RATIO inſcribi poſſit. Nihil ut interea priori ſententiæ derogemus, quominus per *Eugnomoſynem* ſecundum *Douſæ* verſionem ÆQUITAS intelligatur, ſine præjudicio *bonæ mentis*, quam & è verborum interpretatione, & è ſignorum convenientiâ, tam evi-

 den-

(20) Ita vero jam Cujacius *lib. XIII. Obſerv. cap.* 10, Conf. Interpp. ad *Collat. LL. Moſ. & Rom. tit. XI, num.* 7.

denter antehac *Codini* ſtatuæ accommodavimus, ut ratio nulla ſit, quamobrem in eam partem dicta, diſputata denuo rejecta & improbata velle videamur. Quid enim opus eſt, cum Æquitas ſit etiam pars *bonæ mentis*, quam pridem ex ingenio memoriâque conſtare docuimus? queis facultatibus *Æquitatem* adminiſtrari jam modo comprobatum eſt. Quid porro *menti bonæ* convenit elegantius & efficacius, quam benignitas & humanitas, quæ virtutes *Æquitatem* abſolvunt? nonne & Εὐγνωμοσύνη comitatem, conſequenter *bona mens* bonum & benignum animum affectumque ſignificat? At quæ virtutes affectionesque civitati, foro, commerciis, totique Reipublicæ, melius ſedent, quam hæc præſtantia dona *Eugnomoſynes*? proinde quid in foro novæ urbis ſuæ Conſtantinus Cæſar aptius oſtentare poterat, quam *Æquitatem* juxta *Hermen emporium*, præſidem mercaturæ Deum? Nam ut hæc urbi frequentiam, civibus abundantiam, imperio toti florem vigoremque conferret, palam eſſe debebat, non jure ſtricto rigidoque, non herili tyrannicove imperio, ſed ex *libro*, id eſt, ſecundum leges, atque benigne humaniterque cum mercatoribus actum iri. Nihil enim hos utiles mundi incolas poſt faces Bellonæ magis terret, offendit, abigit & fugat, quam rigor & duritia imperii, quam inhumanitas Magiſtratuum, denique ſub juris prætextu quam calumniæ & ambages judiciorum. Hoc bene conſtanterque ſervatum videbat Imperator, urbi ſuæ pecuniam vireſque inexhauſtas ſuppeditaturum, ita quemadmodum Codinus marſupium à *Mercurio* prolatum, & *Eugnomoſynæ* conjunctum atque ſubjectum interpretatur. Denique, non *Conſtantinopoli* modo, ſed ubique terrarum patet uſus & argumentum hujus copulæ, quâ bona *Mens* & *Æquitas* cum Mercurio, ſceptrum cum marſupio, quin & liber atque crumena pari ambulant paſſu eodemque foro conſiſtunt. Prudentiores fuere *Conſtantinus*, & domini Gentium Romani, quam plerique Monarchæ ſecutis temporibus viſi ſunt; qui ſceptro non convenire marſupium, neque regno mercaturæ ſtudium putarunt. Quæ res, majorum noſtrorum memoriâ, quod velim obſervetis, *Auditores*, maritimis Germaniæ civitatibus, quas *Hanſeaticas* vocarunt, tantas opes copiaſque ſuppeditaverunt, ut magnis Principibus pares aliquando

quando

quando fuerint. (21) Ni potius altera, quam diximus ratio, Humanitatis & Æquitatis, in causa fuisse videatur, quando satis constat, *Eugnomosynem* in liberis civitatibus sceptro libroque suo sanctius usam esse, quam in regnis libido dominantium ferret. Nec forsitan alia florentis in Bataviâ mercaturæ causa validior adduci potest, dum è regnis undique in atrium libertatis, in emporium *Eugnomosynes*, haud minus quam *Mercurii*, Apes illæ generis humani confluxerunt: ubi videlicet sceptrum libro conjunctum erat, imperium legibus & æquitati; ubi sub sceptro cives libri non minus quam marsupii liberum habebant arbitrium; etiam scilicet illius libri, quo *bonam mentem* Christianus homo potissimum formare ac instruere debet. Non defuit ratio postea cordatioribus Monarchis, ut etiam *Constantini* exemplo Mercurium sceptro suo, utcunque marsupio conspicuum, adjungere non dedignati sint, nec ullis artibus ad alliciendos illius Dei cultores parcendum existimaverint. Nos illud comprecemur, ut supremus rerum humanarum *Arbiter* Proceribus nostris *Bonam Mentem*, *Æquitatemque* largiatur, ut *sceptrum Eugnomosynes* super cives suos vibrare, nec minus ut *libri* curam habere perseverent. *Libri*, quo Reipublicæ regendæ ratio Legesque continentur, *libri*, quo salutis æternæ secreta panduntur, & Auctoris *Divinâ* voluntate nobiscum communicata sunt. Ita futurum est, ut non modo justè pacatèque populum sibi commissum, servatis legibus & æquitate, gubernent, sed ut eundem temporalibus æternisque bonis, veræque cornu copiæ tueri & locupletare possint. Vos autem, *Præstantissimi Juvenes*, iterum atque iterum monendi hortandique estis, ut bonæ mentis æquitatisque studium nova pulcherrimâque animati ratione, magis magisque colere & exercere, vobisque ad eadem bona spem aditumque certum parare velitis.

(21) Ab sæculo usque XIII. medio, qua de re *Werdenhagius* & *Hagemeierus*, data opera scripserunt. Conf. Herm. Conring *de Urb. Germ.* § 98. *seqq.*

DIXI.

ULRICI HUBERI LEX & RATIO

sive de

Eugnomosyne Oratio III.

DUabus Orationibus *de statua Eugnomosynes*, deque *libro* atque *sceptro*, quibus prædita fuisse dicitur, habitis, *Auditores*, ne sic quidem interpretatione doctrinæ, quæ per illa symbola significatur, nos esse defunctos, credo equidem fore qui mirabuntur. Ego verò, si indulgere stylo, & eloquentiæ vela pandere voluissem, de singulis horum signorum mysteriis, quæ sex & amplius exposita sunt, facile totidem justas Orationes dare me potuisse, velim existimetis. Nam de *sceptro* atque *libro*, quæ Academiis, quæque Principibus, ad conjungendam Imperii Majestatem cum gloriosâ doctrinarum notitiâ tribuuntur, quam benigna dicendi copia se præbuisset! Bonæ mentis studium in ingenii memoriæque facultate exercendâ, *Rationis* imperium, corporis obsequium, *liber* quo mens ad salutarem hanc potestatem instrui possit, *Hermes* denique *Emporius*, pecuniæque contemptus, & utilitas in Republicâ, res erant, quæ multò latius quam à nobis factum, explanari potuissent. Novissima de *Æquitate* fuit oratio, quam sicut de scientia corrigendi Leges, ut debebat, explicavimus, ita fere nihil aliud eam esse docuimus, quam LEGEM & RATIONEM; quæ verba dein supra effigiem *Eugnomosynes*, quam pro symbolo exercitationibus nostris præfigendo adscivimus, collocare non dubitavimus. Nam sive Græca vox illa per *Æquitatem*, sive per *bonam mentem* reddenda sit, utroque sensu *LEX & RATIO* in Eugnomosyne manifestò relucet. *Æquitas* tota nihil aliud est, ut diximus; *Bonam mentem* plura complecti jam pridem copiose probavimus, sed respectu

Juris

Juris studiosi naturam ejus in hoc ipsum inprimis resolvi, argumentum hujus Orationis esse debebat. Nihil enim vetat idem dictum, eademque symbola *Eugnomosynes*, ad plura studiorum sapientiæque documenta produci. Mihi verò peculiariter hæc *libri sceptrique* interpretatio per *Legem & Rationem* placuit, quod nihil aptius & afficacius cognoveram, quo consilium vobis ad studia vestra suggerendum, *Juvenes Ornatissimi*, fundaretur, Legum eruditio vobis est proposita, sed ni rationem ubique conjunctam teneatis, cæcam imperfectamque Juris scientiam scitote vos habituros. Non solius Philosophi, sed & Jurisconsulti hanc oportet esse sententiam; *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas.* Futilis & fluxa studiosi hominis disciplina fuerit, quæ in solâ præceptorum memoriâ sine luce rationis consistit. Jurisprudentia ad imperandum judicandumque, id est, ad sceptrum vibrandum nata & idonea facta est; Quid autem res divinas & humanas imperio temperat atque gubernat, nisi *Ratio*? Quid civium controversias & Reipublicæ fata componit ac moderatur, nisi *Ratio*? denique Lex ipsa quid est, nisi fons & Fundamentum ejus sit *Ratio*? Objectatur, sed immerito, Arti nostræ, quod ipsi conditores ejus ita tradiderunt; *Rationes eorum, quæ constituta sunt, inquiri non oportet*, idque propterea quod *non omnium quæ à majoribus tradita sunt ratio reddi potest*, * quasi pudendum vel ignorantiæ vel servitutis asylum in his dictis contineatur. Enim vero non ita Juris consultos inducere animos oportere, uti quæ non intelligunt, improbare, legumque vigorem ab æstimatione suâ pendere velint, dicere jam occupavimus. Id enim si procederet, *multa quæ nunc certa sunt, subverterentur*, ait Neratius in libro sexto membranarum: satis est ad vindicandam Legum auctoritatem, eas non pugnare cum necessariis æternisque boni honestique regulis, etsi cuncta rationum singularia, post longam ævi memoriam forte minus sint conspicua. Sed qui Romanæ Jurisprudentiæ scrutati sunt adyta facile norunt, ejusmodi capita vel nulla, vel rarissima, in libris Justiniani esse relicta; verum ut artis hujus initia

* *l.* 20. *l.* 21. *ff de LL.* Verba *Juliani* e Cicerone expressa esse observat Rittershusius, *lib. II. Sac. Lect cap.* 4. Vid. post. Mornacium ad *d. l.* 20. Cl. Heineccius *in praef. ad Princip. Pand. p.* 13. *seqq.*

tia ex ipsis naturæ principiis educta sunt, ita nihil imprimis huic fundamento nisi incorruptæ rationis cynosuræ conveniens inædificatum est. Sed heic velim observetis, *Præstantissimi Juvenes*, tametsi ratio sit anima Legis, non esse tamen ut in omnibus infinitisque rerum casibus, eundem à lege rationis tenorem exigere fas sit; Nec proinde tutum usquequaque fuerit, ut ubi ratio legis cessat, ibi continuo sanctionem quoque legis cessare putetis. (1) Lex est generale præceptum, quod sufficit in universum prodesse Reipublicæ, utcunque privatos aliquando præter rationem affligere videatur. Proinde, quibus accidit, ut ratio legis cesset *in universum*, ibi non potest aliter, quin ipsa lex & ejus sanctio desinat; at in singularibus factorum speciebus non raro secus evenire, poteram exemplorum evidentiâ docere, si tam Orationis quam Prælectionis argumento consentanea viderentur. Jam porro, si Lex sine ratione non præstat felicem Jurisconsultum, multò minus, *Auditores*, *Ratio sine Lege*, sine exacta legum, *inquam*, notitiâ, nomen & officium Jurisperiti ullo modo implere potest. Da mihi philosophum, da oratorem, historiarum & antiquitatis cognitorem, eosdemque Juris studio persunctoriè tinctos, sicut reperiuntur, & qualis olim celebris orator, *triduo*, si vellet, Jurisconsultum se fore minabatur; næ talis in respondendo, in judicando, facile temeritatis stultitiæque convincetur. Hujus generis Doctor Juris fuit ille magnus alioqui *Justus Lipsius*, & si *Wissenbachio* nostro credimus, etiam alius recentioris memoriæ vir æque magnus; quorum ille (2) de suo doctoratu nihil quam nauseam odiumque Legum retinuit; hic vero, cum de *paradoxo Juris* edito libro, derepente Jureconsultum venditasset; eoque disputationibus artis, quibus undique petebatur, implicitus se tueri cogeretur, continuo palam fecit, quam *Ratio sine Lege*, dissimilem Jurisconsulto exhibeat Doctorem; dum positiones à disciplina legum abhorrentes ei passim exciderent, & nodos, quibus impar erat solvendis, lectionibus immutatis, ense

(1) Nonnulla hanc in rem disputata a me videsis *Lib. II. cap. 5. Lectt. Jur. Civ.*

(2) Vid. Lipsius in *Monit. Polit. lib. II. cap.* 10. & Lud. Vives *lib. VII. de corr. disc. p.* 209.

ense resecaret. (3) Nec verò tantum hæc res in Academiâ se prodit, sed multò plures in foro *Jureconsulti* id genus *Rationales*, si dicere fas est, reperiuntur, qui studiis, hoc est, *Lege*, multo aliis inferiores, judicandi tamen audaciâ volunt cedere nulli; à quibus habet *Europa* praxin illam excellentem, qua tot præclara Juris Romani capita rationalibus illorum inventis attrita & obsoleta sunt. Operæ pretium est audire, quamobrem in judicando se facile doctissimo cuique pares esse posse contendant. Nonne jus, *ajunt*, nostrum est interpres *Juris Naturæ*, nonne cuncta quæsita præscripto liquidæ sanæque rationis finienda sunt; quid aliud igitur quam justi rectique vis judicii, cujus facultas à naturâ tribuitur usuque exercetur, ad judicandi partes requiritur? vel si quid Artis præcepta regulæque ad hanc rem adjumenti conferant, forte an Advocatis illorum memoriâ opus sit, à quibus Judici exponuntur; hic vero si ratione judicioque polleat, etsi per se leges non teneat, facile tamen, utra pars melius sentiat, existimare potest. Ecce (nam elegantior est comparatio, quam ut prætereunda sit) missum exquisiti & sapidioris cibi parare *coqui* est artificium, non cujuslibet Patrisfamilias; sed gustando periculum facere, utrius de duabus patinis *jus* sit melius, simplicissima naturæ facultas est; nam ut exacta collatio sit, de *jure* in utroque similitudinis exemplo agebatur. Vim huic ratiocinationi addit, quod argumentum ejus experientiâ firmari videtur; cum tot Doctores, qui *Leges* in Academiis bonâ fide non didicerunt, quibus nec postea curæ fuere, nihilominus *Judicum officio* fidenter graviterque funguntur. (4) Non potest negari, quin id ita palam usu veniat, etiam hoc verum esse fatemur, multos eorum qui de *jure* cum disseritur, obmutescunt, ubi ad *facta* se contulerint, longè melius expedire se posse; quæ res *Hobbesium* Anglum quoque movit, ut in suo *Leviathan* scriberet, Advocati munus eruditionem dicendique facultatem requirere, Judicem ejusmodi præsidiis carere posse; cum jus ei suggeratur, eloquentiæ ab eo nihil, quam ut animi sententiam ex-

(3) Salmasius indicatur in famosa *de mutuo* quæstione.

(4) Gravissimam de vernaculo hoc malo querelam; videre est apud Ampl. Praesidem Bynkershoekium, *praef prioris volum Observationum*, *p. 2. seq.*

exprimat, desideretur. (5) de *Hobbesio* nihil miramur, dum Rationem sine *Lege* Judicem facere posse contendit; cum parum absit, quin & Theologum sine verbo Dei sibi formet, utique saltem hoc *Rationi* non obscure subjiciat, ac eos, qui divini afflatus conscientiæ quicquam in rebus fidei tribuunt, *Apostatas Rationis* appellet. Quod si in *Anglia*, quæ jure scripto non multum, Romano prorsus non utitur, è mediâ plebe homines aliquando Judices fieri videmus, relinquamus id suo loco: de nostris autem dicasteriis, quæ Arte Justinianea reguntur, adseverare licet, ea non posse non infeliciter administrari ab his qui *Legum imperiti* sola ratione ingeniique acumine freti, gravissimum judicandi munus subire non verentur. Fateor iterum in tralatitiis & vulgaribus causis, ut sunt maxima pars litium, eos sine difficultate versaturos; fateor etiam, si judicem in arduis rebus alterutrâ facultate vel legum memoria vel acri rectoque judicio, destitutum esse oporteret, *Rationem* longè majoris esse momenti quam *Legem*; sed ferre non possum hanc inscitiæ arrogantiam, quà homines indocti Legem, se primo intuitu perspicere posse imaginantur, quid justum & æquum sit, etsi regulas à Veteribus longâ meditatione multâque disputatione conditas usuque recognitas atque probatas, ignorent. (6) Judices *Caligulâ* Imperatore digni, (7) qui infensus aliquando Jurisconsultis minabatur, se facturum, ut nihil esset iis, quam *æquum*, quod responderent; hoc est, se leges, in quibus eorum doctrina consisteret, aboliturum, ut juxta nativam rationis normam æquitatemque nudam consilia dare cogerentur. Non opus est dicere, si id effecisset, dignam *Caligulâ* futuram fuisse Rempublicam, Jus fortunasque civium in manu Principis, in libidine magistratuum, nihil in quo rerum hominumque securitas requiescere potuisset. Propius ad rem pertinet, quod sanè Jus Romanum est interpres fidelissimus Juris Na-

(5) *Cap. XXVI. Leviath. p.* 134. *junc. cap. V. p.* 20. *seq.*

(6) Inepte arrogantium exempla habet Jo. Saxo Hattepedius, *de Gloss. Accurs. p.* 56. *seq*

(7) Suet *cap.* 34. ubi ex antiquis libris Casauboni omnino legendum est, *ne qui respondere possint praeter eum.* Unde vero Auctor τὸ *aequum* eruerit, me fateor ignorare; vera certe lectio non est.

Naturæ, qui tamen non semper cum tuo naturali judicio, solertissime Cognitor æqui, conveniat. Etsi enim Jus Naturæ nunquam à sensu communi abhorreat, civilia tamen negotia tam varios habent adspectus, tot habent singularia facti, tam infinitos casuum recessus, ut certis rationibus regulisque non nisi magnâ curâ exactis, multoque temporis usu firmatis, æqualiter dirigi possint. Quas cum Romani sapientissime excogitatas, tot seculis exercitas elegantissimèque excultas reliquerint, quod erit os illius Judicis, qvi secundum illas judicare jussus, audebit dicere, fieri potest, ut *hoc aut illud ita secundum leges antiquas ordinandum esset, verum mihi non videtur æquum; ideoque secus judico?* Atque utinam hujusmodi voces in foro Curiisque rariores essent, quàm castigatæ limatæque secundum artis sanctissimæ regulas sententiæ! Jam si modestiores alii, Patronorum utriusque partis diligentiâ suam instrui posse putent imperitiam; næ illos fallit ratio, atque refellet experientia. Fallit eos ratio, quoniam Advocati potius id agunt, ut Judicibus quod ipsi volunt persuadeant, quam ut veras juris rationes legumque dictata genuino repræsentent. Experientia refellit eos, non modo dum idem exhibet ob oculos; sed etiam cum animadvertent, sæpissime fieri in judiciis, ut partium Advocati ne quidem in conspectu habeant loca juris, unde petenda decisio, quibusque merita factorum applicari debeant. Nì tum Judex è memoriâ Legum, judicioque secundum eas bene composito, jura quæ Advocatis desunt, supplere possit, væ miseris partibus cunctisque civibus, quoties de capite fortunisque judicio, velint nolint, certare coguntur. Et hinc facile colligetis, *Auditores*, quid de facetâ comparatione *juris cibarii & legalis*, qua nonnullos sibi placuisse diximus, sit existimandum. Si gustator juris esculenti non modo discernere, quid sit sapidius, verum etiam indicare possit, quid huic aut illi juri desit, quoque addito vel exempto gratius effici possit, hunc rei *cocitatoriæ* * scientem esse non negabimus; qui verò nihil aliud novit quam inclinare ad id, quod palatum suum dulcius afficit, cum id cujusvis sit, hunc ideo condiendi artificem esse nemo contendet.

 Præter

* Ita in *l. pen. D. de pen. leg.* sed leg. cum Cujacio II. *Obs.* 6. *cocinatoriae*, ex *l.* 19. §12. *de aur. arg.*

Præter quod ſapor palati nullius artis & inſtitutionis eget, quod de ſapore juſti injuſtique in infinita perplexitate rerum humanarum multò ſecus eſſe, nec ipſos hujus comparationis auctores putem eſſe negaturos. Nec adeo quisquam audebit aperte negare, Rationem ſine *Legis* exactâ notitiâ non magis efficere Jurisconſultum, quam Lex ſine ratione magiſtrum ejus artis, quæ *vera* non ſimulata *philoſophia* audit, (8) abſolvere poſſit. Sed placet, *Optimi Adoleſcentes*, vobiscum paulò propius, in uſumque veſtrum efficacius, ſceptrum librumque *Eugnomoſynes* contemplari, hoc conſilio, ut *Legis* notitiam *Rationis* auxilio promptam facilemque comparetis, comparatam æque facile promptèque ſuo tempore exerceatis. Qui imperium habet, is ſolo nutu ſceptri facit, ut juſſa cogitataque ſua dentur executioni, æque prompte Jurisconſultum regulas Artis quæſtionibus, factorumque ſpeciebus applicare poſſe cuperem; ubicunque difficultas inſolita longiorem non poſtulet moram; quemadmodum Imperii nemo tam abſoluti fuit unquam, cui ad quemlibet ſceptri motum paratiſſimi licet miniſtri in graviſſimis rebus incontinenti parere potuerint. Hanc eruditionis promptitudinem habilitatemque non aliter in ſtudio Juris, *Auditores*, adipiſcemini, quam ſi hæc vobis prima, media, poſtrema ſit regula & axioma, cujus modo meminimus, LEX & RATIO, id eſt; *liber & ſceptrum Eugnomoſynes*. In his duobus vim Themidos juridicæque eruditionis contineri, date pauliſper audientiam, dum Studioſi, Profeſſoris, Advocati, Judicis reſpectu, clare breviterque probem, & ſi potero, ſingulis perſuadeam. *Lex* igitur eſt *liber*, & quis liber non eſt difficilis conjecturæ; quem enim Juris ſtudioſo commendemus, niſi ἦν ῥα Τελβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ, ut Florentinæ in fronte Pandectæ habent; *quem Cæſar Magnus ſubjecto tradidit orbi*? Unus eſt liber quem manu præfert *Eugnomoſyne*, & hoc Juſtiniani libro ſtudioſos Juris inde ab initio contentos eſſe velim; ſatis magno tamen illo, qui univerſum diſciplinæ Juridicæ corpus amplectatur. Quæ res inde primo intuitu conſilio meo tribuat auctoritatem. Namque ſi tam ingens volumen novis Juſtinianeis diſcen-

(8) *l. 1. § 1. D. de I. & I.* quam egregia Oratione illuſtravit civis, doctor, & decesſor noſter *Ev. Otto*, Reip. Bremenſis cum maxime Syndicus Primarius.

discendo subigendum est, quis ferat illorum initia pluribus onerari, quis non potius de laxamento compendioque laboris in gratiam tyronum cogitet? Nec defuit ipse Justinianus huic prudenti temperamento, *Institutionum* libello suis auditoribus omnium primo hac fine præparato. Cujus epitome perceptâ, certis passibus ipse Cæsar humanissimus eos per Pandectas, & Principalium Constitutionum codicem, quasi manu ducit, neque patitur aliis libris discentium curam distrahi, nisi quod *brevissimis positionibus admonitoriis* adolescentes præmuniri, lectionemque regi, permittit ac etiam suadet. Nam per has fundamenta *rationesque* singulorum juris locorum methodicé collocari, & in antecessum rudibus Studiorum insinuari possunt; neque metuendum, ut exinde commentitiis interpretationibus, quod inprimis Cæsar abhorret, sensa legum, jurisque *Rationes* corrumpi vel adulterari possint. Denique, juxta positiones illas vivæ vocis ministerium jungi vult Imperator, in quem finem Antecessores, Juris interpretes, *Romæ*, *Constantinopoli*, atque *Beryti*, constabilivit. Hac viâ sapientissimus Princeps, cui Artis suæ naturam omnium optimè notum fuisse oportet, insistendum putavit, ut omnis disciplina sua, *Lex*, inquam & *Ratio* bene solideque perciperetur. Atque hæc est ipsa illa methodus, quam vobis & præivimus semper, *Optimi Juvenes*, & imposterum præire cogitamus, utpote facillimam, jucundissimam, & quod caput est, utilitate diversa instituta superantem. (9) *Facilitatem* pollicemur, quatenus Artis amplitudo gravitasque recipit ut præstari queat; at sine exceptione præstabimus eam, si cum adversâ studentium ratione comparetur. Quid enim illi? Ingentia volumina ad Institutiones, ad Pandectas, Codicemque; præterea de Antinomiis, legibusque intricatioribus scripta, neglectis aut obiter perlustratis Justiniani libris, rectâ viâ aggrediuntur; & quantò quisque diligentior ingenioque fortior est, tanto plures majoresque legendos sibi sumit Auctores. In quibus intelligendis capiendisque non minus operæ judiciique requiritur, ac ipsis legibus impenderetur. Et cum hæ tamen quovis modo Juris studioso memoriæ judicioque mandandæ sint,

 quis

(9) Quo pertinet Dialogus Auctores *de Rat. doc. & disc. jur.* item praefatio *Institut. Reip.*

quis non videt ſtudii Juridici ſpatia non modo plurimum extendi, ſed & augeri implicarique difficultatem ejus & obſcuritatem. Nam qui præparatam unâ rectâque intentione mentem legibus applicat, credite mihi, longe facilius earum vim ſententiamque percipiet, aut ope Præceptoris ſe expediet, quam qui in prolixis antea commentariis diu multumque ſe fatigaverit. Occupato enim alienis ratiocinationibus judicio, impletâque memoriâ, nec alacritas eadem nec perſpicacia eſſe poteſt in argumentis rationibusque legum penetrandis. Dicant, qui *Treutleri* theſes, & *Hunnii*, *Bachoviive* ad eaſdem commentarios legerint, ſtudendoque ſubegerint; an poſt tot ſubtilitates accrimasque commiſſiones, vacuos paratoſque ſe ſentiant ad leges ſuper iiſdem capitibus à Juſtiniano collocatas ſerio attentèque examinandas. Idem in Weſembecio, Hahnioque, velim faciatis periculum; Credo *Bachoviani* aut *Hanienſes* facile citoque, *Juſtinianei* tarde & difficulter evadetis. Hic jam non dubito, quin auditurus ſim, unde mihi hæc inſolentia, ut tam claros ſcriptores, eorumque ſimiles: nam eadem ferè omnium ratio eſt; exponere contemptui & quantum in me fuerit, è manibus juventutis excutere, judicioque univerſi orbis literati opponere me ſuſtineam. Sed horum trium nihil eſſe quod imputari mihi poſſit apud æquos judices facile obtinebo; ſuſpicere & venerari me tanta nomina, deque bono publico, juriſque prudentiæ ſtudio, præclarè eſſe meritos eſſe libens & agnoſco & deprædico; neque in eo ſum ut uſum eorum juventuti diſſuadeam, licet in *modo utendi* ab aliis diſſentiam. Comparent eos ſtudioſi, magni quoque faciant, ſuperque difficilioribus locis & quæſitis frequenter eos conſulant, excerpant etiam quod alibi non lectum benedictum ab illis, & ad rem ſuam facere judicabunt; ſed hæc ſeorſim datiſque occaſionibus fieri velim, non quando *in ſummâ* ſtudent, ut Artem Juſtiniani ſecundum Juſtitutiones & Pandectas redigant in memoriam; faciant hoc ut Cæſar ipſe præcepit, *paratitla* diſcendo, textus ipſos legendo examinando; ſi quid reſidui temporis ab hac occupatione abundet, hoc jam Cujacio, Donello, Bachovio, aliiſque ſcriptoribus, ſi velint, impendant; non tamen prius quam illud alterum bene, diſtincte, valideque perfecerint, ſentient tum in his

ipſis

ipsis recentioribus scriptis se multò utilius versari, judicio delectuque, eorum, quæ lectis judicatisque, in ipsis legibus, addenda putaverint, vel quæ usu populorum secus ac Imperator voluit recepta & usurpata sunt. Distinctè igitur proponatis vobis, censeo, *Adolescentes*, vim summamque disciplinæ & apparatum ornatumque doctrinæ Juridicæ. Vis & quasi corpus studiorum in *Lege & Ratione*, vestitus comitatusque in variâ lectione recentium Auctorum quærendus & collocandus est. Nam de exoticis ornamentis literaturæ humanioris, & antiquitatum, alio tempore diximus (10) eaque ad præparationem potius & splendorem, quam id ipsum studii Juridici ambitum pertinent. Bene igitur habet, quod *Eugnomosyne* cum sceptro libroque suo Juris Studiosis *Legem atque Rationem* commendat & inculcat; sequitur, ut de Professoribus eorumque instituto hac parte videamus. Horum officium in *duobus* consistere videtur, in *docendo* atque *scribendo*; utrobique nihil rectius elegantiusque proponi illis posse, quam *Legem & Rationem* probatu, ut de Studiosis factum, non erit difficile. *Docendi* quidem munus quod attinet, id aliter non constare, quam modo discendi methodum exposuimus, res ipsa sine novo argumento satis evidenter ostendit. Proinde in hoc totum oportet esse Doctorem Juris, ut Auditori summariis positionibus ad singula Juris capita instructo munitoque *leges rationesque* clarè, succinctè, validè monstret, ac ita promptum habilemque perficiat Jurisconsultum, quemadmodum Justinianus eum optimè solideque perficiendum esse præcepit. At in *libris conscribendis* vereor, ut convicia sibilosque indignantium vel irridentium sustinere queam, si aliter eos quam cum multâ numerosâque *citatione* veterum novorumque scriptorum emitti debere dixero. (11) Quanquam autem ratio non desit, ut heic quoque *legem rationemque* sufficere demonstrem, malo tamen exemplis invidiam amoliri. Quatenus Antiquos Artis Juridicæ Auctores satis constat, nullis aliorum citationibus in suis commentariis usos, sed hoc solo laudem admira-

(10) Sup. *Orat. V.* Confer, si lubet, quae in praefatione nostrarum *Juris Civilis Lectionum* hac de re plura diximus.

(11) Vid. Heineccius in laudata *praef. Princip. ad Pand.* & in *Orat. de Jurisconf. Semid.*

rationemque meritus esse, quod in Legibus Edictisque Prætorum enarrandis, aut verborum proprietates, aut æqui bonique rationes, detegere & explicare satagerint. Nec in aliis operibus variarum inscriptionum *de ambiguitatibus*, *Membranarum*, *Quæstionum*, *Responsorum*, *Definitionum*, *Regularum*, *Variarum Lectionum*, *Institutionum*, *Disputationum*, *Sententiarum*, *Manualium*, & si quorum præterea per Pandectas sparsa sunt vestigia, videas disciplinæ nostræ conditores hoc more farciendi sua scripta nominibus innumerabilium Auctorum unquam fuisse usos. Nihilo magis qui in Græcis Jus Romanum ab ipsis adscitum commentati sunt, hoc negotii datum sibi crediderunt; nec qui post *Irnerium* in Occidentalibus provinciis Jus Civile illustrarunt, id studio habuere, non *Azo*, non *Placentinus*, non *Accursius*, non *Durandus*, non *Bartolus*, aut *Baldus*, non denique superiori seculo genuinæ Jurisprudentiæ instauratiores, *Cujacius*, *Duarenus*, *Donellus*, & qui illos in eodem instituto vel præcesserunt, aut non multo post secuti sunt, id sibi placere testatum reliquerunt. Jam scire velim, quæ nos ratio utilitatis aut decori moveat, ut potius quod à *pragmaticis* quibusdam scriptoribus superiori, & à plerisque præsenti seculo institui cœpit, imitemur quam quod omnis antiquitas & cultiora quælibet ingenia faciendum putaverunt; quodque jam pridem æmuli antiquorum *Galli*, & è nostratibus multi elegantioris doctrinæ viri, in suis scriptis renovarunt. Fateor ingenuè ab omni tempore, quo studiis operam dedi, multo magis delectatum me fuisse Jurisconsultorum (ne de aliis disciplinarum auctoribus loquar) scriptis, qui legum sententias rationibus idoneis æquali orationis contextu illustrarent, quam qui concise & hiulco sermone rationum loco nomina & auctoritates infinitis *remissionibus* (12) accumularent. Quod si hoc more, quem probo, fieri non potest, ut mei libri tolerentur, malo tamen ita inducere in animum, non esse tam miserum tacere, quam indices scribere, ubi fructus ingenii expectetur. Fruantur honore multæ lectionis, qui deformem putant esse paginam, cujus non pars dimidia nominibus

(12) *Barbosam Delrionem Brossaeum* aliosque integra Remissionum volumina erudito orbi obruisse quis nescit?

nibus *concordantium* vel *dissentientium* (13) Auctorum referta appareat; utcunque pars maxima ex aliis descripta, pars etiam falso sententias, quibus approbandis adducuntur, si inquiras, laudare deprehendantur. Rursus heic tamen monendi estis, *Auditores*, me non ita sentire, ab omni mentione veterum novorumque scriptorum esse abstinendum; sed utique nominandos esse, per quos in tuis meditationibus digerendis adjutus es, saepe etiam de sententiis aliorum in partem utramvis esse disserendum; quorum utique nomina ipsorum Lectorumve causâ minime supprimenda esse candor & liberalitas monet. Nec ullo modo faciendum, ut eas à quibus idem argumentum antea tractatum fuit, si quos noveris, tristi silentio notes aut premas. Quo nomine, ut intra nostrae professiones limites me contineam, *Mynsingeri* de *Gailio* querelam arbitror esse justam, nec ejus causam huic licet superiori facile ignoscendam. Ediderat ille primus Observationes Juridicas Judiciis Cameralibus approbatas, eo successu, ut hodieque in hoc genere non parum laudentur: Idem institutum postea *Gailius* sanè doctius & uberius continuavit, ut multa quoque *Mynsingeri* suis insereret, nullâ tamen aut observationum, aut nominis ejus in toto suo opere mentione factâ; quod optimus & doctissimus senex quam acerbo doloris sensu ad animum revocaverit, in *praefatione* (14) postmodum editâ non dissimulavit; suo quoque prabans exemplo, quod sapientissimi mortales evitare non poterunt, ut gloriae cupiditatem, & contemptus impatientiam, ex humanis affectibus novissimam exui testarentur. Caeterum, apud Academias *Legem* atque *Rationem* utramque facere paginam in studio Juris, forte minus incredibile & inexpectatum videatur; modo in foro Judicibus & Advocatis hoc dictum remittamus. *Lex & Ratio* summam Theoriae faciant, praxis hac copula nullo modo contenta esse potest, sed auctoritates communesque opiniones non minus ac legem rationemque propone-

(13) Praeter Syntagmata & Thesauros communium Opinionum, *Hieronymus de Caevallos*, ne quid deesset, *Speculum Aureum* edidit *Opinionum Communium contra Communes*.

(14) *Dedicatione* ad Henricum Sax. Archiep. Brem. De *plagio* autem *literario* Jac. Thomasius, Almelovenius, Schwartzius, aliique data opera scripserant.

re sibi debet. Ignoscant tamen quicunque fori porticus frequentant, si nec Advocatos nec Judices aliter rationes inire permitto, quam ut *Legem & Rationem* pro summâ, forte & unicâ patrocinandi judicandique regula admittant; modo per legem non modo Jus Romanum, sed & propria cujusque gentis Statuta vel mores intelligantur. Hoc sibi quilibet Advocatus sciat esse commissum, ac inde fata clientum pendere sibi persuadeat, si exactè pespexerit, in quibus factorum articulis merita causæ vertantur, iisque verba legis rationemque perspicue, distinctè, valide applicet. Nihil inutilius putet, quam multa recensere nomina Doctorum, vel opiniones crepare cummunes; cum nihil sit notius quam ludibrium ejusmodi auctoritatum, si examinentur interque sese conferantur; neque desit qui volumen ingens communes opinionum publico dederit. Notabili relatu est, quod Justinianus in constitutione *Tanta* de conceptione Digestorum narrat, antequam ipse immensa vetusti Juris volumina in compendium redegisset, *voluntate Judicum magis, quam auctoritate Jurisconsultorum*, quorum sententiis antiqui judices adstricti erant, *lites fuisse diremptas.* nec enim habebant in tot millibus librorum, diversisque scribentium sectis, quod sequerentur; aut si haberent semper in aliisque auctoritatibus aderat prætextus, ita ut libitum esset, constituendi. Proinde si hodieque non secundum legem & rationem, sed ex auctoritate Doctorum judicia regerentur, non ea sola, de quibus scribit *Menochius* (15) sed omnis in universum forensi *arbitraria*, & Jus ad instar *philosophiæ* redactum esset, in quâ jam olim super uno quæsito quadringentas esse diversas opiniones celebrium Auctorum non erat insolens, & de qua vetus est proverbium, *facilius inter horologia quam inter philosophos conventurum.* (16) Quot capita tot sententiæ, dictum est æternæ veritatis, & in rebus judicandis vel maximè obtineret, nisi Legis certitudo rationi moderaretur, neque prorsus extrâ terminos sibi præscriptos evagari permitteret. Non ignoramus esse, quæ *consensus Interpretum* contra rationem Legis in usum fori introduxit; at hæc pro legibus aut consuetudinibus pridem invalue-

(15) In tractatu *de Arbitrariis Judicum Quæstionibus.*
(16) Rationem reddit Cicero *lib. II. de Div. cap. 57. seq.*

valuerunt; ideoque non faciunt exceptionem hujus regulæ, quam commendamus, sed ad custodiam ejus executionemque pertinent. haud igitur est ita, ut judices, patronique causarum, minus *lege & ratione* utantur, quam studiosos & Professores facere debere diximus. Non est equidem negandum, quin aliter *theoreticum*, aliter *forense studium* exerceatur, scimus praxin fori duas habere partes, quarum altera consistit in ordine trituràque judiciali, altera in applicatione legum ad singulas factorum species; *pars prior* ab Academico cultu aliena est, solaque memoriæ & observantiæ rigore absolvitur; *altera pars* verè Jurisconsulti officium spectat, eaque *Legis & Rationis* colere debet axioma, nam si praxis est applicatio juris ad facta, legem sine dubio scire Judicem ac Advocatum oportet; applicatio autem quid est aliud quam *Ratio* inter *Legem* factumque interposita, quam demonstrare patronum, Judicem discernere oportet. (17) Atque hujus judicium duæ res inprimis adjuvant, totidemque vehementer turbant. Juvat clara, brevis & distincta facti expositio, præsertim ea parte, ubi momentum decisionis vertitur; consequenter exacta, justa Legis ad eam partem appositio: Turbatur Judex multitudine factorum & narratione confusa atque superfluâ, tum disputatione juris non certâ, determinatâ, verbis sententiâque legis subnixâ; sed rationibus vagis, longe petitis, undique corrasis auctoritatibus, & interpretum testimoniis. Bonus & solers Judex ingenii radiis dispellit has nebulas, perque illud chaos præcipua facti momenta jurisque conclusiones tenet in conspectu, tandemque juxta *Legem* & *Rationem*, amputatis inanibus, falsoque obstantibus, veritatem causæ decidit. Nec dubito, quin si scirent Advocati, quam parva ratio tot nominum allegatorum testimoniorumque citatorum habeatur in Senatu, parcerent inepto labori, seque *legi* & *rationi* diligentius applicarent. Rursus autem monitum volo, non adversari me famæ honorique magnorum hominum, qui tam presso silentio dehonestari viderentur. Non abnuo, cum res postulat, auctoritatem probatorum quorundam Interpretum persuadendis Judicibus usurpari, memini cum & usum reperiret illa cura, sed non suadeo sola nomina ipsorum

(17) Vid. Herm. Vulteius in *Prolegom. Jurisp. Rom.*

librorumque laudari; Ipsa verba, quibus liqueat, eos lege & ratione fuisse subnixos, producenda & ob oculos ponenda puto; ne cordata judici, pondere auctoritatis rationem premere, verum consensu celebrium virorum magis illustrare velle videaris. Minus multos hoc modo citari atque produci posse fatendum est, sed hoc ipsum agebamus, & semper animadverti, illos paucos eo modo exhibitos & inculcatos profuisse magis, quam ingentem numerum, solummodo nominatos & quasi ostentatos. Non ignoramus, esse fora, in quibus scripturæ Advocatorum non merentur laudem, nisi plaustra Doctorum ferant, & tamen his ipsis locis quotquot feliciores acrioresque Patroni sunt, hos fiduciam contentionum suarum in *Lege & Ratione* collocare non semel exploravi. Fuit *Omphalius* (18) celebris Spiræ apud Imperiale Tribunal Advocatus, ubi, si usquam terrarum, celebrantur auctoritates; hunc memini, juniores, qui ad discendam praxin, ipsi se applicuerant, hortari consuevisse, ut in causis agitandis summum maximumque præceptum tenerent, *fundamentum theoreticum* ut bene sibi constaret, eò cuncta referrent, eoque stabilito nihil quod undique corraderent adversarii, morarentur. Quid autem aliud suo more fundamentum ille theoreticum vocavit quam quod à nobis urgetur. *Lex & Ratio?* Cujus gratia vobis nominatum *Frisii Adolescentes* gratulor, quibus aliquando apud summum Patriæ Tribunal, ambigua fata causarum tractare consilium & animus est. Illuc enim si rationali solidaque Legum notitiâ instructi, ex Academiâ vos receperitis, nunquam spe votoque praxeos aureæ feliciter exercendæ destituemini, Trituram viæ forensis, quâ se rabulæ *legis & rationis* inopes unicè merificéque jactant, credite, vobis unius anni, deambulatione cognitam atque perspectam esse futuram. Hoc agite, stultis, ut leges in Academiâ non *deglutiatis*, quod hi faciunt, qui tantum eas memoriæ mandant; sed easdem ratione judicioque *digeratis*. Credite mihi, tales in foro quæruntur ab omnibus, tales fautoribus ac amicis carentes brevi clien-

(18) Quem e tribus *Omphaliis Jacobo Jo. Francisco*, & *Samuele*, Auctor indigitet, plane ignoro. Celeberrimus certe omnium *Jacobus*, Wilhelmo Duci Clivensi a consiliis; seculo XVI exeunte, plurimis ingenii monumentis claruit. Vid. *Melch. Adami* Vitas JCtos. Germ. *p.* 188. *seq.*

clientibus abundant, opibusque ac honoribus augentur. Nam ad vos etiam, *divinæ Cultores Themidos*, five *Eugnomofynes* liber atque fceptrum, ita *Mercurii* quoque *Marfupium* pertinet. Vox enim, fi *Lex & Ratio* fit in fupellectile veftra, fine difficultate confequemini, ut nec marfupii expertes effe videamini. Nam *Eugnomofyne*, Divini *Lex & Ratio*, gerit fceptrum fupra caput Mercurii crumenam oftentantis. Non vos id operam dare velim, quò abjectis fceptro libroque marfupium invadere vobisque vindicare poffitis. Relinquite onus portandi faccos illis, qui *Mercurium* adorant, qui nullius rei quam pecuniæ quærendæ notitiam habent. Vos comparate vosmet ad imperandum his, qui aurum argentumque faciunt; nec enim præfidio bonæ mentis & ope legis atque rationis ullo modo carere poffunt. An vos illud marfupium, quod fublime gerit *Mercurius*, folis turgere nummis arbitramini? Sunt equidem abunde, ficut apparet; fed in angulis atque plicis fcitote latere lites & controverfias, nummorum in dividuas; quas illi affeclæ Mercurii nunquam aliter quam *Eugnomofynes* auxilio, Legis rationisque præfidio folvere & expedire potuerint. Tum Veftrum erit officium *Æquitatis* Candidati, fit uti fceptro atque libro, quemadmodum *bonæ mentis* profeffionem, & quæ habuimus fanctiffima fymbola decet. Non gerit *Eugnomofyne* librum atque marfupium, neque committendum, ut pulcherrimam effigiem ita deformatam velle videamur. Habet ante fe & ob oculos *Mercurium* pecuniofum, neque procul ab fe removet *Marfupii* confpectum; fed in manu tenet librum, in quo fcriptum eft ab uno e facerdotibus ejus, *civilem fapientiam effe rem fanctiffimam, quæ pretio nummario non fit æftimanda nec dehoneftanda*; fcilicet eo modo, *ut in judicio petatur, quod ultro in ingreffu debuerat offerri* * Semper igitur mementote fceptri, quod *æquitas*, quod *Lex & Ratio* præfert, ut ne pecuniam aliter quam falvâ dignitate *bonâque mente* curetis, regimentumque Jurisprudentiæ non magis in appetendis quam contemnendis opibus confiftere in animos inducatis.

* *l. 1. § 5. ff. de Extraord. Cognit.*

DIXI.

ULRICI HUBERI ORATIO, DE PAEDANTISMO,

HABITA,

Cum Rectura Academiæ Tertia sese abdicaret.

Kal. Jun. CIƆIƆCLXXVIII.

FRIEDERICUS Rex Germaniæ & Imperator, qui ab aheneâ sive *rosâ* barbâ celebre cognomen tulit, vir animo fuisse memoratur inprimis Heroico præditus, quemadmodum res ejus per Italiam atque Germaniam gestæ, & constantia adversus iniquas Pontificum usurpationes, egregie testari possunt. (1) Quamvis autem ille totum imperii vitæque suæ spatium in armis belli exegerat, ut jure meliore, quam qui alias hoc nomen meruit, † *filius castrorum* vocari posset, nihilominus erga literatos, hominesque studiosos, liberalem humanissimumque Principem exercuit. Ab hoc affectu prodiit illa nobilis constitutio, quam apud *Roncalias* in campis Placentinis (2) medio fere seculo duodecimo promulgavit.

(1) Ex *Ottone Frisingensi*, *Radevico*, & aliis, fata ista persequuti sunt *Rittershusius*, *Majus*, & *Heumannus*, in singularibus opusculis.

† Caligula apud *Suetonium cap.* 22.

(2) Elegantissimis versibus celeberrimum locum descripsit Friderici aequalis *Guntherus*, *lib. II. Ligurini*, *v*. 35. *seqq*. Saeculi scriptor XII. imperantibus *Henrico V* quem alii *IV*. vocant, *Lothario II. Conrado III.* & *Friderico I.* auctore *Trithemio* de Scriptor. Eccles. p. 269. addes. Fabricium in *Bibl. Lat. Med lib. VII. p.* 519. Neque enim tanti apud me sunt conjecturae Anonymi, in *Parergis Goetting. lib. III sect. VIII. p.* 149. *seqq.* ut suppostitium saeculi XV. foetum illud *Guntheri* opus existimem.

gavit.* Nam ut alia, quæ in istâ Lege continentur, silentio prætereamus, cum antehac ab omni memoriâ, quod ad imperia & jurisdictiones attineret, Ordo literatorum nullo jure præcipuo, sed iisdem cum plebe Magistratibus subjecti fuissent; Friedericus ita sancivit, ut qui studiorum causâ uno loco in Universitatem confluxissent, ne ad aliud quam ad *Domini* (2) sive Rectoris sui, tribunal rerum judicandarum causâ vocarentur. Ratio, quæ Cæsari tam novæ, & à priorum temporum exemplis alienæ, sanctionis constabat, hæc in primis ab ipso memoratur; ut occasio atque facultas hominibus indoctis & insolentibus indigne habendi studiosos efficaci remedio adimeretur. Nam etsi magnanimus ille Princeps Eruditos eximio affectu laudibusque decoris prosequitur, haud tamen dissimulas, apud vulgus profanum eos non tolerabili contemptu odioque fuisse agitatos. Nec dubitandum, quin huic injuriæ multò magis obnoxii fuissent, si omni die ab importunis hominibus ad promiscua tribunalia litesque trahi potuissent. Enimvero, quamquam de patriæ nostræ Magistratibus, incolarumque ingenio, nihil sit quod conqueramini, *Juvenes Ornatissimi*, si tamen ita juris in nostrâ Academiâ esset, ut omnibus recuperatoriis & fiscalibus judiciis, coram oppidanis Rectoribus obligari possetis; credo vos ipsos facile existimare, quam non eâdem atque jam experimini, lenitate & indulgentiâ, salvo publicæ disciplinæ vigore, in illorum dicasteriis consisteretis. Mihi profecto doctrinæ studiorumque cognitionem reputanti, nihil indignius & inimicius illis occurrit, quam ut hi, quos Musarum diliciis innutritos, eorumque secretis abditos esse oportebat, fori turbamentis & rabularum clamoribus immisceantur. Quapropter rem, nisi fallor, gravitate sapientiâque suâ dignissimam facere Proceres, quod cum hanc Almam in civitate procul à motu uni-

* *Authent Habita C. ne fil. pro Patre*; quam vero post alios illustravit Corn van Eck in *Vind. Jur Acad Franeq.* 1688.

(3) Vid Guido Panzirollus *de Clar. Leg. Interpp. lib. I. cap. 86.* In Glossis Latino-Gr *Juri consulti*, *νομοδιδάσκαλοι τῶν νόμων*. Ita Cardinalis Hostiensis praeceptorem suum Azonem vocat *Dominum* suum, *Comm. in cap. 1. X. de Testam. num. 1.* De jurisdictione vero Academiae Bononiensis, Criminali pariter ac Civili, modo adempta, modo restituta, vid. laudatus Panzirollus *lib. II. cap. 35.* ex Odofredo in *d. Auth. Habita & in fin. proœm. Pand.*

universæ Reipublicæ, strepituque magni fori, stabilirent; Professores studiososque ne hujus quidem urbis magistratibus subjectos esse voluere; sed imperium & jurisdictionem adeò puram atque sinceram Academiæ seorsim constituerunt, ut aliam in vicinis regionibus parem ullam extare vix adfirmaverim.(5) Denique, non tantum eò conducit hoc institutum, quod studiosi in tuto & in tranquillo hac via collocentur; sed aliquid etiam, nisi me fallit opinio, dignitatis id Ordini nostro conciliat, quod non modo literis elegantisque ornatus, sed etiam Legibus & potestatis publicæ præsidio armatus, conspiciatur. Hoc enim ejusmodi est, ut prætextum iniqui scommatis, quo literati, *Scholasticorum*, & nescio quo *Pædantarum* nomine, vulgò traducuntur, haud parum infringere videatur. Nam *Pædantismus* ille, quo titulo doctrinæ professionem honestare volunt, ab auctoritate magistratuum & potestate judiciorum, quâ circumdatus est Ordo noster, etiam vulgi judicio penitus abhorret. Nec temerè quicquam ægrius inimici literatorum ferunt, quam quod in hujus amplissimi juris possessione à Summis Potestatibus *Academiæ* defenduntur atque vindicantur. (6) Etenim ita clam palam præ se ferunt acuti Censores, jurisdictionem publicique vim imperii res ejusmodi esse, quæ non bene sedeant humeris Pædagogorum. Venit mihi in mentem, *Auditores*, cum hac hora sceptrum Academicum in successorem transferendum sit, de re, quam volunt à jure Magistratuum esse tam alienam ex hoc loco verba facere. Quânam adeo de re, dicet aliquis vestrum, nunquid de *Pædantismo?* Ita consilium erat, si bona cum veniá salváque hujus loci majestate liceat, orationemque sic attemperare queam, ut nihil inepti, sed utilem jucundamque dicendi materiam elegisse videamur. Verum, quod aliàs in proverbio fertur, *dimidium facti, qui bene cœpit habet*; id in præsenti causâ verissimum experimento videor

(5) In *Civilibus* scil. non in *Criminalibus*, hoc enim supremo jure una gaudet *Leidensis*, Lovaniensem imitata.

(6) Unam exipimus *Trajectinam*, consilio tam provido institutam, ut Professores omnibus studiorum praemiis honoratos sese, molestia vero forensi penitur liberatos, jure gloriari possint. Vid. Corn. van Eck, in *Orat. de Relig. & Hist. Vete. Ictis. p. 46. seq.*

videor inventurus; ut adeo bonum initium definitionemque *Pædantiſmi* magno comparatam vellem. Nam principii dubium me facit haud adeo copia dicendorum, quæ perplexum reddere queat oratorem, quam cœca fere ignorantia; & quod adhuc mihi non conſtet, an detur omnino *Pædantiſmus* in mundo, vel quid hac appellatione ab his, quibus omni die verſatur in ore, ſignificetur: Id enim à nemine mihi plane atque diſerte unquam memini fuiſſe explicatum. Niſi quod hoc ſatis abundeque apparet, in contumeliam doctrinæ, hominumque eruditorum, trahi interpretationem, adeo tamen lubricam & incertam, ut qui hoc vocabulo, ſe nobis ægre facere putant, ipſi nullam expedire poſſe videantur. Mirificam oportet orationem expectetis, *Auditores*, ab homine, qui totum genus ejus cauſæ, de quà dicere ingreſſus eſt, ignorare ſe fateatur; imo ipſum pene vocabulum, quod nec *Græcum*, nec *Latinum*, neque *barbarum*, ſed origine Grajû & flexione degenerante, dubii generis eſſe vult, exemplo hubridarum. At tamen de verbo non uſque adeo ſolliciti eſſemus, modò rem ipſam finire in integro & in facili eſſet. Dantur equidem ejuſmodi res, de quibus Ariſtotelem dixiſſe accepimus, (7) *οὐ δεῖ παντὸς ὅρον ζητεῖν*, *non omnium rerum quærendæ ſunt* do-

(7) *Tria* hic *συνώνυμα fere vocabula* diſtinguimus. *Primum* eſt *Pedantas*, originis ut videtur Longobardicae, uſusque plebeii, forte ἀπὸ τῶ παιδὸς inflexum, pro *paedagogo*. Menagius in *Etymol. Ling. Gall. h. v.* Deinde vero latius acceptum pro *Magiſtro artium*, ſed indocto & arroganti. Paſquier *Recherch. de France*, *lib. VIII. cap. 3. med.* Denique; ab augeſcente ſemidoctorum turba, pro quovis ſcientiarum theoreticarum cultore, *ſavantem* enim & *pedantem* eodem loco habent idiotae, quos vulgo *gallantes homines* vocant. Mich Montaigne, *lib. I. cap.* 24. *Alterum* eſt vocabulum *Scholaſtici*, pro grammatices olim & rhetorices ſtudioſo, apud Petronium *cap.* 6. 39. 61. & paſſim apud Senecam patrem, Gellium, Quintilianum, Plinium, alios. Deinde & pro philoſophiae, aliarumque artium cultore, ac profeſſore. Quintilianus *de Cauſ. corr. eloq. cap.* 35 *&* 42. Plinius *lib. II. epiſt.* 3. Suetonius *de Clar. Rhet. cap ult.* Denique in convitium haec adpellatio degeneravit, ubi jam faſtidite conſulta, & ad mera nugamenta coepiſſent deflectere, auctore. Quintiliano *de cauſ. corr. eloq. cap.* 32. *ſeqq.* qua de re & Petronius conqueritur, *initio ſatirici.* Vid. Prarlonius in *praef. Facetiarum Hieroclis.* De Theologis vero vulgo dictis Scholaſticis peculiari opera commentatus eſt *Adamus Tribechovius*, praefatione auctus Cl. Heumanni. Conferſis du Cangii *Gloſſarium med. & inf. lat. h. v.* *Tertium* denique *vulpeculae ſcholaſticae* vernaculam nomen eſt, pro linguarum artiumque liberalium, publico magiſtro, *ceu* *Schola-*

definitiones (*), & *Pædantismi* tam variæ species, tam *διὰ δὶς πασῶν*, ut ajunt Musici, ab se invicem distantes usurpantur, ut sub unum genus differentiamque specialem nullo acumine dialectico redigi posse videantur. Quapropter nihil potius quod agamus esse video, quam ut sensa usuſque diversos hujus convitii, quo studiosi nobilitamur, quatenus memoriæ nostræ occurrent, excutiamus, primoque adeo tractemus, *quid non sit Pædantismus*? & deinceps, an *aliquid certi*, in quo pedem figere liceat, & redundaturum inde sit, expectemus; quodque eveniet, id omne sedulo in rem nostram vertamus. *Primò* omnium satis id arbitror esse notum, apud scurras urbanos, hominesque malignè in-

Scholves. Quum enim e Graecis, Barbarisve, ad fidem conversi, sub Constantino in primis, ac deinceps, habitu uterentur Romano, capillis refectis, & barba rasa, communis tum Christianorum omnium *toga* erat; donec saeculo VI. barbaris rerum potientibus, propria fieret *clericorum*, potissimum in Occidente. Thomassinus *de vet. et nov. Eccles. discipl. pars. II. lib. I. cap.* 20. *seqq.* Ceterum exorti hac aetate *Benedictini* Gothorum in Italia tunc dominantium, moxque Longobardorum, vulgarem adoptare vestitum maluerunt, strictiorem nempe ac breviorem una cum *cappa*; quo factum est, ut Episcopi ceterique sacerdotes, modestiae monachalis exemplo, Romanam togam cum *talari* Barbarorum tunica commutarent. Habitus, vero isti, veterum Germanorum instituto, apud Tacitum *de Mor. Germ. cap.* 17. ferarum *pellibus* erant suffulti, latis manicis, cappisque humeros pectusque circum obtegentibus. Ecquis enim *pellitos* Gothos. Francos eorumque Reges ignorat? Vid. Interpretes ad Rutilium *lib. II. vs.* 49. Claudianum *lib. I. in Ruf. vs.* 78. *seqq.* & Sid. Apollinarem *lib. I. epist.* 2. Antiqui ritus vestigia in talaribus mitrisque Electorum, consutis intus hermelinis, videre est, qua de re post alios Ludewigius *de form. Duc. Brand. Sect. IX. p.* 157. *tom. I. Opusc. Miscell.* cui addes. du Cangium in *Gloss. voc. Hermel.* & Menagium in *Etym. Ling. Gall. h. v.* A Sacerdotibus deinde & Monachis saeculo XII. in Academias & Gymnasia idem ornatus transiit. Relicta vero coenobitis *cucullu*, ejus loco *birretum*, sive pileum a talari distinctum, rotundum, vel quadratum, substituerunt, fultura *pellicea* in humeros demissa. Quae origo insignium doctoralium fuit, observante Panzirollo, *lib. II. de Clar. Leg. Interpp. cap.* 12. Ceterum fulturae istae plerumque e pellibus erant *vulpinis* confectae, quo fere habitu Hungaros uti videmus, & superiore saeculo, ineunte togati tantum non omnes incedebant, velut publicae istius temporis imagines testantur. Mirum itaque videri non debet, Doctoribus Scholasticis istud a *vulpe* cognomen haesisse; uti nempe ab aulicis a sacerdotibus, ceterisque togatis, diversi noscerentur; quos alioquin eadem pellicea, nullo suo merito, Doctorum ordini insertura videbantur. Jocularia hanc in rem plurima congessit Dornavius in *Theat. Sap. Socr. tom. I. p.* 540. *seqq.* e variorum *de Vulpecula Scholastica* ludicris dissertationibus.

(*) Lib. I. Top. cap. 4. & passim in seqq. Vid. Fr. Hotmanus in *Dial. Iur. lib. I. cap.* 20. & Jac. Gothofr. *ad l.* 202. *D. de R. I.*

indoctos, omne genus doctrinæ, artisque studiorum, per contemptum hac ipsa *Pædantismi* appellatione traduci. (8) Nam sic illi opinantur, aut videri volunt: disciplinâ eruditionis cultuque literario emolliri atque resolvi hominum ingenia, reddique inepta, non modò ad rei militaris patientiam, sed etiam ad Rempubl. gerendam, aliaque negotia in societate civili administranda, quâ quidem in re potissimum naturam *Pædantismi* constituere videntur, etsi plures velint esse notas ejus & characteres. *Atheniensium* civitatem, quæ commune fuit eruditionis domicilium, ab eo tempore, quo clarissimis Philosophorum Rhetorumque ingeniis effloruit, imperium amisisse; denique ad interitum suum magnis passibus ruisse commemorant. *Romanos* etiam multò fuisse bellicosiores, antequam Græcæ artes inter eos doceri inceperint; ideoque *Catonem* illum *Priscum* vehementer improbasse ferunt, quod antiqui mores illis institutionibus corrumpi videbantur. (†) Salutem attulit plerisque per Italiam & reliquum occidentem *bibliothecis*, cum hæc pars Imperii à Gothis vastaretur, quod inter hos barbaros quidam prudentiæ opinionem apud suos consecuti adfirmabant, relinquenda esse hæc *otii instrumenta* devictis populis, ut inter libros desidentes arma oblivíscerentur & jugum patientius ferrent. Sed in his resellendis non est quod magnopere desudemus, cum fere communi generis humani, partis saltem melioris, consensu damnata sit hæc opinio, nec animus est in laudes doctrinæ, quo nihil esset proclivius, evagari. Testis mihi sit idem ille *Cato Censorius*, qui cum temere, quod non intelligebat, damnasset, deinceps adeò mutatus est consilii atque sententiæ, ut eum *literas Græcas* in ipsa senectute discere non piguerit, (*) non equidem *elementa sermonis*, aut linguam Græcorum, ut vulgo perperam intelligunt; quippe cujus usus ei jam pridem, qui bellum in Græcia administraverat, notus & familiaris fuerat; sed *literas studiorum*, quas Romani Græcas vocabant,

(8) Ita Mich. Montanus *d. lib. I. cap.* 24. quod *de Paedantismo* inscribitur. Conf. Agrippa *de Vanit. Scient. cap* 1. 3. & 100.

† Plutarchus in *El. vir.* quem illustrat. Pag. Gaudentius *de Philos. Rom. cap.* 10.

* Cicero in *Cat. Mai. cap* 1. & 8. Quintil. *lib. XII. cap.* 11. Val. Max. *lib. VIII. cap.* 7. *init.*

bant, omnesque eas artes, ex quibus eloquentiæ disciplina, cujus facultas Catoni præcipua fuit, redundat & exuberat. Jam quod ad veteres Græcorum atque Romanorum Respublicas attinet, earum inclinationis & interitus causam, quis nescit aliunde multo, quam à studio bonarum artium esse repetendam? *Atheniensium* vires tum conciderunt, quando *in segnitiam torporemque resoluti, non, ut olim, in classem exercitusque, sed in dies festos apparatusque ludorum, reditus publicos effundebant*, quemadmodum ex Trogo pompejo Justinus (9) observavit. De *Romanis* nota est Sallustii Crispi auctoritas, qui fortunam ejus populi cum moribus immutatam esse docet; *ubi pro labore desidia, pro continentia & æquitate libido atque superbia invasere; postquam primo pecuniæ, dein imperii cupido* creverat in immensum: *Tunc enim fidem, probitatem, cæterasque bonas artes esse subversas; illam quasi materiem*, omnium *malorum fuisse*. (10) Tantum igitur abest, ut doctrinæ studia quicquam ad infringendas istorum populorum vires contulerint, ut nullâ meliore viâ, quæ mala memoravimus, averti ac emendari potuerint, nisi major fuisset temporum labes, quam ut sapientia præceptis reparari & in pristinum statum restitui possent. Succedat igitur alia modestior & speciosior *Pædantismi* interpretatio, quâ *Principes & Magnates* hujus vitii arguuntur, qui non contenti studiis literarum leviter tingi, etiam penitus illis imbui, aliisque in earum notitia præcellere gaudent. De *Hadriano* Imperatore proditum est in historiâ, cum ejus industria impensius ad Græca studia declinaret, eum vulgo *Scholasticum*, & *Græculum* fuisse appellatum (11) denique Patrum nostrorum memoriâ, quid de *Jacobo* Magnæ Britaniæ rege, studiorum professione inclyto, senserint prudentiores, neminem vestrum opinor esse, qui non intellexerit. (12) Unde parum abest, quin solidior, adeoque verior sit *Ludovici* XI. Galliarum Regis sententia, qui, ut ipse na-

(9) *Lib. VI. cap. ult.* & Plutarchus, *de Gloria Atheniens.*
(10) *Bello Catil. cap. 2. ibiq. Grasw. & Rup.*
(11) Spartianus in *Adr cap 1. 14. seqq.* Ceterum *Scholasticus*, non Adrianus, sed Maximinus filius, laudatur Jul. Capitol. in *Maximi Jun. cap. 3. & 1.*
(12) Hunc enim Henricus IV. *le Maitre Jaque*, & alii *Regem Pedantam* vocarunt. Vid. Becmannus in *Hist.* Orb. Terr. part *II. cap. IV.* § 10. & Bayle in *Dict. Crit. voc. Puteanus, tom. III. fin.* ubi de audacissima Scioppii in Jacobum satira.

naturali præditus solertia insigni, curâ studiorum parum erat excultus, ita filium iisdem disciplinis erudiri vetuit, nihilque Latinitatis quam unicum illud & decantatum carmen, *qui nescit simulare nescit regnare*, percipi ab adolescente voluit. (13) Ad has ratiunculas & exempla facilis est responsio: Nam *Hadrianus* vivo dein exemplo vanitatem illius convitii notabiliter redarguit, cum omnes ferme suos antecessores, si *Julium* Dictatorem eximas, magnitudine expeditionum, alacritate in armis, laborumque patientia superaverit. *Jacobus* ille noster *Britannus*, sanè ab armorum studio perquam alienus fuit, tametsi res & tempus ejus aliud flagitabant; at nemo, cui secreta illius Principis innotuere, dubitabit, quin hæc & alia non pauca mali commatis ei a propria natura, postremo quoque dominationis licentia convulsa, & ab adulatoribus corruptâ hæserint, nihilque sit quod eruditioni hac gratiâ imputandum videatur. De *Ludovico*, ejusque *filio*, quorum alter Regum malitiosissimus, alter infantissimus erat, dicere supersedeo. (14) At in promptu sunt mihi exempla multo quidem clariora Principum, qui summis oratoribus & philosophis æmuli maximam bellicæ fortitudinis gloriam sunt consecuti. Quin omnes fere Græcorum & Romanorum duces utraque laude pariter floruerunt, quorum mihi non licet heic recensere catalogum; at unum *Epaminondam* tacitus nullo modo præterire possum, qui cum ad summam philosophiæ scientiam exercitatione non minus quam disciplina pervenisset, rei tamen militaris peritia vix ullum habuit superiorem. Hic est ille, qui incultam atque contemptam Thebanorum gentem, cum prius vilissima pars Græcorum fuissent, ad principatum nationis, magnitudine victoriarum evexit, & inveteratam Spartanorum gloriam, superstite etiamnum *Agesilao*, rebus gestis magnificentissimis obliteravit, evertit, obtrivit. (15) Ex ejus domo prodiit *Philippus Macedo*, cui nihil æquè ad incrementa egregiæ indolis & secutæ magnitudinis profuit, quàm quod Thebis per trien-

 nium

(13) Ex Cominaeo, Aemilio, aliisque, omnia prolixe persequitur Baylius, in *d. tom. III. voc. Louis XI.*

(14) Bayle *d. l. in Louis XI.* & Becmann. in *Hist. Tetr. part. II. cap. III.* § 4.

(15) Corn. Nepos in *Epam. cap. 2. 7. ult.*

nium obses habitus, prima pueritiæ rudimenta in urbe severitatis antiquæ, & in domo ejus, quem diximus, summi & philosophi & Imperatoris deposuit. (16) De *Alexandro* autem ejus filio quid est notius, quàm eum sapientiæ doctrinæque notitiam majori gloriæ sibi quam omnia fortunæ ornamenta, quam totius orbis Imperium reputasse, nec ideò illum à rebus gerendis non modo esse retardatum, sed adjutum maximè & inflammatum fuisse, ut ipse nunquam dissimulavit. (17) de *Julio Cæsare*, qui ut ætate, sic peritia studiorum superavit Alexandrum, nihil addam; nisi quod ex interpretatione *statuæ*, quæ olim ad imaginem ejus extitit, intelligi potest, quæ alterá manu gladium, alterâ librum tenebat, cum elogio; *ex utroque Cæsar.* (18) Nec mirabitur è libro Cæsarem extitisse, qui *Luculli* audiverit exemplum. Electus erat Imperator ille contra duos orientis potentissimos Reges Mithridatem atque Tigranem. Ingressus est navem rei militaris adhuc imperitus, duntaxat ut tanti motus bellum administraturus: navigationis ille totum tempus in libris orsus est atque consumsit, eo fructu, ut perfectus Imperator è navi exiret, summumque Ducem continuò præstaret. (19) Quare finiamus hunc locum *Alphonsi Regis* eruditissimi dicto; qui boves esse non homines, ajebat, quicunque Regum principumque dignitatem scientia literarum dehonestari putabant. (20) Superest igitur, si obtinere non possunt studiorum obtrectatores, doctrinam Principum simpliciter esse *Pædantismum*; saltem ut in Doctores atque magistros, qui hoc unum agunt, nec aliud quicquam profitentur, hæc appellatio conveniat: verum si per contemptum illud nomen, quemadmodum fit, honestarum artium doctoribus adscribitur, quâ ratione probari possit, ut qui saluberrimum institutum in societate humaná exercent, contumeliæ causá demonstrarentur? *Plinius Secundus* non fuit Professor, sed

(16) Justinus *lib. VII. cap* 5.

(17) Vid. citati a Freinshemio in *Suppl. Z. Curtii, lib. I. cap.* 3. *&* 4.

(18) Suetonius in *Ei. vit cap.* 55. *&* 56, *ibiq. Interpp.* addes Plutarchum in *Cæsare*.

(19) Plutarchus in *Lucullo.*

(20) E. *Mariana*, aliisque, Alphonsi singularia decerpsit Bayle in *Dict. voc. Castil. lit. K.*

ſed Conſul, atque Proconſul Romanus, & tamen invidendis laudibus cumulat *Iſæum*, qui annum ſexageſimum exceſſerat, & adhuc Scholaſticus tantum erat, diebus & noctibus nihil aliud agens, nihil loquens, nihil audiens; quo nomine vir ſummus eum non modò, doctiſſimum ſed etiam beatiſſimum prædicabat. (21) Verum ratio, cur illi profeſſionem doctrinæ *Pædantiſmum* eſſe velint, hæc imprimis reddi ſolet, quod qui docendis artibus ſe dedunt, qui libris indeſinenter incumbunt, nihil aliud audiunt, nihil vident, ad res civiles gerendas inhabiles & inidonei fiant. Quanquam juſta erat reſponſio, nullam inde contemptus aut reprehenſionis cauſam hominibus à tritura forenſi remotis imputari poſſe, malo tamen rectà prius cum Æliano (22) reſpondere; qui ad hanc ipſam objectionem, Εἴ τις ὖν ἀπράκτυς λέγει τὺς φιλοσόφυς, ἀλλ' εὐήθη γε αὐτὺ ϗ ἀνόητα ταῦτα; *ſi quis*, inquit, *Philoſophos*, hoc eſt, *Doctrinæ Profeſſores, rerum agendarum eſſe dicat imperitos, næ is imprudentiam atque ſtultitiam ipſe ſuam declarat.* in cujus rei fidem multa ex omni antiquitate refert exempla doctorum ſapientiæ, qui non modo Reſpubl. egregiè, dum viverent, gubernarunt, ſed etiam ſaluberrimis legibus earum perpetuitati conſuluerunt. Quid enim aliud Zaleucus, Charondas, Archytas, Thales, Bias, Chilon, Pittacus, Cleobulus, & Anaximander fuere, quam Profeſſores doctrinæ, iidemque Rectores civitatum, & legumlatores feliciſſimi. (23) Nec alius fuit *Xenophon*, dux illorum decem millium, quorum expeditio adhuc inter miracula rei militaris habetur, habebiturque ſemper. (24) *Plato* autem quid in actione civili poſſet, in ſuâ quidem Republicâ noluit oſtendere, quippe quam juſtiſſimus Ariſtides συχνῆς ἀδικίας δεομένην, *multa egentem injuſtitiâ*, teſtabatur. Sed Platonis auctoritate præceptiſque *Dion Syracuſanus* impotentem Dionyſii tyrannidem evertit, neque per Platonem ſtetit, quo minus optimi & duraturi ſtatus conditor fuiſſet, ſi monita Præceptoris Dion cuſtodire potuiſſet. (25) At illa quidem laus ſervata *Timoleonti*, qui ex viginti anno-

(21) *lib. II. Epiſt.* 3.
(22) *lib. III. cap.* 17.
(23) Aelianus *d. lib. III. cap.* 17.
(24) Idem *d. l. & lib. VII. cap.* 14. Vid. ipſe Xenoph. in *Cyro Jun.*
(25) Corn. Nepos in *Dione, cap.* add. Aelianum *lib. II. cap.* 42. & Plutarchum in *Ariſtide.*

annorum secessu literario, præfectus exercitui Siciliam immanibus tyrannis purgavit, & ex afflictâ perditaque Rempublicam post se florentissimam reliquit. (26) Quin ipse *Plato* impigrè militia functus est in oppugnatione Tanagræ atque Corinthi (27) ipsum denique *Socratem* tribus vicibus in bellum esse profectum contra Delum, Amphipolin, & Potidæam, idem Ælianus testatur. (28) Quis denique Aristidem, Periclem, Demetrium Phaleræum, Phocionem, summos fuisse nescit philosophos, & simul Imperatores, Reique publicæ gubernatores? (29) Proinde non est, opinor, quod eorum refellam cavillationes, qui ut Theologos, & Jurisconsultos, atque Medicos, *Pædantarum* numero eximi concedant, *Philosophos* tamen hoc nomine peculiariter designare solent, in quo totus est ubique Scepticorum ille princeps Samosatenus Rhetor *Lucianus*.(30)Quin etiam superiore seculo Thales ille Gallicus, quem Lipsius appellat, *Michael Montanus*, suo tempore pro exemplo & synonymia *Pædantismi* narrat usurpatum fuisse *Magisterii* titulum, ut idem esset, inquam, Magistri, atque Pædantæ cognomen. (31) Unde prudenter non ita pridem philosophi nostrates *Magistri* nomen titulo *Doctoris philosophiæ* magno consensu tegere & illustrare voluerunt: nam illud Magistri ψιλὸν, nudum nimis & tritum vulgatumque evaserat; quod admodum vereor, ne non aliquando ipsis *Doctoribus* eveniat, ut horum quoque vilitas novo tituli conmento detergenda videatur. (32) Mundus regitur opinionibus, & hæ nominibus magis, quam rerum differentiis afficiuntur, maxime in honoris reputationibus. Hoc jam olim ita visum *Leonidæ* Alexandri Magni Ephoro; qui, cum antea Regalium puerorum præceptores *Pædagogi* appellarentur, noluit hoc nomine jam trito nimis salutari, φεύγων, ait Plutarchus,

(26) Idem in *hui. vit. cap.* 2. *seq.*
(27) Aelianus *lib VII. cap.* 14.
(28) Aelianus *d. lib. III. cap.* 17.
(29) Idem Auctor *citatis locis.*
(30) In *Nigrino*, & *de Jud. Vocal. tom.* 1 *p.* 21. *seqq. ed. Bened.*
(31) *d. lib.* 1. *cap.* 24 addes. Menckenii Charlataneriam, in *progr. de dignis. Magistri Lipsiensis.*
(32) Vid. Car. And. Heegius in *Diss. de Titulomania Erudit.* & Menckenii Charlataneria *decl.* 1.

tarchus, *τὸ τῆς παιδαγωγίας ὄνομα, καλὸν ἔργον ἐχούσης καὶ λαμπρὸν*, licet illud nomen rem pulchram & illustrem contineat; *ἀλλὰ τροφεὺς Ἀλεξάνδρου καὶ καθηγητὴς*, *Altor & Præceptor Principis*, *ἀπὸ τὸ ἀξίωμα*, ob dignitatis reputationem apud vulgus, appellari voluit. (33) Cæterum, non expectabitis à me *Auditores Ornatissimi*, ut probem, Philosophiam nihilo magis contemptui esse debere, quam reliquas studiorum facultates, id enim ex iis, quæ modò de variis *Philosophiæ* Professoribus adducta sunt, abunde præstitimus. Una pars haud ignobilis doctrinæ studiorum superest, cui vehemens *Pædantismi* controversia propriis rationibus movetur, *Philologia*, quatenus hæc inprimis *ἀκρίβειαν Grammaticam* custodit, & ab aliis servari postulat. Cum enim ea circa res minutas versari, & cura curiosa verborum à rebus agendis perquam aliena videatur, nulla pars eruditionis ad ingenium *Pædantismi*, sicut eum vulgò concipiunt, propius accedere creditur. (34) Quin nec ipsi aliarum Facultatum Professores parum huc conferre videntur, quando exactioris literaturæ sæpe minus solliciti, & à *Criticis* reprehensi ægrè ferunt errores sibi pueriles objici, atque adeo vel ipsi principes, philologis notam *Pædagogorum* adscribere gaudent. (35) Sed tamen iniqua est hæc obtrectatio, virisque de genere humano præclare meritis indigna. Nisi enim per hos fuisset, etiamnum mera barbaries orbem Christianum obsideret, eandemque doctrinæ conditionem haberemus, qualem ante renatas literas in omni genere studiorum fuisse accepimus. (36) *Theologi* adhuc Thomistis aut nescio quibus Lombardinis forent similes; *Jureconsulti* nihil quam Accursiani, aut Bartolistæ; *Medici* rudes omnis elegantiæ Empirici; *Philosophia* adhuc illas horridas & incultas notiones, quibus olim referta fuit, eructaret. Nunc omnes disciplinæ humanioris literaturæ beneficio ad simplicitatem nito-

(33) Plutarchus in *Alexandro*.

(34) Menckenii Charlataneria *declam.* Sec. Werenfels *de Logomach. Erud. cap.* 1. Janus *de Doctor. Umbras.* § 11 *seqq.*

(35) De *Realium* & *Nominalium* inter veteres Scholasticos distinctione post alios agit Tribechorius *de Doctor. Schol. cap* 5 § 4

(36) Vid Mureti & Graevii Orationes *pro literis*; Burmanni *pro Literatoribus & Grammaticis*; item in *Studia Humanitatis*. Ejusdem fere argumenti sunt Perizonii, Hambergeri, Schrammii, & Cl. Drakenborgii Dissertationes *de Utilitate Literarum Humaniorum in gravioribus disciplinis.*

remque veterum pene redacta, novoque cultu & ornatu cohonestatæ sunt. (37) Quin, aut ego fallor, aut qui philologicis artibus excellunt, longè altius suprà *Pedantismi* contemptum evehuntur, quam plerique superiorum, quæ dicuntur, Facultatum Doctores: Nam qui Erasmos, Scaligeros, Salmasios, ne reliquos enumerem, nihil quam *Pædantas* fuisse contenderet, næ is justissimo gravissimoque literati orbis convitio exploderetur. Excelsius & admirabilius aliquid in ejusmodi nominum auditu intelligitur, quàm quod vulgaris doctrinæ laudibus æquipa rari possit. (38) Ego verò nec ipsos *inferiorum Scholarum magistros* per contemptum ullo modo *Pædantas* appellari patior. Ecquid enim, malum! meriti sunt homines utilissimam societati humanæ operam incredibili cum labore navantes, ut contumeliæ & insectandi causâ fas sit eos nominari? (39) Atque ita jam hactenus per omnia disciplinarum genera vagati, nihil invenimus, quod hominibus sanâ mente præditis putido ineptoque *Pædantismi* nomine dignum videri posset. Enimvero non possum existimare apud homines prudentiam adseverantes majoris pretii futurum esse, quod ego plerisque potentibus in causâ haberi puto, quum *doctrinæ professionem* hac voce dehonestare soleant. Fere enim ita ratiocinantur: Doctores studiorum utcunque regulas & præcepta de omnibus belli pacisque negotiis tradant, ipsos tamen nihil in Republica, nihil domi militiæve posse, nisi artibus uti velint, quæ gravitati professionis eorum minus conveniant, quanquam & his ipsis raro difficulterque se applicare soleant. Ad hanc *objectionem* nihil respondebo, sed nar-

(37) Verum tamen neque ornamenta studiis ipsis, aut verba rebus anteferenda magis quam equo phalerae, aut fimbria vestimento mentem meam ea de re explicui, tum in *praef. Lection. Jur. Civ.* tum in *Orat. Inaug. Trai. pro Glossatoribus*. Conf. Jo. Barclaius in *Euphorm. part. I. p.* 89. *seqq. ed. in* 12.

(38) De Erasmo vid. Bayle in *Dict. Crit v. Erasme* De I C. Scaligero Idem *d. l. & Scaligerana, p.* 140. *seq.* De Josepho Scaligero Teissierius in *Addit. ad Elogia Eruditor. tom. I. p.* 145 *& tom. III p.* 96. Denique de Salmasio Menagius in *Anti-Baill. sub init.* Conf Stollii *Historia Liter. part. I. cap. III.* §. 18 *p.* 164. *seqq.*

(39) Quum enim ipsae & *literae* & *linguae* ab ista sint labe immunes, professio earum ut itidem immunis sit necesse est. An vero unum forte *aetatis* discipulorum discrimen, Scholasticos magis doctores, quam academicos, probroso *Paedantarum* consocia choro? Hac sane ratione non Theologi solum catechizantes, sed ipsi omnino parentes, ante alios digni turpissimo hoc convitio viderentur.

narrabo vobis hiſtoriam ex Æliano, (40) quæ ſic habet: *Timotheus* Cononis filius dux Athenienſium, cum maxime ſecundo rerum ſucceſſu floreret, patriamque crebris victoriis auctam plurimum illuſtraret, ideoque omnia in Republ. ferè pro arbitrio regeret, vixque ſcirent Athenienſes, quo eum honore potiſſimum dignarentur; cum ita in hominum oculis & admiratione verſaretur, incidit aliquando in *Platonem*, extra mœnia cum quibusdam diſcipulis & ambulantem. Hunc primò Timotheus gravitate aſpectus vultuque venerabilem ſuſpicere cœpit; at cum diſſerentem audiret de *virtute*, *veraque felicitate*, abreptus admiratione rerum pulcherrimarum, non potuit ſe continere, quin exclamaret ὦ τοῦ βίου καὶ τῆς ὄντως εὐδαιμονίας; *O vitam veramque beatitudinem*, & ad ſuos converſus, nos, inquit, res magnas tractare nobis videmur, quando de ſupplementis, & de triremibus, de pecuniarum contributionibus, de expeditionibus nauticis & terreſtribus, denique de honoribus & Magiſtratibus diſtribuendis, in Senatu, vel apud populum agimus; ἀλλὰ φλήναφοι οὗτοι; ſed nugæ ſunt iſtæ ac ineptiæ, ὕθλος πολὺς, præ his quibus ille divinus Ariſtonis filius ſuos auditores beat. O nimium igitur felices ſtudioſi homines, ſua ſi bona norint, iiſque generoſe utantur & inſiſtant! dicamus hoc jam audacter, non domeſtici ſed tantum non adverſarii auctoritate teſtimonii fidentes. Jam ſi defectus potentiæ nullum *Pædantiſmo* prætextum dare poteſt, multò minus apud homines cordatos id efficiet illa, quæ in doctiſſimis hominibus fere deprehenditur, *externi motus & moris ἀπειροκαλία*, quâ inter aulicos & exacti ſeculi homines ſæpe conſpiciendos & prope deridendos ſe boni & docti viri præbent. Ne ad hanc quidem difficultatem meas rationes apponam; Sed referam quod *Michaël Montanus* de *Adriano Turnebo*, homine politiorum ſcientiâ ſuo atque poſtero tempore maximo, commemorat (41) *cum hujus*, inquit, *ingenium explorare vellem, an & ei contigiſſet, quod de hominibus nimium doctis aliquando intellexeram; ut alienis cerebris inſueſcentes ſuum amittant, nihilque niſi obſoleta ſapiant, datâ operâ deduxi hominem in ejuſmodi ſermones, qui á profeſſione ſtudiorum ejus penitus abhorrebant.*

(40) *lib. II. cap.* 10.
(41) *d. lib. I. cap.* 24.

Sed repperi, inquit, *ingenium adeò expromptum atque politum*, *judicii tam exacti memoriam*, *ut omni vitæ suæ tempore*, *nihil aliud quam id de quo identidem loquebamur*, *egisse videretur*. Duntaxat una res, ait *Montanus*, evidenter ei deerat, *quod situm pallii*, *habitumque corporis atque gestum*, *ad modum aulicæ conversationis nullo modo formare posset*; *quæ profectò*, ait idem Gallus, *sunt res nullius pretii atque momenti*. quod velim observent, qui hodiè pro Pædantis habent eos, qui cultu fœmineo mollescere, qui commodè saltare, comam fictitiam in gradus frangere, ad compositum modum ambulare, vocemque ad blanditias extenuare non didicerunt. Sciant, sapientes ea non modo flocci facere, sed & noxia atque damnosa putare. Quo tandem igitur desinet oratio nostrâ? nihilne *Pædantismus* erit, quam succus loliginis atræ, quam indoctorum invidorumque hominum jejuna calumnia? vereor, ut hoc obtineri possit. Idem ille, quem modo laudavi *Montanus*, dari *Pædantismum* tenet extrà controversiam, hominumque etiam summorum ejus rei testimonia citat, inter alia eximii Poëtæ *Bellæi* versum, quem ego ex hoc loco Gallice non audeo efferre; * sententia est, *odi morte tenus doctrinam Pædantarum*. (42) Videndum igitur, ne non hæc res ita sit comparata, ut certum ejus discrimen & intelligentia quædam constitui possit; vix enim fieri potest, ut adeò fortis adseveratio cordatis hominibus exciderit, ubi nullum erat in rei veritate fundamentum. Tamen ne *Montanus* quidem, licet inscriptio capitis sit *de Pædantismo*; quem unicum mihi locum de hoc argumentó scriptum inter veteres atque recentes auctores videre contigit; ne is quidem ipse quid proprie sit *Pædantismus* explicat, aut explicare curat: Rationes saltem indagat, quare doctrina tam frequenter in *Pædantismum* degeneret, omnibusque refutatis, hanc unum amplectitur, *quod hodie non amor ipse doctrinæ*, *sed lucri cupiditas eos*, *qui docti habentur*, *ad cultum studiorum subornet*. (43) Sed utcumque severe existimanti hæc ratio forte non spernenda sit; tamen ut hodie *Pædantismum* etiam viri prudentes interpretantur, quanto quisque minus pecuniæ honesto studio-

(*) *Mais je hais par sur tout un Sçavoir pedantesque.*
(42) De quo apud Bailletum, in *judic. Erud. tom. IV. part. I. pag.* 248. *seqq.*
(43) Vid. Pet. Cunaei *Sardi Venales p.* 113. *seqq.* ubi de alumnis publicis.

studiorum labore potest acquirere, tanto propius à miseria *Pædantismi* abesse judicatur. Ego sic cogitavi, an non ex ipso nomine, quod jam toties expressimus, aliquod filum, cujus ductu rei natura, intimæque rationes indagentur, apprehendi possit. *Pædantismi* vocabulum ex *Pædagogismo* corruptum esse nemini dubium videri potest. (44) Unde qui primi hoc convitio doctrinam insectati sunt, ejusmodi vitium in hominibus doctis notare voluere, quod *Pædagogis* aut frequens est, aut ejusmodi esse creditur: Absit enim ut de viris honestissimis atque gravissimis, qui primis puerorum ætatibus sunt præpositi, quicquam in universum odiosi, meritisque eorum indigni præsumendum putemus. Sane qui nobis familiariter cogniti sunt, eos ab hisce quæ narrabimus vitiis, alienissimos esse, bene sumus adseverati. Non potest tamen negari, quin ita frequenter accidat, ut qui omne suum tempus in grege puerorum transigit, eosque minis & timore in officio continet, adsiduâ consuetudine quasi in naturam vertente, talem habitum fere contrahat, ut etiam inter alios homines, aliisque occasionibus *Pædagogicæ auctoritatis* indoles elucescat; idque tam difficulter evitari potest, ut etiam suaves amœnique homines ingenii cognoverimus, qui utcunque in familiari conversatione nihil ejusmodi præ se ferrent; quoties tamen aliquid pro autoritate administrabant, incontinenti *Pædagogus* è vultu, è sermone, omnique eorum gestu, liquido apparebat. Primum igitur *Pædagogismi* vitium fastus, & inepta autoritatis affectatio habetur. Præterea, qui perpetuo in ludis inter pueros versatur, cum ingenium ejus minutis exercitiis necessario insuescat, & dicta rebus æquare debeat, vix aliter evenire potest, quam ut judicium ejus de aliis quoque majoris momenti rebus, & ipsa oratio sensim degeneret, ineptiamque nescio quam per omnia redoleat? maxime cum ad civilia negotia vel agenda vel dijudicanda suo more se conferunt. Denique sunt etiam sua vitia *Pædagogis*, sicut aliis hominibus, libido, ebrietas, avaritia, impietas, aliaque plura; sed hoc illis peculiare præ cæteris, est, quod dum in ludo cum pueris agunt illa strenuè dissimulant, gravitate

(44) Hoc modo: *Pedagogante*, *Pedagante*, *Pedante*, sicut Itali, & veteres Franco-Galli pronunciant.

& severitate in altitudinem conditi, sola honesta inculcantes, & rigide peccantibus interminantes, atque punientes ob ea quibus ipsi graviora multa flagranter omni die admittunt. Non est equidem, quod hæc ita quis accipiat, quasi puerorum Magistris ea vitia magis essent familiaria quam aliis mortalibus; sed hoc ad præsens institutum pertinet, quod, ubi illâ contage sunt infecti, vultu severo, & ad virtutis imitamentum efficto, inter pueros soleant ac debeant uti. (45) Nescio, an hæ observationes comparationesque sufficiant, ad *Pædantismi* tentandam descriptionem, ut dicamus, eum esse *doctrinam*, *fastu*, *virtute fictâ*, *ineptoque judicio*, *corruptam*. (46) Si proposito meo satisfaciendum est, *Auditores*, oportet hanc definitionem per omnia sua membra exequamur, quod nescio, an hoc tempore, cujus copiam nobis hic actus largitur, absolvi possit. Videbimus quo usque meorum laterum, auriumque vestrarum patientia duratura sit. Primo omnium, quando *Pædantismum* diximus esse *doctrinam*, satis intelligendum dedimus, non utique solos Professores, aut Ludimagistros, hoc vitio esse infectos, sed etiam Medicos, Advocatos, Pastores, Senatores, Nobiles, imo Reges atque Principes, & quicunque *doctrinæ participes* haberi gaudent, in hunc censum venire posse, si doctrinam suam fastu, virtute fictâ, ineptoque judicio corrumpant. *Fastus* prima *Pædantismi* nota esse debet, ut vult definitio; non ut omne genus superbiæ, quod in quavis hominum sorte se passim exerit, huc referamus; est quædam species subtilior, & ad usum applicationemque doctrinæ propius accedens, quam ego duplicem videre videor, alteram *fastum*, alteram *ostentationem* appellabimus. (47) *Fastus* non modo in his animadvertitur, qui jactantiâ enormi

(45) Vid. Commentarius *Dan. Frid. Jani* de Doctoribus Vmbraticis. Conf. *Erasmus* in Enc Mor. d. l.

(46) Alias aliorum definitiones recenset illustratque Janus *d. l. p.* 6. *seqq.*

(47) Sicut enim fastus *paedantam* facit, ita aulica adfectatio histrionem effoeminatum *un petit maitre*. Et quemadmodum inepta doctrinae ostentatio *charlataneria*, sic gloriatio *thrasonismus*, & Satyrica aliorum insectatio *Machiavellismus* dicitur. Denique haud praetereundus ille *titulorum furiosus ambitus*, quasi ipsa sibi virtus eruditioque minus sufficerent ad veram laudem meritumque decus. Et de *fastu* quidem *paedagogico* Reitzius, deque *histrionia gallizantium* Belgarum Schroderus, de *thrasonismo* Saldenus, tum de *Machiavellismo* Lilienthalius, *titulomania*, denique Car. Henr. Heegius data opera egerunt.

mi intolerabiles ſunt, ut *Palæmon* Rhetor apud Svetonium (48) qui literas ſecum & morituras prædicabat; ſed omnes qui de rebus ſtudiorum agentes, ſermone vultuque *αὐθάδειαν*, ſuique admirationem, comtemptis aliis, præ ſe ferunt. nemo dubitat, quin hic ſit *Pædantiſmus.* Huc quoque retulerim, qui diſſentientes à ſe ferre nequeunt, & tales bifariam conſidero. Quibuſdam mos eſt continuo, ſi quis ab ſe diverſum ſentiat, *Ἀντίβιον μαχέσασθαι ἐν αἰνῇ δηϊοτῆτι*, *Pugilis in morem hoſtiliter arma vibrare;* quo furore paſſim homines doctrinam profeſſi magno cum ordinis ſui opprobrio agitantur. (49) Nam quicunque prætextus obtendi ſoleant, ego ſic exiſtimo, *faſtum* impotentem, *magiſteriique* affectationem, pleraſque lites, ſive magnæ, ſive parvæ moveantur, excitare, fovere, inflammare; ſine reſpectu ſæpe decori, ſine curâ boni malique, ad Eccleſiam vel Rempublicam inde redundantis. Eſt aliud genus eorum, qui contra ſe auſos *diſputare*, ſublata ad frontem ſupercilio, alteroque ad mentum depreſſo, temeritatis increpant, rationibus aggredi dedignantur aut deſperant; vel etiam, qui torvo vultu, tumentibus oculis, fulminantibus verbis in adverſarios invehuntur; hoc eſt illud ipſum, quod Lucianus in *ἁλιεῖ* (50) vocat *παιδαγωγεῖν*; ita enim cum pueris agunt *Ludimagiſtri.* Latè patebat hic articulus, de utroque genere faſtus per omnes diſciplinas facile demonſtrandus; ſed hac parte laboris ſuperſedebimus; nam initium à *Theologis* faciendum eſſet; in quem ordinem tanta mihi reverentia ſupereſt, ut eum attingere non auſim; (51) cæteros, his omiſſis, examinare non habet gratiam.

(48) In libro *de Illuſtr. Gramm. cap.* 23. Addeſ. Baylium in *Dict. Crit v. Apion.*

(49) Et quae literarum apud nos calamitas eſt, *bellòrum id genus grammaticalium* foecunda nuper ſeges, immo infelix lolium, rurſus effloruit; editis tot libellorum monſtris; *Sapientia Hyperboreali*, *Agricolae* neſcio cuius, rure certe & ſtiva, quam tranquillo Muſarum mitique ſeceſſu dignioris; *Reverito Norico*, lacerandae Gundlingii poſt mortem famae; quaſi non & facile cuivis aſino eſſet mortuis leonibus inſultare; *Chreſtomathia Petroniana*, cui merito Satiricus occinat: *Quis tulerit Gracchos de Seditione querentes?* Adde *Ottocarum Hammenſem*, *Charlottam Amaliam*, *Criticam Vannum*, aliaque non pauca; totidem hercle ſtultitiae atque impudentiae ſaeculi noſtri ad poſteros monumenta.

(50) *Tom. I. p.* 612. §. 45. *edit Cl. Reitzii.* Vnde verbum medii aevi *paedagogare*, pro *decere*, apud du Freſne in *Gloſſ. med. & inf. lat. h. v.* Vid. Sup. *not.* 44.

(51) Neque tamen attingere veriti ſunt viri egregie cordati, enarrando illa *cleri* propria

tiam. Tamen, quod in universum ad omnes pertinet *Facultates*, quæ *superiores* dicuntur, id opinor, sine invidiâ licebit in medium proferre. Familiare novimus esse Theologis, Jureconsultis, Medicis, aut utique multis eorum, Philosophos, & rei literariæ Professores, quasi multò infra se positos despicere, nec aliter quam *ministras*, & *ancillantes* eorum *Artes* considerare; quod etiam nominibus Heræ & ancillæ cujusdam, ex historiâ sacrâ demonstrare solent. (52) Non nescimus, eam comparationem haud omnino ratione carere suâ; at, nisi ego fallor, bifariam circa usum applicationemque ejus rei peccatur; *primo*, quod res sæpe vertitur in contemptus insolentiam; ita ut dum superiores Magistri propaideuticos velut *Pædantas* accipiunt, se ipsos *Pædantissimi* reos faciant; *dein*, qui ad dominas Artes conferre se volunt, sæpe famulis præteritis rectà heras conveniunt, aut negligenter obiterque salutatis ancillis, veniâ necdum impetratâ, ad ipsas dominas irruunt, suo tamen damno majore quam sentiant. Etenim ancillæ bene tractatæ amatoribus dominarum intima earum penetralia monstrare potuissent, qui nunc ut procedunt, in procætone tantum ad eas visitant, nec in adyta secretiora notitiamque interiorem admittuntur, nolentibus indulgere se castissimis virginibus, Dominis, tam audacibus & incultis amatoribus. (53) Habebam, *Præstantissimi Juvenes*, & ad vos imprimis divæ Themidos alumni, multa super hoc capite monenda, sed hæc hora non patitur digressiones. Ac nec Philosophi atque Philologi superioribus Magistris solent esse reliquatores, quin pa-

ria

pria omni aevo vitia, *hypocrisin*, *fastum*, inque haereticos, id est, dissentientes, furiosam *tyrannidem*; cum philosophiae moralis, bonarumque literarum fastidio fere coniunctam. Praeter Werenfelsium *de Logom. cap. II. p.* 21. *seqq.* & Menckenium in *Charl p* 186. *seqq* consulendi Erasmus in *Enc. Mor. p.* 173 *seqq.* Agrippa de *Vanit. Scient. cap.* 97. *seqq.* omniumque princeps Cunaeus in *Sard Ven & Epist.* 28. 72. 78. *aliiq pass.*

(52) *Philosophiam* omnium doctrinarum matrem altricemque esse, peritior nemo ambigit: *historiae* vero, *antiquitates*, & *linguae*, totidem veteris sapientiae claves; scientiarumque graviorum, cum adminicula, tum ornamenta sunt; comitesque adeo, non ancillae Vid. Orationes amoebaeae maximorum virorum, P. Burmanni. & A. Schultensii, *in Studia*, & *pro Studiis Humanitatis.*

(53) Vid. Terentius in *Heaut. II.* 3, 59. & Anonymi *fab. XVII. p.* 498. *ed. Nevel.*

ria sæpe non segniter illis reddunt, dum ut crassos & omnis ingenii elegantiæve expertes eos sæpe differunt, tantumque de sua luce præsumunt, ut reliquos omnia inde mutuari, cunctaque sibi debere prædicent; cujusmodi Philosophum memini adseverantem audire, *neminem posse Jurisconsultum fieri bonum, nisi qui ante bonus esset metaphysicus;* quique leges ausu verè *pædantico* ex ejus Artis regulis terminisque promitteret ac institueret explicare. (54) Majoris autem superbiæ reos se peragunt Philosophi, at hoc nomine indigni, qui ex suis regulis *scripturæ sacræ* interpretationem peti, adeoque se ut Theologiæ Dictatores reputari volunt; quod problema non ita pridem magnis animis agitatum, & bene, maleque refutatum, necdum planè conquiescit. (55) Est & aliud genus periculi, quod in atrocem *Pædantismum* videtur desiturum, si quis eo studendi more procedat, quo ingentis ani-

(54) Haud magis itaque arti nostrae rite tradendae *methodus* hodie *Wolffiana*, quam antea vel *Scholastica*, vel *Ramaea*, inserviet; *apodicticis* vero *demonstrationibus* locum prorsus nullum esse, dudum ostendit Franc. Duarenus, *ad L. 55. D. de Leg. 1.* Item Herm. Vulteius *Discept Schol. cap. 16. p. 149.* & Bern. Suikuldus nostras, *Diss. I. ad Inst. §. 37.* Confer sis Grotium *lib II. de I B. & P cap XXIII, §. 1* ipsomet praeeunte Aristotele *lib. I. Eth. cap. 1.* Qua de re alias dicemus, ad *Dialog. Auctoris de rat. doc. Jur*

(55) Ecquis est, qui infausta saeculi superioris litigia, inter *Cartesio-Cocceianos* novos, & *Aristotelico Voetianos* veteres, ex reliquiis factionum ignoret? Forte autem neutris a partibus standum putabit veri studiosus; sicuti enim *virtus* vitiorum, ita *veritas* errorum est medium & utrinque reductum. Ecquis enim *mysteria fidei* exigenda existimet ad rationis debile lumen? Ecquis contra in *linguis*, in *historiis*, in *physicis*, credulum magis agat, quam doctum; superstitiosum quam pium? Veritates certe hoc genus, divina extra ordinem revelatione, aut miraculis, ut intelligantur, non indigent. Ipsa denique *mysteria*, si quid video, nostrae non tam adversantur rationi, quam obscuratam superant. Vtriusque enim luminis idem auctor largitorque *Deus* est. Vtriusque finis idem, initium si spectes, aeterna *beatitudo*. Ceterum inter opuscula alia notissimus vulgo tractatus est, *Philosophia Scripturae Interpres*, scriptoris anonymi, id est, *Ludovici Meyeri*, Med. Amst., item *Lud. Wolzogen* libri duo de Interpr. Scriptur & *Lamb. Velthusii* diss. de Vsu rationis in reb. theol, quae omnia multo cum zelo felle tincto refutare instituit *Jo. Broun, Scoto Brit.* quemadmodum adversus *Lockium* gemino opusculo, de fide & ratione, piissimus deinde *Poiretus*. Lites hac de re Auctoris nostri, cum Theologis Cartesio-Cocceianis, continet eiusdem argumenti liber *de Concursu Rationis & Sacrae Scripturae*, inter alios ὁμοψήφῳ *Herm. Witsio*. Conf. *Leibnitii* discursus Theodiceae adiectus *de conformatione fidei cum ratione*.

mi *Philosophus* se usum esse gloriatur. (56) Sententias, etiam in morali philosophia, plerasque novas & inauditas habet, quas tamen adeò certas & indubitatas prædicat, ut se non disputare, sed computare atque demonstrare adfirmet. Tam inusitatæ certitudinis unam ait hanc esse rationem, quod nemo eorum, qui de iisdem rebus scripsere, commodo usus sit docendi principio. Quali vero ipse sit usus, indicat his verbis: *Incipit in ipsis* dubitandi tenebris *filum quoddam rationis, cujus ductu evaditur in lucem clarissimam.* Hinc omnia Græcorum, Romanorum, aliaque morum scita, tanquam *præjudicia*, ut ubique adseverat, missa facit; etiam talia, quæ omnium prima putabantur, veluti, hominem esse socialem, suum cuique tribuendum, τὸ μὴ καλὸν ὔποτ' ἔφυ καλὸν, *Turpia nunquam honesta fiunt*, similiaque, nec patitur illis ut Principiis quicquam inædificari. Quod autem è dubitandi tenebris emergens *clarè distinctèque* percipiebat, hoc ejusmodi esse credidit, ut ipsum fallere non posset, nisi Deum mentis & cogitationis artificem fallaciæ arguere vellet; hinc se computare, se demonstrare, se γεωμετρεῖν, quod *Plato* Deum ipsum facere dicebat, gloriatur. Ingressus hanc studendi viam, cum in rationalibus sibi plauderet, facile ad existimandum adductus est, nec in literis Dei interpretandis quicquam illi methodo esse antevertendum: Si enim posito servatoque *dubitandi & meditandi* ordine legitimo, clara & distincta perceptio tam necessariæ veritatis erat, ut salva Dei sinceritate labi non posset, quid hæsitaret cum omnia tum & sacras literas exigere ad hanc normam? Non opinor, eos omnes qui adfirmant, quicquid clarè distinctèque percipiunt, id non posse non esse verum, ita existimare, se posse talem dubitandi cogitandique legem ac ordinem instituere, ut eo custodito, in rebus etiam incertis obscurisque judicandis nihilo magis falli possint, quàm Deus Opt. Max. deceptor esse queat; absit à nostro seculo tanti erroris suspicio! Tunc equidem vehementer metuerem, eam lucem clarissimam, quæ ex tene-

(56) *Cartesium* indicat, dubitationis magistrum, in *Meditatt.* & in *Princip. Philos. lib. I. sub. init* alibique passim: notissimaque sunt Gassendi, Huetii, Volderi, aliorumque hac de re scripta. Vid. Jo. Franc. Buddeus in *Hist. Philos. cap. VI. §. 27. p. 472. seqq.*

tenebris *methodicæ universæque dubitationis* oritur, sæpe nihil esse quam arrogantem δοκησισοφίαν & abruptam ἀντεγνωμοσύνην, quæ cum aliorum contemptu junctæ sunt verissimi characteres formidabilis *Pædantismi*, quem *nobilis* ille *Philosophus* palàm præ se fert, quando Regibus & Principibus operam suam venditat, emendandi reformandique omnes Academias, & Professionum disciplinas, ut missis veterum institutis sua principia & instituta pro geometricis veritatibus ubique haberentur; quæ tamen ego sum certus pleraque falsa, *damnoque generis humani*, esse reperta. Rursus, inquam, absit, ut omnibus, qui dubitandi viâ incedunt, id genus exempla præjudicare putem: sed hoc quod dixi, seu latius pateat, sive, ut opto, apud unum extet *Hobbesium* (57) ad doctrinæ fastum, & immanem vergere *Pædantismum*; ratione mei instituti nunc sufficit approbasse. Minus credo laboris opus est, ut probemus *Philologorum* quorundam & *Grammaticorum* fastum, de quo minus multa dicam, quia in confesso & conspectu apud omnes esse videtur. Utique non de iis qui in historiarum, variæque eruditionis notitia, omnique humanitate excellunt, loquimur; sed de his maxime, quos propriè *Grammaticos* & *Criticos* appellant, quique tales ἰσχόντες εἶναι. Horum ego studium præ cæteris equidem laudo & admiror, verum & hoc sæpe mirari subiit, qui fiat, ut fere omnes qui his artibus se dediderunt, tam sint *audaces* in judicandis, in carpendis, in contemnendis aliorum sæpe magnorum hominum ingeniis, scriptis atque laboribus, idque cum fastu & arrogantiâ verissime *pædanticâ*. (58) In universum nihil potius occurrit, quam eos ideo tantis

(57) In *Leviath. cap. V. seqq.* Fastum Hobbii pluribus ostendit refellitque Chr. Kortholtus *de trib. Impostor. Sect. II. p. 94. seqq.* Defendit vero, & ab atheismi nota inauditum liberat Gundlingius, tum in *diss. de Statu Nat.*, tum in *Select. Observat. Sect. II. p. 37. seqq.*

(58) Coryphaeus omnium *Nicod. Frischlinus*, tum in Prisciano Vapulante, tum in Strigili, & in Poppysmo Grammatico, adversus *Mart. Crusii* [quem Crusimusissimum vocat Crusimusum] & Moropolitarum Tubingae bacchantium coceysmos, sive Antistrigilem, Arg. a 1594. in 8. Qui vera inter haec nutriuntur, *Criticos*, mirum sane non est subinde haud mitius in adversarios suos debacchari, quam diversarum fere partium *pseudo-theologos*; in tantum, ut de animarum quoque Salute, pollutis Grammati-

tantis animis indui, quod in aliarum Artium Professoribus frequentes *Latinitatis* & bene dicendi *lapsus*, si cum accuratis Grammaticæ, Rhetoricæque præceptis comparentur, animadvertant. Quæ vitia cum illi puerilia putent, fieri vix potest, quin de iis, qui in ejusmodi parvitates impingunt, haud multò secus opinentur, quam si non procul à pueris abessent, adeoque *more pædagogico* excipiendi viderentur. Ita qui primis criticorum rudimentis defuncti sunt, præsumere solent: nam qui maturis consummatisque studiis hoc augustum nomen implere possunt, plerique moderatius opinantur, intellectumque verborum bene norunt dividere à rerum divinarum humanarumque diffusâ notitia: plerique sane; nam sunt etiam, qui *In literis consenuere*, neque tamen arrogantiam & maledicentiam adversus aliarum artium doctores amittere possunt. Fecit hac parte notabilem se *Laurentius Valla*, qui his moribus *Superbi* nomen *Grammatici* consecutus est, ejusque adversus Theologos & Jurisconsultos acerbitas, & *pædagogica* auctoritatis affectatio, satis etiamnum è scriptis ejus elucet. (59) At *Theologi* quidem illius temporis censurâ politioris literaturæ non erant indigni, nec si *Jurisperitos* ejusdem ævi aliquando irridendos præbuisset, erat quod magnopere incusaretur; sed aculeos suos passim veterum Jureconsultorum, quos ipse alibi, ut optimos Latinitatis auctores invidendis laudibus extulit, scriptis infigere non cessat, plerumque superbius quam verius, & semper ut *Pædagogus*. Sed mittamus aliquando fastum, de *ostentatione* videamus: ad quam refero jejunam illorum ambitionem, quos pudet ignorantiam ullo tempore in rebus ad professionem suam

maticae sacris, invicem desperent: certissimo utique argumento, tanto ipsos verae eruditionis, studiorumque *humanitatis*, quae profitentur, esse inaniores, quanto acrius inter se de verborum, & variantium lectionum minutiis, pudore omni eiurato digladiantur. In quos cum maxime illud anonymi adscripseris: *O Musae insontem furcis defendite montem, ne temeret diam turba profana viam*

(59) Vid. iudicia eruditorum apud Pope Blount, *p.* 462. *seqq.* & Baylium in *Dict. Crit. h. v.* De *Salmasii* arrogantia Colomesius in *Opusc. p.* 317. & ex eo Menckenius *d. l. p.* 49. item Stollius in *Hist. Lit. cap III. fin.* Ecquis porro *Scioppii* ignorat, cum fastum, tum rabiem? *Canis Grammatici* elogium ipsi attributum memorat Baylius in *Dict. Crit. h. v* Nollem vero eiusdem vitii reum sese dedisset Bentleius, *ὁ μέγας*, ad *Horat. in Art. Poet.* vs. 441. in lite Gronoviana.

suam pertinentibus fateri, non advertentes, quanto plus dignitatis sit in *confessione generosa*, quam in turpi dissimulatione imbecillitatis, quæ tamen eruditiores non fallit. Talis apud *Agellium* (60) erat Grammaticus ille, qui deprehensus in dicto quodam, cujus expositionem promere non poterat, cum antea suam peritiam mire jactasset, tandem cum instantes amoliri non posset, lepidissimo, scilicet, commento eos elusit; *Ego verò*, inquit, *talia gratis non doceo.* Æquè misera fuit alterius illius ambitio, qui apud Frontonem Cornelium interrogatus de sensu versiculi Enniani, *præter propter vitam vivitur*, cum ingenuè fatendo honeste defungi posset, (nam cum bellis hominibus ei res erat) ille cum multum rubuisset, multumque sudasset, tandem surgens, *Tibi*, inquit, *Fronto, postea soli dicam, ne inscitiores audiant & discant*; abiitque miser Pædanta, ubi gloriam captabat, risum & ludibrium assecutus. (61) Non longe ab his alieni sunt, qui se diligenti lectione parant *certas quæstiones*, easque dein, captatis occasionibus, in medium proponunt, non tam ut alios experiantur; quod intempestive factum per se *pædagogicum* est; quam ut ipsi variam lectionem suam promptitudinemque aliorum comparatione vénditent; quem morem apud Professores, aut magistros rarius, quam apud eos qui *Politici*, aut *Forenses*, simulque literarum cultores amant haberi, observare mihi licuit; nec ideo tamen minus *Pædantæ* existimandi sunt. Ita in omni hominum genere inveniuntur qui versiculos, sententias, aliaque eruditionis argumenta, proferunt & inculcant, ubi nihil usu veniunt. Præcones *Ecclesiastæ* multi, ad plebem Dei verba facientes sæpe Latina, Græca, Hebræa, terminosque scholasticos magnificè intonant (62) *Advocati* leges latinasque sententias, ubi nihil opus est, cumulant; quin

(60) Gellius *lib. VIII. cap.* 17. *& lib. XI. cap.* 7.
(61) Gellius *lib XIX. cap.* 10
(62) Ita fere linguarum solent rudiores, inscitiae suae tegendae, quod iure merito post Caussinum *lib. XVI. de Eloq. Sac. & Hum. cap.* 16. *&* 17. *item* 19 in sacris Oratoribus reprehendit Knibbius in *Manud. ad Orat. Sac. tom. I. cap. VIII.* § 7. *iunc. cap. VII.* § 4. *in not. & cap. XII.* §. 2. *pag* 62. Seros studiorum istos vocat Horatius *lib. I. Sat X. vs* 21. aliaque longe mens Ciceroni *lib. I Tusc. Dispp. cap.* 8. qua de re pluribus egit Alb. Gentilis in *Diss. de Linguar. mixt. post Advott. in lib. I. Maccab.*

& *Medicos* atque chirurgos aliquando apud ægrorum lectulos de causis generibusque morborum μάλα τεχνικῶς ex arte, sicut putant, audivimus differentes; hos omnes *pædantismi* manifestos esse res ipsa loquitur, sive ostentandi causam habeant, sive innocua sit ineptitudo. Ampliorem hic locus explicationem haberet, nisi tam prope accederet ad *ineptiæ* confinia; cui proinde, si quid hujus generis deesse videbitur, reservabimus. Quò celerius ad hanc transire, vosque longioris audientiæ tædio liberare possimus, breviter de altero *Pædantismi* requisito, quod *fictæ virtutis* erat, absolvemus. Primo definitionem Pædantismi sic institueram, ut omnem vitiorum contagem in oculos hominum incurrentem, quâ doctrinam professi laborant, ex eruditione *Pædantismum* facere judicarem, inductus in eam opinionem à *Luciano*, qui ad hanc formam sui temporis philosophos ubique tractat. (63) Sed re penitius ad nostri seculi æstimationem perpensâ, non potui animadvertere, homines doctrinam professos, ideo quod fœneratores, quod ebriosi, quod scortatores, & profani habeantur, hoc ipso nomen *Pædantarum* adipisci. Convitia equidem gravissima prudentium virorum non evitant, sed *Pædantismi* notatio est in ore vulgi, à quo id genus eruditi sæpe pro bellis habilibusque viris habentur; ex adverso qui exercitia partesque studiorum sanctissimè, at à populari commercio secretius transigunt, non raro *pædantismi*, licet immerito, traducuntur. Verum qui his vitiis modo enumeratis evidenter se conspurcant, & simul fronte caperatâ, gravibusque verbis doctrinæ prætextu contrarias virtutes adseverant, eorum intestabilem esse *Pædantismum* caret omni dubio. Tales erant, qui tempore *Luciani* magnâ contentione docebant, temperantiam, fortitudinem modestiam, contemnere pecuniam, gloriam, sola pulchra ducere quæ honesta, sine ira, sine affectibus agere; cum ipsi interim (non tem-

cab. tom. V. Bibl. Crit. pag. 214. Confer sir de hac γλωττοστοιχόνα Vossium *lib. IV. Inst. Orat. cap. III. p.* 6. *seq.* & Pet. Nannium *lib. V. Miscell. cap. ult.* Quod genus ineptias lepide suo more Erasmus descripsit in *Enc. Mor. p.* 166. *seqq.* itemque Balth. Schuppius in *Orat. de Oratore Inepto*; & auctor vernaculus in *Pseudo-Theologo Groningano.*

(63) In primis in *Nigrino*, seu *de Philosophi moribus*, *tom. I. Opp. sub init.* Vid. etiam Gellius *lib. I. cap.* 2. *&* *lib. IX. cap.* 2. *&* *lib. XIII. cap.* 23.

tempero mihi à Græcis) apparerent, ὀργιλώτεροι τῶν κυνιδίων, δειλότεροι τῶν λαγωῶν, κολακευτικώτεροι τῶν πιθήκων, ἀσελγέστεροι τῶν ὄνων, ἁρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν, Φιλονεικότεροι τῶν ἀλεκτρυόνων, id eſt, *iracundiores canibus*, *timidiores leporibus*, *adulantiores ſimiis*, *impudentiores aſinis*, *rapaciores felibus*, *contentioſiores gallis gallinaceis.* (64) Videres eos cum *palliis & barbis* apud oſtia divitum oberrantes, ſe invicem detrudentes, cœnas captantes, illic dominos immodice laudantes, mox voraciſſime incumbentes patinis, lautiora aliis præripientes, dein cibo vinoque repletos, & barbis jure madentibus, iterum clamare: *philoſophum nullius rei indigere*, ſolum eſſe divitem, fortem, pulchrum, Regem. Poſtridiè videres eoſdem ſtipem petentes, & non dantibus iraſcentes; rurſus de liberalitate multum loqui, & adiaphoron eſſe divitias, nihil aurum argentumve à lapidibus in littore ſparſis differre. Quod ſi vetus ad ipſos amicus opis indigus accederet, tum vero σιωπὴ καὶ ἀπορία καὶ ἀμαθία καὶ παλινῳδία, *ſilentium & inopia & inſcitia & recantatio*; hactenus enim amicos noverant, dummodo nihil auri argentique poſitum eſſet in medio. Si liceret, non injucundam hujus generis orationem vobis exhibere poſſem. hoc unum oportet tamen addam. Virtus, Philoſophia, & Juſtitia, ſic placet *Luciano* (65) proclamari juſſerant Athenis, philoſophi omnes adeſſent in Acropolim, ut profeſſione ſuâ re ac moribus approbata, præmiis dignis honorarentur; vix totidem accedebant, quot divitis oſtia Nili. Iterum, Syllogiſtica proclamabat, adeſſent philoſophi in Acropolin, qui optimum facere poſſet ſyllogiſmum in formâ, duas haberet minas argenti cum placentâ: Momento temporis plena erat Acropolis κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, cum murmure confuſo ſedes capientium, καὶ πανταχοῦ πήραι πώγων, κολακεία, ἀναισχυντία, βακτηρία, λιχνεία, φιλαργυρία, συλλογισμός; ubique apparebant *baculi*, *peræ*, *barbæ*, *impudentia*, *adulatio*, *liguritio*, *avaritia*, *ſyllogiſmus*. Fateor hæc ita ſecundum literam his diebus omnia ſimul uſum non habere, ſed an non bona pars de quibusdam hujus quoque temporis hominibus vera ſint, vobiſcum ipſi, *Auditores*, exiſtimabitis. Quid utique, ſi *Petrus*

(64) Ita habetur. in *Piſcatore*, *d. tom. I. p. 411. ed. Bened.*
(65) Eodem loco, *pag. 416. ſeqq.*

trus & *Paulus* in illo ſuo ſimplici cultu citarent omnes, *qui ſacra faciunt*, ad rationem muneris ſui reddendam, & verba ſua factis implenda ſub præmio cæleſtis beatitatis (66). Rurſus, ſi *Conſtantinus Magnus*, ille munificus ſacri ordinis Patronus (67) omnes & ſingulos invitaret ad talentum magnum, & teſſeram annui lautioris accipiendam; quid eventurum eſſet, ſuæ cujuſlibet conjecturæ delegabo. Tranſeamus ad *ineptiam*, quæ ſine dubio maximam *Pædantiſmi* partem occupat, & de quâ ingens æquor orationis ſe pandit, ſi exhauriendum eſſet argumentum: Sed rationem oportet aurium veſtrarum, meorumque laterum habeamus. Principio vobis aliam ex *Luciano* fabellam dabimus. (68) Ait, Menippum ex horto philoſophum, cum per omnes ſectarum vias ambulaſſet, multoque incertior eſſet quam dudum de vera vivendi ratione, tandem, duce Mago quodam, itinere portentoſo veniſſe ad inferos, ut ibi Tireſiam Thebanum, qui ſapiens & vates fuerat, de verâ vitâ conſuleret; ab hoc autem ægre & ſub religione ſilentii reſponſum accepiſſe in aurem, ὁ τῶν ἰδιωτῶν ἄριστος βίος, *ſimplicem indoctorum vitam eſſe optimam*. (69) Non ſum ejus ſententiæ, *Lucianum* id in præjudicium omnis doctri-

(66) Sed ita iam olim de rigidioribus *philoſophis* Juvenalis, *Sat. II. ſub init.* de *Phariſaeis* Chriſtus, in *Evang. Matth. cap. XXIII. vs* 3 & *Lucae cap. XI. vs.* 46. de *Papis*, Cardinalibus, ceteriſque Epiſcopis, Eraſmus in *Enc Mor. p.* 179. *ſeqq.* de *Monachis*. Palingenius, in *Zod. lib. V. pag.* 118. De *Tartuffis* vero, ſive *Phariſaeis* hodiernis, omnium certe ſectatum fucis, praeter *Molierium* in utiliſſima huius argumenti comoedia, qui ex profeſſo ſcripſerit, utque virum cordatum decet, neſcire me fateor. Praeſtaret hoc ſane, quam vulgaribus ſcriptiunculis atrum indicem augere *haereticorum*, tot novis temere confictis nominibus, Labadiſtarum, Poiretianorum, Hattemiſtarum, Deurhoviſtarumque Indifferentiſtarum, aliorumque id genus innumerabilium, *millia quot non fert ſitiens Apulia muſcas*

(67) De *Conſtantino Magno* dixi ſuperius *ad Orat. V. p.* 112. Et vel una ſuffecerit *l.* 1. *C. de SS. Eccl.* Sententiae noſtrae confirmandae. Illa enim mundum in Eccleſiam prima induxit, cumque *divitiis* ambitionem, barbariem, tyrannidem, luxuriam; *hierarchiam* denique impotentis cleri, velut ex Pandorae pyxide, per orbem ſparſit Chriſtianum.

(68) In *Necyomantia*, *tom. I Opp. p.* 303. & 318. *ed. Bened.*

(69) Haud multum abludit inſcriptio tabellae Barneveldianae, *Nil ſcire tutiſſima fides*. Vid. auctor *vitae Jo. ab Oldenbarneveld*, *pag.* 13. Et vere Seneca in *Epiſt. Poſtquam docti prodierunt, boni deſunt; docemurque diſputare, non vivere* Quid mirum vero? cum & multo facilius ſit, & glorioſius habeatur, theologum polemicum agere, quam pacificum; typicum & ſyſtematicum, quam moralem & activum.

ctrinæ, & philosophiæ dictum voluisse: nam quanti faceret eruditionem & sapientiæ studium, cum passim in suis scriptis, etiam aliud agentibus, tum in *Somnio* in *Nigrino*, in *Demonacte*, & alibi testatus est luculenter. Sed arbitror hoc eum studiosis hominibus inculcare voluisse, *genus optimum doctrinæ id esse, quod minimum recederet à judicio communi hominum, qui simplicitate naturali recte uterentur;* scilicet, accedente cultu civilis conversationis, quæ in vitâ privatorum, quos utique noluit esse feros & barbaros, supponi debet. Non est igitur abs re, ad hunc veluti lydium lapidem exigere notas *Pædantismi*, ut quicquid in eruditione exercenda impingit in commune atque civile judicium hominum, id magis aut minus sunt enim gradus hic sine dubio vitium, de quo nunc agimus, participare videatur. Sed *ineptitudinem* hominis docti ego *trifariam* considero, in excolenda eruditione, & in exercitio, atque praxi cùm eruditionis ipsius, tum etiam vitæ communis. Dices, in hac ultimâ parte solâ commune & civile judicium spectari potest; in æstimatione doctrinæ ejusque exercitio, quo pacto id usu venire queat, non apparet. Ego vero sic existimo, commune atque civile judicium sal esse omnium rerum, ipsius quoque reconditissimæ doctrinæ: Suppono quidem notitias à vulgi sensu remotas; sed illa ipsa scientia tali judicio regi debet, quale plebs in suis negotiis omni die exercet, alioqui insulsa & insipida cuncta fient. Specta tropos & figuras Rhetorum, senties omnem eorum gratiam ab illo communi pendere judicio. *Cœli ingentes fornices* dixerat Ennius, (70) improbat Cicero, (71) quia commune judicium dictat, fornices nec magnos esse, nec totum implere circulum, & à rectis consurgere lateribus. *Stercus Curiæ Glaucia* dictum Fabius reprehendit (72) ut communi judicio fœtidum. Item *Respublica morte Camilli castrata*; alibi, *persecuisti Reipubl. vomicas:* rursus, ut civili judicio nimis enormes & inverecundæ translationes à Quintiliano reprehenduntur, ut etiam *saxea verruca* pro scopulo, nimis exiliter dictum.

(70) Ex incerto libro, *p.* 327. *not.* 501. *edit. Hess.*
(71) *Lib. III. de Orat. cap.* 41.
(72) *Lib. VIII. cap.* 6. add. Vossius *lib. IV. Inst. Orat. cap. VI.* §. 10. & Buchnerus de Commut. rat *dic. lib. I. cap.* 2. §. 11. *p.* 33. *seqq.*

ctum. (73) Sexcenta talia, quæ proferri possent vitia, quilibet idiota videbit & ridebit. In affectibus equidem morumque viâ scimus, idoneum auctorem non esse turbam, sed alia est ratio judicii communis, quod non aliter à Deo conditum est, quatenus labe originali mansit intactum, quàm sicut in consensu longe maximæ partis hominum, de rebus eorum captum non superantibus elucet; unde non absurde fertur in *proverbio*; si id rectè ita mihi intelligendum videtur, *vox populi*, *vox Dei*. (74) Igitur in omnibus scientiarum traditionibus id observandum, ut præcepta quantum fieri potest, communi civi ique judicio consentanea formentur. Etenim eâ gratia doctrinarum professiones institutæ sunt, ut per regulas, attentâ meditatione usuque conceptas & firmatas, secreta rerum in *simplicissimas veritates* resolvantur. Quicunque igitur id agunt, ut involucris formularum terminorumque scholæ, quasi ænigmatibus, cognitiones rerum implicent atque tegant, ne populo scilicet innotescant, eos hactenus *Pædantismi* absolvere non possum: Quid enim est aliud inepta scholasticæ doctrinæ ostentatio, si hæc non est? Quicunque etiam scientiæ alicujus doctores audiunt, neque tamen in id incumbunt, ut finem usumque Artis suæ adipiscantur & promoveant, iis nullam injuriam fieri puto, si perinde *Pædantismi* insimulentur. A *Theologis* rursum me abstineo, judicent ipsi Artis gravissimæ Doctores, utrum melius sacra eruditio se habeat, ubi quam proxime ad *Apostolicam*, vel potius ad *Christi Domini* inimitabilem *simplicitatem* accedit, quam ut supellectile scholasticâ ornata an onerata est. Numquid etiam *Magistris nostris*, (75) haud intel-

(73). Vid. Vossius, & Buchnerus *dd ll.*

(74) Eadem est doctrina Grotii *lib. I. de I. B. & P. cap. I. §. 17.*, qua de re pluribus. Jo. Nic. Hertius, *de Jurisp. Nat. Sect. I. § 21. vol. I. Opusc. p. 24. seqq.*

(75) De hac adpellatione, & mystica origine, deque ridicula quaestione; utrum dicendum *Magister Nostrandus*, an *Noster Magistrandus*, pro persona apta ad fiendum doctor in Theologia? Professa opera disputat *Thomas Langschneiderius*, Baccularius Theologiae formatus, quamvis indignus; in epistola prima *Obscurorum Virorum* ad Superexcellentem, nec non Scientificentissimum Virum, *D. Ortiunum Gratium*, Poëtam, Oratorem, & Philosophum, nec non Theologum, & plus, si vellet. Epitaphium *Magistri Nostri* habet Menckenius in *Charlat. b.* 151. Conf. Idem *d. l. p.* 242. *seqq.* & Ad. Tribecchovius *de Doct. Schol. cap. V. sub in. & cap. VI. §. 4. p. 333. seqq.*

telligibili farragine vocum sanctissima mysteria deformantibus, iisque ineptissime superbientibus, dum plebem nihil eorum capientem simplicissimis Dei literis arcent, nomen *Pædantarum* male sederet, eadem fiduciâ sanioribus Theologis arbitrandum relinquam. De *Juris* nostri *Arte* liberius dicam, ut domesticâ, quæque tota super illud commune, illud civile judicium, fundata & ædificata est, atque secundum illud doceri & explicari debet; nî hoc fiat, tanto pejor inde *Pædantismus* exsurgit, quanto ingenium ejus ab hoc vitio longius abesse videtur. Finis Juris est justitia, non tantum, ut leges secundum ejus præscripta condantur, sed etiam inprimis, ut hæc virtus in societate humanâ colatur & exerceatur. Ideo, qui *Jurisconsultus* haberi vult, eum id operam dare oportet, ut regulas *æqui bonique* intelligat & in promptu habeat, quibus in loco & in tempore ad negotia hominum gubernanda prudenter uti frui possit; eam juris professionem, quæ hoc sibi non proponit, hoc quoque non præstat, ego fidenter esse dico *Pædantismum*. Parce, dicat aliquis, & respice temet ipsum; nonne tu ex eodem isto loco, cum pro Juris professione diceres, laudasti multum *Alciatos*, *Cujacios*, *Donellos*, & tot alios, præ *Accursio*, *Baldo*, *Bartoloque de Saxo ferrato*, omnique Doctorum turbâ, licet hæc ad forensem notitiam sit aptior, quam sunt illi priores elegantiarum Magistri? (76) Nonne Tu ipse cultiorem hanc viam à præceptoribus tuis edoctus es, nonne videri vis hanc ipsam præire Te tuis sectatoribus? Mea vero sic ratio est, *Auditores*, *Artem Juris Romani* tradendam in Academiis, intelligi non posse sine pura *linguæ latinæ*, & aliquâ sermonis *Græci* notitiâ, denique sine *historiæ & antiquitatis Romanæ* saltem mediocri peritiâ. Sed quid tum postea? Jurisconsulti veteres, quorum ad intellectum hæc præambula requiruntur, in eo sunt toti, ut forensem & *pragmaticam* Juris prudentiam suis auditoribus tradant. Qui verò hanc ultimam partem fastidiunt, & tamen se Jus tenere putant, hos ego, si scapha scapha dicenda est, *pædantismi* non expertes reor esse; sint *philologi*, excellant *criticâ* laude,

(76) *Orat. V.* ubi & alia notavimus, pariter atque in *præf. Lect. Jur. & Orat. Inaug. Trai. pro Glossatoribus*. Confer sis *sup. Orat. II. p. 64. seq.*

de, *philologi* quoque *juridici* appellentur, fiat, non repugno, quin *Pædantas* esse nego, sed literarum, elegantiarumque cultores esse fatebor. Sed *Jurisconsulti* nomen augustum præferre, nec aliud quicquam dare studiosis, quam de *emendandis aliquot textibus*, de conciliandis circa obsoleta capita quibusdam *antinomiis*, de verborum aliquot priscorum usu *conjecturas*; cum de jurisdictione, judiciisque agitur, nihil facere quam de *tribunali Romano*, de ordine fori antiquo loqui; de usu vero & observantia singulorum titulorum, quæ his diebus obtineat, tribus verbis absolvere, sæpe nihil dicere, nego hæc esse Jureconsulti, inepta judicioque communi adversa mihi videntur. (77) Rursus, inquam, absit ut spernam illud *alterum genus*, scire etiam volo, delector iisdem & elegantias voco; sed *Juris Artem* iis rebus perfici, id utique nego. Instituere digressiones observationesque historicas philologicasve bene se habet in Jure, si πάρεργον, non si ἔργον inde tuum facias; si humaniora te adspergere velle præmoneas, non si juris Professorem absolvere velis. Sunt præterea, qui *systematicam doctrinam*, quæ per definitiones, & partitiones earumque exegeses, Juris artem ob oculos ponit, *Pædanticam* esse volunt, quique Studiosos nihil quam libros à Justiniano relictos legere præcipiunt. Si *pædantas* vocarent eos, qui nihil aliud quam systemata legunt, qui libros authenticos vix inspiciunt, eorum sensa non indagant, sed proram atque puppim sui studii in *scholasticis rudimentis* collocant, haberent me consentientem. Sed absque ullo ductu systematico, sine exprompta definitionum divisionumque memoria, & intellectu, diffusam veterum lectionem aggredi, doctrinam ejusmodi parit, qualis est, *arena sine calce*: possent esse magna, perspicacia ingenia, quæ hoc modo validè proficerent, non recuso; sed vulgo studiosorum nihil inutilius arbitror. Optimus ille modus quem Justinianus præscripsit est; Ille vetat in suos libros scribi commentarios, sed *paratitla* (78) permit-

(77) Conf. Heineccii *Oratio Viadrina de Jurisconsultis Semidoctis*. Item Gravina *de Orig. & Progr. Jur. Civ.* cap 169. *seqq.* & Januarii *Resp. ICtor.* p 249.

(78) In Const. *Deo auctore*, §. 12. & in Const *Tanta*, § 21. Denique in Const. *Dedit. nobis Deus*, §. 21. Qua *Paratitlorum* adpellatione Cujacius breves & subtiles intel-

mittit, hoc est, breves & succinctas complexiones, quibus judicia tyronum regantur, diffusæque materiæ compendio præsumantur; nam prolixæ commentationes à textu & legibus ipsis initia discentium seducunt. Ita modus in omnibus rebus optimus est habitu. Hæc omnia credo, nec aliter suo sensu apud *Medicos*, atque Philosophos se habere, quin & illic indulgere speculationibus solis, mandare memoriæ dictata rudimentorum, his se jactitare, nihil extra sapere, non contendere ad usum artis, docere non intelligibilia, fit *Pædantismus*; ut notabiliter in hoc vitium impegit *vetus-schola philosophantium*, (79) quos nihil opus est ut nos heic loci exagitemus, eaque operâ novatores eorum æmulos, & jam superiores stantes allevemus. Videbat aliquando non incelebrem è Schola *philosophum* in mœnibus hujus urbis obambulantem *Theologus* non è minimis, & ipsemet ambulans cum amico philosophiâ non indocto. Vin' tu, inquit, illum philosophum consequamur? faxo nos audias acerrimè disputantes, ut nec tu nec nos invicem quicquam intelligamus. Consequuntur, alloquuntur, movetur problema, quod eadem diè publice ab altero ventilatum fuerat, de *quidditate Hæcceitatis.* (80) Argumentantur hinc inde, fit altercatio, vox intenditur, micant digiti, it clamor in auras; nihil ut capiat ille tertius, nec quicquam intelligi posset, ab his sane, qui quid esset intelligere, scirent. Hunc esse *pædantismum* in qualibet Artium facultate non credo negaturum, qui vel omnino *Pædantismum* dari negaverit. Si jam porro ad Eloquentiam me conferam,

intelligit titulorum interpretationes, & quasi monitoria, sive claves eorum, quae singulis titulis continentur, *praef. in Parat. Cod. sub fin.* eumque sequutus Gul. Maranus in *Prooem. Paratl. ad* ... *cap. 1. & 2.* Falli vero istos dudum aliis observatum est, uti Fabrotto ad *Cit. d. l.* & Jano a Costa, *praef. ad Summaria Decret.* Priscus enim germanusque paratitlorum usus hic erat, ut ad singulos titulos adnotarentur, quae aliis locis essent tradita; quapropter solas ea voce titulorum repletiones indicari vere monet Matth. Blastares, in *fine praef. ad Synt. Can. Alphab.* apud Beveregium in *tom. II. Synodici, part. II.* Confer sis Jo. Leunclavium in *Prol. Paratitl. Jur. Gr. tom. II. Biblioth. Jur. Can. p.* 1219 quaeque nos plura olim congessimus in *Prolegom. Jur. Civ. Sect. XIX. not.* †††. *p.* 64. *seqq.*

(79) Vid Agrippa *de Vanit. Scient. cap.* 8. Erasmus in *Enc. Mor. p.* 144. & Menckenius *d. l. p.* 150. *seqq.*

(80) Qua de re pluribus agit Ad. Tribecchovius *de Doct. Schol. cap. IV.* & Sam. Wehrenfelsius *de logom. Erudit. cap. II. §.* 7. *sqq.*

feram, ibique diversas *Inepti* species excutere velim, *Auditores*, vix est, ut finem modumve orationis invenire possem; de oratoria facultate *Quintilianus*, de Historicâ *Lucianus*, de Poëtica *Horatius*, innumeras *Pædantismi* species & exempla nobis suppeditarent. Summa redit eódem, quod pridem diximus, ad commune atque civile judicium redigendum esse eloquentiæ modum, ut sit facultas ingenio usuque ita culta, consummata, uti flectendis rapiendisque hominibus apta comparata sit. Proinde quoties in oratione solutâ ligatâve, cura studiumque apparet ejusmodi, per quæ fit, ut attentio voluptasque auditorum comprimatur & suffocetur, non est dubium quin hujusmodi apparatus *Pædantismi* vitio laboret; maxime, si accedat affectatio grandium sonantiumque verborum, aut quod pejus, eique tamen generi tumido familiare est, obscuritatis, quâ multi etiam docti, ut videntur, homines intolerabiliter sibi placent, quasi major orationis ulla virtus esse posset, quam pura & decora perspicuitas, quâ rerum difficultates etiam rudibus explanentur, & eloquii institutum ita ut ab auctore sermonis Deo generi humano inculcatum est, ad communicanda invicem cogitata sua, prompte, jucunde, valideque exerceatur. Quis igitur *Pædantam* fuisse neget illum dicendi magistrum, de quo Fabius narrat, eum increpuisse discipulos, si quid clare nimis simpliciterque posuissent; Σκότισον παῖ, *fac stylum occultiorem puer*, ajebat. (81) Alius, cum audisset è discipulis unum ex ipsius præscripto involute, perplexè, declamantem, *tanto melius*, inquit, *ipse non intellexi.* Quid vobis de *Professore publico Eloquentiæ* videtur, qui Terentium, atque Ciceronem, ut nimia perspicuitate languidos, se ferre non posse fatebatur, sed *Winsemium* nostratem (82) admirabatur & stupebat; *quid est eloquentia*, clamabat, *si hæc non est?* & exordia quædam orationum recita-

(81) *Lib. VIII. Inst. Orat. cap.* 2. *num.* 18. ubi τὸ παῖ non habetur, aliaque orationis series conspicitur.

(82) Peregrinum Litteratorem intelligit, Winsemii *nostratis*, ut ait, ineptum imitatorem, non Frisium. Illum enim *Dominicus Acronius a Buma*, hunc Auctor ipse exceperat, successore in Eloquentia *Buschio* Pomerano; qui huic orationi annos quatuor superstes locum deinde fecit magno *Perizonio*. Vid. Fasti Academiae Frisiae, quorum excerpta *Nic. Blancardus* ad calcem Orationis Saecularis exhibet, ad ann. 1647. 1657. 1666. & 1682.

citabat, verbis grande sonantibus, & quasi è profundo effossis, in altitudinem condita; verum adeo perplexa & obscura, ut rarus lector, nisi valde attentus, quicquam intelligeret; Huic enim vitio sic appello & quidem maximo Vir ille Egregius pravâ consuetudine in orationibus (nam in *historiâ* minus hac parte laborat) obnoxium se reddiderat. (83) Si *Pædantismus* est doctrina, quæ magno conatu nugas agit, & contra judicium institutumque generis mortalium nititur, haudquaquam obscurum est, quid de tali spuriâ, atque, ut ita loquar, ebriosâ eloquentiâ existimandum sit. At hujusmodi rebus si inhærere vellem, *Auditores*, exitum orationis nullum reperirem, quam vereor ne jam ultra publicæ recitationis modum putetis continuari. Proinde compendio atque transcursu in reliquis utemur. Habuimus *ineptitudinem*, si licet ita loqui, *theoreticam*, de *practicâ* videndum, quam licet in aliis facultatibus æquè notabilem esse noverimus, solius tamen *Jurisprudentiæ* respectu nunc eam considerabimus. Nihil est tritius illis, qui in fori peristyliis judicandi vel respondendi causa versantur, quam Academicos Juris Doctores insimulare *pædantismi*; propterea, quod usum artis atque praxin, ut loqui amant, ignorent. Ego vero Professores, qui muneris sui partes fideliter implent, nihil minus quam *Pædantas* esse abunde probavi. Sed hosce *forenses magistros*, qui *pædantismum* longe infra suæ professionis homines situm esse putant, frequentius hoc vitio infectos esse, quam Academicos, date veniam, *Auditores*, dum paucis verbis ostendam. (84) Primo omnium, quod homines ex Academiâ recens dimissi, infulisque doctorum honorati, eos à quibus Artem didicerunt suam, quasi *pædagogos*, eorumque doctrinam pro *Pædantismo* insolenter habere videmus; quam procul id absit à vero *pædantismi* charactere non potest ignorare, qui definitionem ejus jam pridem à nobis expositam perpenderit. Præterea, non semel accidit ut, inci-

(83) Grandioris eloquentiae specimen Winsemius dedit in *Panegyrico funebri Principis Mauritii*, anno 1625. Franequerae impresso.

(84) Lepide istos perstrinxit Vinc. Obsopaeus *ad Anthol lib. II. epigr.* 36. *p.* 234. Addes. Menagium in *praef. Amoenit Jur. Civ.* & Heineccium in *Orat. de Jurisc. Semidoctis.*

inciderem in scripta Advocatorum, qui clientum causas ex Jure deducturi integra loca illius materiæ, ad quam res pertinebant, per *definitiones divisionesque* tractarent, uti cum de valore testamenti in judicio certabatur, etsi nihil opus esset, docebatur scilicet; quid & quotuplex testamentum, quænam ejus requisita, aliaque; sicut nos Auditoribus in universa Institutione tradimus; iisque tandem aliquando finitis, ad *rationes juris*, quæ meritum causæ spectare videbantur, procedebant. Hujus generis Advocatum memini acerbè aliquando conqueri, se causâ cecidisse, tametsi vix tres versus belgicè, omnia ferè Latine ex intimo juris penu elaborasset. Hos ego non minus *Pædantismi* reos crediderim, quam sunt omnes, qui in Consiliis, in libellis, deductionibusque causarum, leges, jurisque rationes, Auctorumque nomina cumulant, etsi nec opus sit, nec ad rem probandam finiendamque pertineant. Id maximæ *Advocatorum* parti omni die contingere, testor eorum scientiam, qui audiendis litibus, examinandisque judicialibus scriptis dant operam; nec adeò *pædantismi* plerosque absolvi posse fateri necessarium est, sive judicio inepto, sive per ostentationem, apparatu eruditionis abutantur. Nam utroque committi *pædantismum* verba definitionis superius à nobis collocatæ expositæque demonstrant. Doleo non esse nobis integrum, evidentiam multifariæ ineptitudinis, quæ in hoc genere frequentatur, exemplis palam facere, quæ haudquaquam sollicite inquirenda forent. Quod si novum inauditumque esse dixerint, homines Pragmaticos, & in fori luce versantes, accusare vitii, quod *scholas* tantum redoleat, velim faciant, ut cogitent, apud Clientes consulentesque præferre mysteria Doctrinæ, legibusque eruditum velle videri, ubi nihil usu veniat, duntaxat ne *parum clerici* (85) habeantur, nunquid ineptæ ostentationis, quæ in studiorum negotio *pædantismus* est, id absovi possit? Quin nec à Curiis Judicum id esse alienum, fidem facit Parisiensis illius Senatoris exemplum, de quo *Montanum* (86) referre memini, cum pro-

(85) *Clericus* pro sacerdote, monacho, & homine erudito; sicuti *Laicus* pro milite, aulico idiota. Menagius in *Etymol. Gall. voc. Clergie.* & pluribus de Fresne in *Glass. med & inf. lat voc. Clerici.*

(86) Loco supra citato.

prolixè in Curiâ, de causâ quadam, eruditeque, inprimis ut ipse putabat, dixisset, ut collegis autem ejus videbatur, ineptissime, dimisso senatu, auditum fuisse in angulo palatii de successu tam doctæ orationis sibi plausum dedisse, tandemque pietatis memorem exclamasse: *Non nobis Domine, non nobis, sed tuo nomini sit laus & gloria!* Neque desunt alibi passim in Curiis, qui opinione Doctrinæ sibi placentes, neque judicio præditi sano rectoque, pro sententiis suis textus rationesque juris, ambitiose non minus quam infeliciter allegando, cùm partibus perversè consulunt, tum *Pædantismi* manifestos sese produnt, tantò vehementius quò pertinacius sæpe pro suis nugis pugnant, nulloque modo ferre possunt, si qui eruditissimis eorum ratiocinationibus contradicere in animum induxerint. Hæc etsi de *Jurisprudentiâ* potissimum disseruimus, nihilo secus in artibus reliquis usu venire probatu facile erat, si tempus audientiæ superesset. Duntaxat in Oratoriâ facultate, quam latè patet observatio dicti Tulliani, quo *Eloquentiam semper ineptam* ille princeps oratorum judicavit, *nisi quando est necessaria* (87) profecto non est intolerabilior *Pædantismus*, quam orationibus homines obtundere, ubi non congruunt, vel ultrà negotii modum explicare dicendi copias. Quo genere ineptæ ostentationis, fateor, ordinis nostri homines frequenter auditores suos enecare; quin etiam ex *politicorum* numero non pauci in eundem lapidem offendunt. *Henricus Magnus* rex Galliarum rogatus audientiam à legatis Massiliensium paulo ante meridiem, cum ad prandium ipse festinaret, jusserat eos admitti, sperans, ut moris est apud Principes, eos breviter absoluturos. Sed orator eorum ita ordiebatur; *Hannibal proficiscens Carthagine;* Tum Rex, *Hannibal,* inquit, proficiscens Carthagine *jam pransus erat, Ego sum pransurus;* & cum dicto abiens oratorem cum suis pudore confusum reliquit. (88) Haud dispar nepotis *Ludovici Magni* exemplum, cum is nuper, Iperis & Gandavo captis, Lutetiam properaret, Insularum Magistratus, ut publice relatum est, in viâ constiterant Regi congratulaturi; Stabat

(87) Vid. Cicero *sub init. libri II: de Oratore.*
(88) Plura ejusdem Regis hoc genus apophtegmata recenset Perefixius ad calcem *Historiae Henrici IV.*

orator, parans exordium, quod rex altius ductum iri animadvertens, *Satin vobis placent*, inquit, *Gandavum & Iperæ captæ? Imò verò* illi; Etiam mihi, *inquit* & pergebat. (89) Teneamus igitur, quicunque in actionibus publicis privatisque affectat videri doctus & eloquens, eruditionesque miscet, ubi necesse non est, *Pædantismi se* alligat, & hujus rei quam multiplex usus abususque sit pro sese cuivis observare licebit. Idem *affectationis vitium* facit ex hominibus doctis in commercio vitæ communis & conversatione civili *Pædantas*, quando in habitu, incessu, vultu, motu corporis, ipsoque sermone singulares amant esse, contraque judicium commune se conspiciendos ridendosque præbent. Injurii sunt *aulici homines*, aliique peregrinis culti elegantiis, quando eruditos, qui talia civilitatis imitamenta nesciunt usurpare, quasi *Pædantas* intuentur, modo in illorum simplicitate nihil affectati vel contorti appareat. (90) Nam etiam hac parte verissimum est illud, τὸ δὲ φύσει κράτιστον ἅπαν, *quicquid cum natura convenit, optimum est.* Non excludimus utique diversitatem hominum atque professionum, neque mutationem vultus, cultus, incessus, sermonisque, secundum illam varietatem; modo in omnibus conveniens decor, & moderatio civilis nihil abhorrens ab usu recepto servetur. Nam quicquid eminet, ut quæsitum, offendit oculos, statimque *fastus* & αὐθαδείας suspicionem parit, vel *ineptiæ* præsentem utique imaginem exhibet. In oratione, sicut animi characterem natura inprimis expressit, ita nihil frequentius in hominibus eruditis degenerat. Vel sola pronuntiatio spectetur in his, qui ad populum de sacris verba faciunt, quam sæpe enormis, inflata, detorta & affectata sit, ut odium sui tædiumque aliquando nulla re alia in auditoribus excitare videantur. (91) Prorsus opera danda est, ne eruditio nostra cuiquam gravis aut molesta sit; nec scio, an non huc, ipsum *Latini sermonis* commercium redigere nos oporteat, ut nec illud *pædantismi* sit expers, si absque necessitate frequentetur apud homines, quibus in promptu non est facultas hujus linguæ, vel qui promiscuo ejus usu non delectantur. Dolendum equidem est, hoc commune

(89) Anno 1678. dum pacis negotium *Neomagi* trahitur.
(90) Exemplum *Adriani Turnebi* habet Montanus *d. lib. 1. cap.* 24.
(91) Vid. Petr. Burmannus V. Cl. in *Orat. in Studia humanitatis.*

ne gentium Christianarum vinculum ita resolvi in desuetudinem, ut etiam inter homines doctrinam professos Latine loqui, de rebus à studiorum disceptatione alienis, *pædagogicum* habeatur. Quæ opinio ex Italiâ in Gallias & Germaniam derivata, & in Hollandia nuper recepta, in hanc quoque Frisiam moris antiqui tenacissimam alioqui, nuper invasit, irrupit. Quando ita se res habet, & hic mos jam plane inveteratus est, viri prudentis officium existimamus esse, eo modo cum hominibus agere versarique, ne sui ipsius odium atque fastidium præbeat. Judicavit ita jam olim *Jacobus Augustus Thuanus*, qui refert in *vitâ sua*, cum ad *Carolum Sigonium* eloquentiâ literisque politioribus inclytum virum Bononiæ aditurus esset; *cum intelligerem*, inquit, *hominem ægrè latine loqui*, *malui Italice cum eo balbutire*, *quam minus familiariter cum tanto viro agere*. Nonne meminimus *Salmasium*, humanioris doctrinæ, Artiumque eloquentiæ Principem habitum, cum in Belgicam venisset, ægrè cum hominibus Latinè loquentibus verba commutare potuisse, solitumque esse percunctari, siquis eum ita compellaret, nunquid Gallicè sciret? (92) In Germania cum *Freinshemio*, cum *Böclero*, aliisque hominibus, qui vitam omnem in Eloquentiæ Romanæ studiis transegerant, idem mihi ferè contigit, quod *Thuanum* de *Sigonio* narrantem audivimus. Utique postquam *Böclerus*, in musæum me suum invitans, dixisset aliquando vernacule, habere se illic hominem Belgam; atque roganti, unde? nescio, inquit, subridens, at Belgam oportet esse, cum nihil quam latine loquatur; per me scilicet ingrato hominis colloquio expediri volebat. Sit igitur jam porrò, si diis placet, *Latine loqui Pædanticum*, vel hac causâ, quam diximus, vel ea, quam *alius homo*, in literis jure suo magnus probabat, quoniam latina lingua aliter quam studiorum causâ sermone trita, miserrimè luxatur & laceratur à vulgo eruditorum, quasi præstet eam prorsus ut linguam mortuam cedere gallicismo, quam imperfectius usurpari. Nam id jam *Galli* magno successu agunt, ut suam linguam loco Romanæ universalem dominantemque in Europâ faciant, quod utinam aliquando majoris & *dominantioris successus*

(92) De *Jo. Ge. Grævio* id ipsum aequales uno ore commemorant.

omen, initiumque fuisse non videatur! (93) Quod si unquam fieri potest, ut Latini sermonis usus quibusdam gravis videatur, nolite tamen existimare, *Juvenes Ornatissimi*, propterea segnius huic linguæ excolendæ vobis incumbendum esse. Namque necessitas eleganter florideque scribendi nihilo minor hodieque manet, quàm fuit unquam; loquendi etiam, ubicunque de studiis quæritur, ubi de rebus magni parvique momenti ex rationibus eruditis, Artiumque fundamentis agendum & disceptandum est. Neque profecto faciendum, *Auditores*, ut nos privari patiamur, ejus linguæ privilegio, quod studiosos à profanâ plebe distinguit, & quod *Gallicismus* nemini vestrum præstare potest, quo feminæ, milites, aulicique bonarum ignorantes rerum, facile vobis antecellent. Demus hoc socordiæ seculi, & tralatitiæ humanitati, ut eorum qui latina reformidant pudori ignoscamus; sed nunquam inter nos invicem illam gentis gentium dominæ linguam cessemus redderè nobis familiarem; sine cujus exprompta facultate omnis eruditio nostra tanquam situ squalida sordescit, & sapientia balbutire videtur. Teneamus saltem ex eloquentiâ modum, hactenus, ut ne ostentemus, ne obtrudamus eam; sed ita nos comparemus, ut in tempore locoque, gravi illâ & adhuc imperium orbis resonante linguâ, res magnas facunde, copiose, voce calamoque, tractare & illustrare possimus. Nec est quod amplius imposterum nescio quod *Pædantismi* apud vulgus odium revereamini, quando *Frederici Imperatoris* vere Magni, quod agnomen invidia Pontificum negavit huic Heroi, glorioso patrocinio adversus inimicos literatorum tuti & honorati esse potestis. Imo præsentius & efficacius tutamen atque præsidium nobis omnibus comparatum est, postquam Tu HENRICE CASIMIRE, Princeps Illustrissime, *postquam Tu splendidissimis avitæ hereditatis, atque delatis à Republicâ titulis, nomen Curatoris Academiæ, sed honorarii, sed Magnificentissimi addere non adspernatus est. Et cui potius conveniebat, hanc Tibi dignitatis accessionem gratulari, quam ei, quem sors benigna eodem anno præesse Lycæo voluit, quod post supremum Numen* dein-

(93) Quantum isto abusu & studiis, & moribus, regimini politico denique, fuerit nocitum, viri cordatissimi, *Cramerus*, in *Vindic. Nom. Germ.* *Tolandus*, in *Gallo Aretalogo.* & *Burmannus*, *Praef. in Justin.* & alibi. prudenter monuerunt.

deinceps in Te suum decus tutelare, suam in prosperis auctoritatem, in adversis rebus præsidium collocabit & venerabitur? Habemus omnes in memoria, quam liberaliter, quam honorificè, & amanter gloriosæ recordationis Parens Tuus *rem Academicam tutari non contentus, etiam augere, quotiens usus ferret, & exornare solebat. Non est animus equidem, nec opportunum fuerit, Academica damna, quæ post sapientissimi Principis lamentabile fatum tulimus, ingratâ commemoratione repetere. Sed erigit in spem novam perculsas tempore suo Musas, Tua, generose Princeps, indoles, quam luculenta primæ adolescentiæ incrementa, quæ inter nos emicuere, jam tum egregie patefecerunt. Optamus utique ac etiam sperare fas sit, quæ, cessante Curâ Magnificentissimâ, res nostræ detrimenta cepere, divinâ quidem bonitate potissimum, sed Te, MAGNANIME PRINCEPS, duce & auctore postliminio reditura. Restitutum iri adempta postliminio,* inquam, *ominamur, ut quæ suspensa magis violentiâ belli, quam sublata penitus & extincta credere nos jubet amor ille vetus Frisicæ gentis adversus literas & literatos. Tu verò, cui bono,* HENRICE CASIMIRE, *nuncupationes ornamentorum tuorum literario nomine claudi & obsignari passus es, quàm ut prætextum benefaciendi Musis earumque alumnis sub titulo Curatoris haberes? Serviet hoc nomen tibi, credo, velut arcanum aliquod potentiæ, vel ingens privati subsidium ærarii; quærendum inde videlicet, ubi nihil lucri proponitur quam bona mens & paupertas. Enimvero ipsum nomen Curatoris palam loquitur, esse munus quod suscepisti, non honorem esse delatum, cujus omnis excellentia in beneficio exercendo orditur atque consumitur. At ne parum Te,* HENRICE PRINCEPS, *Curatorem forte præsumas, scito, pupillam tutelæ mandatam esse Tuæ, obnoxiam contemptui & injuriis, innocentia male tutam solâ, denique tanta auctoritate Tutoris & indigam nec indignam. Quin aut me vehementer opinio fallit, aut nimio generosus erit Nassavius sanguis, quam ut magno apparatu, nomen otiosum, sine re, sine virtute sibi datum videri patiatur. An loquerentur solum homines* HENRICUM CASIMIRUM *Academiæ Curatorem esse creatum, idque brevi auditu alii transmitterent, non loquerentur, Eum esse & Eum agere Curatorem? Hoccene reputatio honoris in tanto fastigio, in tam acri ingenio ferret, ut novissimus hic titulorum, velut inane complementum, reliquis subjiceretur? Quin potius, sicut Illustres Patriæ Patres judicavere, Principis &*

& Comitis & Hereditarii Gubernatoris sui decus, additamento literarii characteris non dehonestari, sic etiam hoc mihi sapientissimis hominibus propositum esse videtur, ut attenuatam Academiam integris ornamentis suis novâque beneficentia complectantur & erigant & pristino splendori restituant. Quod ut Tu, MAGNIFICENTISSIME CURATOR, adjuvare, promovere, perficere velis, ut pupillam, quae se totam Tibi dedit, à Te tota pendere cupit, patrocinio curâque tuâ benefice magnificeque foveas, id ipsas Te Camenas rogare, obtestari, supplicare puta.

D I X I.



UL-

ULRICI HUBERI

DE

Vitâ gloriosa, exitu tragico

CELSISSMI HEROIS

GULIELMI FRIDERICI,

D. G. Principis Nassovii &c. Nationum, quæ sunt inter Flevum & Amasin, Gubernatoris &c. &c.

ORATIO,

HABITA,

Ex decreto Senatus in templo Academico
A. D. XIV. Kal. Jun. CIƆ IƆC LXV.

Præfatio ad Ordines & Principem.

O*Ffert se vobis gloriosæ recordationis* PRÆFECTUS *ac* PARENS *vester*, *exhibitus nostræ vocis officio*, *si mearum id erat virium*, *qualis* Ipse *fuit*, *qualem vos* Potentissimi Patres, *vivum mortuumque judicastis*, *qualis Tu* Celsissime FILI *esse debes & aliquando futurum speramus. Nimirum*, *si intentus in vestigia*, *quorum in exempla natus es*, *severa lege experiaris*, *utrum efficacius ad virtutem sit*, *bene institui*, *an feliciter nasci. Quorum ab altero nihil* Tibi *voto reliquum* Natura *fecit*, *alterum Pietas* Illustrissimæ MATRIS *& excitatissima indoles tua*, *magnitudinis in quam aleris capacissima*, Reipublicæ *præstabit*; *cum qua tam arte conjunctus es*, *ut omnis ad eam ætatis* Tuæ *bona & adversa pertineant.*

Non

Non est dubitandum, si quis cœlo receptis humanarum rerum sensus relinquitur, quin beatissimus GULIELMI FRIDERICI *animus, hoc pio gratitudinis vestræ,* PATRES, *in prolem suam consensu mirifice delectetur, seque modo ad sidera vocatum vivere adhuc in* Filio *gaudeat, cui vota, in quæ pridem successerat tam fideliter tam prompte repræsentastis. Non vos serum in ætatis expectatione præsidium, non excogitatus Reipublicæ metus, aut ambitiosa libertatis ostentatio retardavit, quominus etiam ante tempus inveteratum* Reipublicæ *institutum, & merita* Quatuor HEROUM *agnosceretis. Interea, dum* Adolescentis vestri *cum annis maturescet auctoritas, pari consiliorum tenore, quod* populus *confidit, non expressam necessitate, sed judicio constitutam, non remedii, sed beneficii causa & in* pacis *ornamentum spem* Domus Illustrissimæ *continuatam ostendetis. Sed non morabor gravissimas quæ* Vos *occupant, belli atque pacis curas, nec gravem luctus memoriam renovabo; Solis precibus & voti pietate defungar;* DEUS Pacis, DEUS belli, Stator & Vindex *antiquissimæ libertatis nostræ,* Sapientissimi Proceres, *Consiliis vestris propitius adsit, Pacem domi stabiliat, foris nubem illam trucis & cruenti belli* Concordiæ *lumine dispellat, tueatur beneficia sua, datisque tam largiter incrementis perpetuitatem addat. Te autem,* Optatissime PUER, *omnibus ingenii fortunæque bonis augeat, inque mores ac instituta* PATRIS *euntem perficiat ad lineas vivo* Illo *jam ductas, quibus virtutum ejus effigies includi possit. Provehat excellentem naturam in similitudinem tuorum, & efflorescens erupturæ virtutis germen ad eam maturitatem perducat, ut non minor ac olim è* Tua *messe seges percipiatur. Hoc populus optat, hoc precatur,*

Illustrissimi PATRES,
Celsissime PRINCEPS,

Civis & Cliens vester humillimus

ULRICUS HUBER.

Tan-

ORATIO XI.

TAndem se luctus Frisiæ justitio & solenni funeris religione solutus è privatis gemitibus & secreto civium stupore in apertos questus effundit. Qui *Domus Illustrissimæ* cladem confuso adhuc murmure miserabantur, tandem ægre animos repentina mali enormitate attonitos ad reputandam publicæ calamitatis magnitudinem attollunt. Deflebant modo *Generosum Principem*, cui toties flagrantissima belli & nunquam detrectata pericula pepercerant, quem toties infesta prælia & redundans sanguine hostilis campus intactum remiserant; nunc domi suæ, tutissimo refugio, suâ, sed innocenti dextera, tot servatis civibus inclytâ, in ipso larium obtutu miserrime prostratum. Lugebant, *inquam*, omnes & manant etiamnum lacrymæ præsagis de communi Patriæ fortuna curis iteratæ. Qui enim quatuor & viginti annis grandi mortalis ævi spatio, saluberrimis experimentis senserant, *nihil majus humano generi quam gravem & providum Principem cælesti beneficio præstari*, haud immerito nullum funestius, post hunc horribilem ictum, divinæ ultionis omen & argumentum expavescebant. Perinde, sicut defectiones naturalium siderum non tam adspectus horrore quam portenti interpretatione populorum animos percellunt, ita cum nunc quasi Sol de cælo Reipublicæ excidisse videretur, non modo tam clari luminis occasum, sed florentissimis opibus suis cladem diuturnæque felicitatis commutationem FRISII pertimescebant. Meminerant Seniores quique ab illis accepere, destitutam alias Gubernatorum mortibus Rempublicam, bellis quoque finitimis implicitam & discordiis civilibus agitatam; sed, imminente semper vestigiis defuncti Successore, qui ætate rerumque experientia par tantæ moli, quod ereptum omnes querebantur in promptu repræsentaret. Nunc optimum & tot annorum pace probatissimum Principem repente sublatum sentiunt, herede quidem orto ex illis, sed nondum tali, qui se Domumque & Securitatem publicam sustentare queat.

(Ff) In-

Incomparabilem Frisia jacturam in excessu quondam GUILIELMI LUDOVICI (a) eximio cunctorum ordinum mœrore contestata est; recenti imprimis eorum temporum memoria, quibus, incumbente cervicibus Patriæ Hispano hoste, nullum defensionis præsidium, aut spes solatii quam in *Illius* fortitudine consilioque suppeditabat, quæ cum novissima prosperitate collata, quanto cogitantes majore lætitia perfundebant, tanto Ejus gloriam & admirationem intendebant. Sed neque deerat fati munere quod amissi desiderium leniret, Frater successioni admotus, ita domi militiæque cognitus, ut omnes *personam Senis non virtutem Gubernatoris mutatam faterentur*; nec anxie *Gulielmi* prudentiam requirerent, qui succedaneam ERNESTI vigilantiam intuebantur. (b) At cum hunc improviso nobis ictu *Ruremunda* abstulisset, Respublica maximarum rerum conatu involuta veterano equidem fortissimoque duce intempestive destituebatur & *Frisiæ* potissimum ingentes luctus inexspectata calamitas parabat, nî medela salutaris interventus fuisset *Acerrimi Juvenis*, cujus nota generositas præclara quæque Reipublicæ pollicebatur. Sed postquam HENRICUS (c) in ipso pulcherrimarum rerum primoque ætatis flore extinctus, spem qua *Belgarum* populi mirifico in ipsum consensu erant defixi, abrupit, *Frisiæ* tamen gravissime perculsæ tam opportune fatum domus *Nassoviæ* succurrit, ut futuri certa & secura, pene solo præsentis doloris sensu defuncta videatur. Supererat enim consilio animique magnificentia *Alter*, ac velut *Idem*, flos Illustrissimæ familiæ, decus ac deliciæ Pacis atque belli; in quem æque Patria prosperis ambiguisque rebus asseverate recumberet; ac ut verbo complectar, in quo non *Fratris* modo, sed & *Parentis*, Magnique *Patrui* instar pariter

(a) Qui patre natus *Joanne*, avo *Gulielmo*; Sigenae anno 1560. Frisiae, Groningae, Drenthiaeque Praofectus; sterile expertus matrimonium cum *Anna* consobrina, Patrui *Gulielmi I.* Arausionensis filia, decessit Leovardiae anno 1620.

(b) *Ernestus Casimirus*, prioris frater, & in Praefecturis successor, natus Dillaeburgi anno 1573. matrimonio usus *Sophiae Hedwigiae*, de qua infra, in obsidione Ruraemondana occubuit anno 1632. inclutae gentis suae felicissimus propagator.

(c) Filius *Ernesti* natu maior *Henricus Casimirus*, virtutum atque dignitatum paternarum heres, in lucem editus Arnhemii anno 1611. coelebs in castro S. Annae Flandrorum ex vulnere hostili periit anno 1640.

riter elucebat, GUILIELMUS, inquam, FRIDERICUS, (d) quem modo suæ nostræque fœlicitatis gloria florentem acerbissimo casu nobis suisque ereptum deploramus. O instabiles fatorum vices! ô funestam humanarum rerum inconstantiam! Qui tenebras olim, tam insperato Reipublicæ offusas auspicatissimo lumine discusserat, nunc ipse nos multo tristiori caligine involvit, nec reperit, cui facem novæ luci accendendæ, cui lampada tam fœliciter nobis prælatam tradat. Amiserat olim *Atlantem* suum Respublica, sed præsto erat, cujus humeris attolleretur, novisque incrementis augesceret; jam ne hoc quidem solatio allevamur, ut sit, à quo Respublica perinde ac alias sustentetur, cujus juventa, cujus robore subnixa, novaque securitate læta invalescat. Haud immerito igitur multo quam antehac altius hodierni mali sensus *Procerum Populique* animos penetravit, non modo quod tristis & pene tragica casus recordatio ferali omnes horrore perfundit, sed quod Patria vulnus corpori suo tam graviter impressum haudquaquam pari ac olim medela redintegrari sentiat. *Amplexa est memorabili gratitudinis consensu spem unicam quæ offerebatur, superstitem, propitio Numine, dignitatis ac virtutum, ut ominamur, paternarum Hæredem*; Sed efficacia subinde saluberrimi temperamenti, quo per annos octuaginta (e) adversis secundisque rebus inconcussi stetimus, hoc fatali deliquio interrupta, imminentem è propinquo & versum jam rerum statum ancipiti experimento committet. Verum hæc & alia *Magnus* futuri *Arbiter*, & *Sapientissimi Proceres* optimo publico moderabuntur. Nobis *Beatissimo Heroi* persolvendum est; *quod consensu generis humani Magnarum Animarum memoriæ debetur, ut cujus virtutes atque res gestas, dum in terris egit, admirati sumus, ejus cœlo recepti laudes grata commemoratione celebremus.* Romani Imperatores, qui salvis successoribus suis moriebantur, solenni ritu, divinitatis elogio, mortalium superstitioni consecrabantur, proculdubio adulatione adversum

 here-

(d) Patri, Fratrique in Praefecturis suffectus, lucem vidit Arnhemii anno 1613. ductaque *Albertina* Arausionensi, *Friderici Henrici* filia, pater extitit *Henrici Casimiri*, avus *Jo. Gulielmi Frisonis*, & abavus imperantis cum maxime *Gulielmi Caroli Henrici Frisonis*. Reliqua auctor hoc sermone fusius persequitur.

(e) Ab *Unione Trajectina* usque anno 1579. inita. Inf. *not.* (g)

heredes quam credulitate vel affectu erga defunctos. (f) Nostro pietatis officio testimonium fidei ac veritatis, amor, quo vivum mortuumque universi sunt prosecuti, abunde conciliabit, adulationis necessitate causisque jam procul habitis; at ne amori praejudicio indulsisse videamur, non ut Deo vel Heroi cœlis dicato superstitiose blandiemur, sed ut hominem, ut civem, ut parentem vel denique *ut meretur* laudabimus. *Utinam vero id Tuæ, PRINCEPS Gloriose, post fatum memoriæ præstare dicentis imbecillitas possit, quod* Tu *novissimo, quo me dignabare colloquio, ne superstiti eveniret, subvereri videbaris; ne in historico quod meditarer scripto, tuarum laudum studio à Te gestæ ultra quam par esset verborum commendatione extollerentur.* Tu *quidem generosissima moderatione res tuas faciei qualem fors dedisset, meum stylum pictori comparabas, cui proclivius foret affectatis coloribus imagini lenocinia circumdare & spectantium admirationem conciliare, quam dissimulatos ipsius vultus nævos judicantium æstimationi subtrahere.* Sed quanto me potius anxium tenuitatis meæ conscientia habebit, ne dicta factis parum exæquem, & incomparabilem meritorum tuorum amplitudinem verborum minutiis frangam! Amplissimus *Academiæ Senatus* innumeris à Te beneficiis auctus, quam unicam contestandæ gratitudinis rationem sua in facultate habebat, nequaquam cum vitæ tuæ tempore dimittendam nominis tui memoriam putavit, sed gratias laudesque meis verbis publico nomine Tibi quidem justissimo affectu decrevit, at mihi gravissimos adversarios, suum de magnitudine gloriæ tuæ præjudicium, & nescio quam majorem de studii nostri professione expectationem constituit. Sed erit humanitatis vestræ, *Auditores*, ita huic orationi aures animosque dedere, ut ne exercitationem, qualis in me esse debebat, eloquentiæ, sed difficultatem enarrandi laudes, nedum exornandi, quas in hoc Principe omnes post hominum memoriam agnovere, animadvertatis. Equidem utcunque nostros conatus alii interpretabuntur, tantum apud me, aut ratio suscepti muneris, aut obsequium Senatus, aut potius grati erga defunctum *Heroem* animi reputa-

(f) Omnium industriam in explicando hoc ritu facile superavit V. Cl Jo. Dan. Schoepflinus, in *Tract. Hist. de Apotheosi Impp. Rom.*

putatio valebit, ut qualicunque facundiæ opinione cedere, quam tot nominibus obstrictus parum officiosus haberi malim. *Facile contemptum rumoris & securitatem acrioris censuræ animus in utramque partem sibi conscius induit, cum majus in verecundia ignaviæ, quam in audacia temeritatis periculum ostentatur.* Quapropter *cœlesti ope, quod in dicendo non minus, quam in rebus agendis fieri par est, ritè implorata*, vestroque, *Humanissimi Auditores*, audientiæ favore, opus arduum & anceps, non pro rerum majestate sed ingenii nostri facultate, aggrediemur. Nec est, cur pigmentis Rhetorum, & affectatis aliunde coloribus masculam exornationem enervemus, quatenus magnificentissime laudandi partes, qui fidelissimè narraverit impleturus videatur. Proinde nec refertæ imaginibus domui perlustrandæ, nec cumulandis veterum Nassoviorum decoribus, avitisque nobilitatibus commemorandis immorabimur: *Quippe adventitiam dignationem ei colligere, qui incomparabili suarum virtutum splendore posteritati præfulgebit, supervacuum ac ambitiosum arbitramur.* Quanquam facilem ab *Auditoribus* veniam sperabamus, si ex Illustrissima stirpe *Principem* gloria præcipuum, sed NASSOVIORUM inter nos, pene dixeram, *ultimum* laudaturi, parce breviterque de Majoribus, qui tantum nobis Heroëm dedere, loqueremur. Non ut Soli facem præferamus, & decantatissimæ Gentis origines operose evolvantur; sed occasiones, quibus in tutelam *Belgicæ* libertatis est propagata, inter innumera fertilissimæ domus incrementa collocemus. Magnificum & memorabi'e ob auctoritatem *Jacobi Augusti Thuani* familiæ hujus elogium est, (g) quo *divinitus* eam Vir Clarissimus *multitudine bellicosæ sobolis, virtute, auctoritate, felicitate destinatam* ait, *quæ fastum & enormem domus Austriacæ potentiam retunderet atque coërceret.* (*) Tamen id nulla Europæ in parte clarioribus experimentis ac in *Belgica* comprobatum est, nec usquam crebriora victoriarum monumenta, suoque jure superbiora de impotenti gente excitata ostenduntur; quo justiore necessitudine argumenti hujus præfatio popularium recordationi insinuan-

(g) Addesis plura aliorum testimonia apud Jos. de la Pise in *Hist. Princ. Arausi. p. 209. seqq.*

* *lib. 136. p. 1184. seq. ad ann. 1606.*

da videbatur. (h) Satis quippe constat NASSOVIORUM familiâ vetustiorem aliam ac nobiliorem per Germaniam ab his octo sæculis annalium memoria claruisse nullam. Utique cum *Henricus Auceps* subtractam *Caroli Magni* posteris, sibi auctoritatem Imperii vindicasset, jam tum *Otto Primus* hoc nomine Comitisque dignitate à Scriptoribus eorum temporum luculenta cum laude memoratur, isque Patrem, Avum, Proavum hæreditariæ potestatis Antecessores recensebat. (i) Atque hi tam clara fertilitate effloruerunt, ut plures ex ea stirpe Illustrium familiarum rami velut arbore fæcundissima germinaverint, quas inter *Zutphaniæ* Comites, *&* *Gelrorum* Domini excelluerunt. (k) Quin & Cæsarei fastigii decus auspicato *Adolphus* in eam intulit, vir cunctis, quicquid invidia calumnietur, imperatoriis virtutibus egregie instructus, *qui sic meruit, ita gessit Imperium, ut non tam prospera expertus quam adversis conflictatus longe super utramque fortunam emineret.* (l) Ille Augustus recto ex se processu alios edidit; sed ex Patruo ejus *Othone* discenderunt, qui ipsam *Nassoviam* triplici amne & jurisdictione distinctam tranquillo usque hodiernum diem imperio moderantur. (m) Ex his *Engelbertus* amplissima ditione *Bredana* jure uxorio auctus, *Belgicarum* rerum primus occasionem posteritati patefecit. Nam filius ei cognominis fortitudine sapientiaque insignis à *Carolo Pugnace* filiaque ejus *Maria* & *Austriaco Maximiliano* rebus magnis *Flandriæque* Præfecturæ admotus, dein à *Philippo* in dotalem Hispaniam profecto *Belgicæ* universæ Gubernator & proprincipe constitutus est. Ex fratre hic nepotem *Henricum*

(h) Egregie illustravit haec omnia Herm. Conriugius *lib. II. de Finib. Imp Germ. lib. II. cap* 25. §. 6. *seqq. tom. I. Opp. p.* 402. *seqq.* & in *Thesauro Rerum publ. tom. IV. Opp. p.* 242. *seqq.* juncta Apologia Gulielmi I. adversus Bannum Philippi II. Leidae in 4. anno 1581.

(i) Praeter citatos adeundus Jac. Gul. ab. Imhoff in *Notitia Procerum Imperii, lib. V. cap.* 5. *p.* 410. *seqq.*

(k) Vid. Jo. Is. Pontanus *lib. VI. & VII. Hist Gelr.*

(l) De *Adolpho Nassavio*, Rudolphi Habsburgici legitimo successore, & iniqua ejus exauctoratione, clade ejus denique & caede, in praelio adversus *Albertum I. Austriacum*, anno 1298. professa opera commentatus est Celeberr. Gundlingius in *Selectis Observatt sect. IV. p.* 91. *seqq*

(m) Seriem incluti stemmatis post alios integram repraesentat laudatus Imhoffius *d. l. p.* 411. *sqq.* cui addesis Spenerum in *Op. Herald. Spec. lib. III. cap.* 26.

ricum tam felici judicio adoptavit, *ut non opum magis & potentiæ quam virtutum quæ difficilius præstantur, fortunæque heredem elegisse videretur.* Siquidem is à *Carolo* Cæsare acerrimis pace belloque ministeriis probatus *Brabantiæ* totique *Belgarum* exercitui præpositus, contra *Gallos* & *Gelros* pro magnitudine Burgundica tunc primum adolescente pari prudentia ac felicitate laboravit. Filius ejus *Renatus*, cui ad paternas divitias Principatus *Arausionensis* & opulentissimæ in *Sequanis* possessiones accessere, cum juvenis ac cœlebs pro Cæsare dimicans occubuisset, Patruelem *Gulielmum Nassovium* Belgarum postea vindicem & Liberatorem gloriosissimum habuit successorem. (n) Cui fratres omnino quatuor cum fuerint, Gallicis Belgicisque expeditionibus inclyti Duces, manu pulchri, consilio prompti, omnes vitam implacabili in Hispanum odio & multiplici illius clade, nostra pro libertate effuderunt. Solum *Johannem* beatissimi *Herois* nostri Avum numerosa sobole beatum (o) arctissimaque fratris *Orangii* amicitia publicaque in nostrates munificentia memorabilem secundiora Belgicæ fata superstitem voluerunt. Quippe, cum Principes & nobilissimi quique proscriptionibus cecidissent, aut exiliis fracti & patrimoniis evoluti, se orbamque plebem asserere non possent, in desperatam Ille causam non modo pecuniarum, quod corradere sua fide periculoque posset, elargitus est, sed nec discrimini ipse suo neque sanguini pepercit; *nunquam vel ætatis vel carissimorum pignorum respectu, privato incommodo publicas calamitates finire cunctatus.* Nam sparsis consumptisque malo intestino Fœderatorum viribus,

(n) Tanti Herois elogia apud *Thuanum* & *Grotium*, ceterosque omnes maxima. Res gestas *Meursius* peculiari opere persequutus est. Conf. Ev. Reidanus *lib. III. Ann. Belg. p.* 59. Ceterum qui Mosi olim, & Davidi, huic etiam livor ausus detrahere, opere vernaculo trium voluminum, *de vita Gulielmi I.* Non tamen efficient unquam sat scio zoili hodierni, ut divino per Auriacos auxilio sese, maioresque suos indignos fuisse, ingrati posteri testentur.

(o) Ex tribus enim uxoribus *viginti & unum* liberos suscepisse legitur; ceterum *Joannis* hujus pater *Gulielmus Dillasburgensis*, quem cognomento *Seniorem* adpellitant, ex altera uxore *Juliana Stolbergia* duodecim utriusque sexus liberos; horumque mater septuaginta septem nepotes, centum porro & sexaginta pronepotes, superstes marito vidit. Filiorum quinque illius *Gulielmi* natu maximus *Gulielmus* fuit *Arausionensis*. Vid. Imhoffius *d. l. p.* 424. *seq.* De *Joannis Nassavii* meritis & obitu Thuanus *d. lib.* 136. *p.* 1184.

ribus, molestissimam *Gelriæ* provinciam nefaria Præsidis defectione destitutam, misericordia quam præmii expectatione, quæ afflictissimo tempore insana fuisset, amantissime suscepit, sapientiaque sua atque solertia perculsa & perturbata restituit ac ordinavit. (p) Quo rerum articulo saluberrimum fœdus Trajectinum, quo stetit integro sæculo inconcussa salus *Patriæ*, æterno de nobis merito & promovit potissimum & princeps subsignavit (q) tunc rebus pro tempore stabilitis beneficioque suo defunctus domestica quiete laureatam senectutem resovit. (r) Interim è Dillenburgico suo velut è specula quadam animo semper studioque nobiscum agens utilitati fortunæque partium invigilabat, longeque maximum prosperitati nostræ momentum & exercitibus robur attulit, quod florentissimos vigore annorum & virtute Filios, in quibus magnorum instar auxiliorum esset, ad arma & ad pericula intrepide suppeditaret. Quorum alios, superstes ipse, navata præclare opera, æternitati vidit consecratos, duo pari gloria, præmiisque belli, & opulentissimis provinciarum imperiis ornati, haud pœnitenda *Parenti* officiorum redhostimenta exhibuerunt. Hi fuere *Guilielmus Ludovicus*, & *Ernestus Casimirus*, (ſ) quorum ita res gestæ sæculo innotuere, *ut quicquid in perfectis Imperatoribus laudari potest, eorum nomina brevi auditu repræsentare videantur.* Hi sunt, quos *Frisia* nostra præ cæteris, indefessos libertatis suæ, contra inexhaustam vim *Hispanicam*, Assertores experta, stipendiis quoque & honoribus auctos *ad Principalis prope fastigii decus, quatenus salva potuit libertate*, provexit. Quanto id

(p) Praeter Ev Reidanum *lib. II. Ann. p.* 22. videsis Pontanum *lib. XIV. Hist. Gelr. ad ann.* 1578 & Slichtenhorstium *p.* 538. *fin.* Ceterum *Praeses* hic intelligitur *Aegidius Hyerzius*, Barlamontii filius, Megani Comitis in Gelriae praefectura successor. Defectionem ejus & perfidiam describit Slichtenhorstius *d. l. p.* 538. *junc. p.* 522. *&* 535. mortem denique in obsidione Mosa-Traiectina, ad ann. 1579. *d. l. p.* 545.

(q) Anno 1579 d 23. Jan. Gelriae suae nomine Joannes Comes cum quatuor Deputatis primo loco subscripsit.

(r) Rationes abdicatae Praefecturae habet Reidanus *lib. II. p.* 36. *seq. ad ann.* 1581. Conf. Slichtenhorstius *d. l. ad eund. ann. p.* 553. Successorem habuit consobrinum, *Gulielmum*, Comitem Bergensem. sed impari consilio atque successu. Reidanus, & Slichtenhorstius *dd. ll.* Diem obiit *Joannes* Dillaeburgi, anno 1606. Vid. Thuanus *dict. sup. loc lib.* 136. *p* 1184 *ed. in* 8.

(ſ) Vid *sup. not.* (*a*) *&* (*b*)

id *Ipsorum* merito factum, quam inexpiabili ingratitudine neglectum foret, post depulsum cervicibus publicis impotentissimi hostis dominatum, longum est ad alia properantibus prosequi. Sed *Ernestus*, à quo solo post fata, vel decretorios Fratrum cœlibatus, posteritas sperabatur, maturâ juventâ familiæ amplitudinem Illustri affinitate propagavit. Erat prima natu *Henrici Julii Brunsuigiorum* Ducis filia, corporis forma & virtute imprimis animique vera magnitudine præfulgens, SOPHIA HEDWIGIA, quam ex Serenissimi Daniæ Regis *Christiani Quarti* sorore *Elisabetha* susceptam, *Ernestus* præclare nuper de Socero rebus ejus turbatis meritus, impetravit; ac ita gentis suæ necessitudinem, à multis jam sæculis pleraque Christiani Orbis Imperia contingentem, denuo non modo *Danorum* sed & *Angliæ* (t) regno, aliisque per Germaniam nobilitatibus inseruit. Nullius est tam expers *Frisicarum* rerum memoria, qui non ipse recordetur, aut creberrimis populi sermonibus prudentiam, pietatem, modestiam hujus *Heroidis* cum pari conjunctam generositate acceperit. Versatur adhuc in ore & quasi in oculis omnium, *quanta gravitate incredibilem erga infimum quemque comitatem*, *incorrupto* Principis, *honore temperarit*, ut discerni non posset, affectu ne an reverentia studioque majori an veneratione certatim coleretur. Ex his igitur Majoribus, è tam Generosis utrinque Parentibus *Pulcherrima Proles nata est melioribus annis*: lucem, inquam, adeptus est GUILIELMUS FRIDERICUS *a. d.* VII. *Id. Augusti*, *anno præsentis seculi tertio & decimo*, quo Belgica recentibus induciis à vetustissimo bello feriabatur (u) sed vicina Germania turbamentis armorum ob causam *Juliacam* agitata (x) mox ab obitu *Rudolphi* Cæsaris altiora calamitatum semina recipiebat. (y) Id non sine industria fortunæ *Infanti* Nostro

(t) Etenim *Sophiae Hedwigis* matertera *Anna*, Regi mox Angliae, tum Scotiae; *Jacobo VI.* nupserat, anno 1588. Vid. Jonsthon. *lib. V. Rer. Brit. p.* 140. & Thuanus *lib* 96. *p.* 726 *ad ann.* 1589

(u) Praeter *Dominicum Baudium*, *pecul tract* & Jo. Meursium *lib V. Rer. Belg.* de duodecennalibus hisce induciis egit quoque Auctor noster in *Hist. Civ. part. II. Lib. II Sect II. cap. XIV. p.* 372. *seqq.*

(x) Vid. illustris Auctor. *d. l. cap I. p.* 338 *seq.* Monumenta tantae controversiae Cl. *Dithmarus* Annalibus Teschemacherianis editione ultima subiecit.

(y) Bellum indicat *Palatino Bohemicum*, sive tricennale, ab anno 1618 ad annum 1648.

contigisse videtur, quod qui pacis atque belli ornamentum erat futurus, natales eo tempore sit sortitus, quo à castrensi strepitu tantum otii supererat, ut interim adolescere, pacisque & literarum acrioribus studiis, quam si Mars viguisset, exornari potuerit: at rursus bellum expectaretur, cum prætextatus & mox togæ maturus audire, spectare res gestas, capere præcepta, *Patrisque* & Magnorum *Patruelium* disciplinæ adsuescere liceret. Insignita est tam auspicato nativitatis decore *Arenacum*, urbs antiqua & florentissima *Gelrorum*, quæ & spectatrix accuratissimæ educationis, quam læta virtutum spe in exemplum sæculi, & præsidium Patriæ â tenella jam infantia succreverit, testari potest. Haud frustra qui formandis fingendisque Principibus, quorum humeris arduum cuncta regendi onus sedebit, incubuere, *attentissimam primæ ætati, præsertim in regnatricibus familiis, curam adhiberi præceperunt.* Nam cum Reipublicæ in universum, nihil præ puerili institutione majoris omni ex parte sit momenti, quis licentiam principalis aulæ, & mores inde in populum validiores legibus emanaturos, satis acri custodiæ intentione æstimabit? Atque hic iterum gratia & honos peculiariter habendus est *Matris* Pientissimæ Manibus, quæ, marito in Republica aut foris occupato distractoque, curas suas omnes in liberis ordiebatur & consumebat. Tanta cum sollicitudine & assiduitate tenellis animis virtutum, quæ fortunæ ac spei convenirent, semina instillabat, posteaque tam moderatis capaciorem ætatem institutis regebat, ut nihil consummatius quævis exercita & virilis disciplina præstare potuisset. Quanquam vero perfectiorem Sua, *Generosique* Mariti, imaginem desiderare non posset, aderat tamen & illustris alia domesticæ æmulationis occasio. Nam primogenitus *Bohemorum* summi ingenii Princeps (z) in hac aula per biennium & ultra commorabatur, in quo nihil quod spei tantæ ad quam

1648. tandem Westphalica Pace, *Monasterii* cum Gallis & Hispanis, & *Osnabrugae* cum Suecis, eodem anno compositum Vid. Auctor *d. l. sect. III. cap.* 1. *p.* 382. & *part. III. lib. I. sect. VII. cap. VII. p.* 590. *seqq.*

(z) *Fridericus Henricus*, postea anno 1629 d. 7. Jan. prope Amstelredamum, in traiectu Teyae extinctus, locum fecit fratri secundo *Carolo Ludovico*, futuro deinde Electori. Vid. Jo. With. Imhoff. in *Notitia Procer. Imp. lib. IV. cap. I.* §. 15.

quam natus, cui inauguratus erat, responderet, curæ ac institutionis omittebatur. Quippe hanc Paterni officii partem satis constat optimum *Regem* singulari studio implevisse, ut si regiam Filio, quæ debebatur, fortunam præstare non posset, regiarum tamen virtutum, quibus non modo regere sed & regnum spernere posset, cultum ei præsidiumque pararet. Hoc imitari quin superare conati Illustres Herois Nostri Parentes, quamprimum anni capiendis doctrinæ præceptis idonei videbantur, Viros prudentes literatosque moribus ordinandis Filiorumque eruditioni præfecerunt. Duo erant nascendi exiguo, ingeniorum multo, ut mirari liceret, minori discrimine, *Henricus*, & noster quem *laudamus* atque lugemus, inquam *Gulielmus Fridericus*; quorum tam suavis fuit animorum studiorum in adolescentia conspiratio, tanta sine invidia contentionis æqualitas, ut semper alterum velut melior alter accenderet, materiamque & ardorem imitationis per vices suppeditarent. Hinc tam paria virilium virtutum & magnifica in hanc Rempublicam beneficiorum documenta extiterunt; ut ambitiosa antiquitas, in immensum omnia augere solita, *Dioscuris* fratribus vaniora fortean ampliora nequaquam, imputare potuerit; cum divinitatem illis & cœlestes honores superstitiosæ posteritati creditos & frequentissimis religionibus cultos affinxit. Sed *Henrici*, cujus gloriosissimum viget nomen, laudibus explicandis non defuere decora ingenia, quorum facundissimæ recitationes cum rerum granditate certantes in omnium manibus & admiratione versantur. Nos odio comparationis, iterataque ruditatis, ac pro tantæ rei mole infantiæ excusatione supersedentes, de *Gulielmo Friderico* institutum prosequemur, id modo à vobis *Auditores* officiose stipulati, ut *quod orationis tenuitas rerum gravitati detraxisse videbitur, vos providâ existimatione benevole suppleatis*. Dixi, prudentes literatosque eductores Herois Nostri adolescentiæ impositos, quorum primas tenuisse, cujus nomen honore publicæ mentionis non indignum videtur, *Johannem* reperio *Boguslaum*, hominem Matheseos peritissimum, nec humanioribus literis persunctorie cultum, quique non animum modo variarum rerum cognitione impleverat, sed & judicio ad civilitatem polito multaque morum elegantia commendabatur. Ta-

lem enim esse oportebat, qui Principum ingeniis studiisque non ad umbratilem vitam sed Reipublicæ palœstram regendosque populos informandis præponeretur. Sub hoc moderatore GUILIELMUS, capace rerum omnium solertia, per linguarum artiumque, quarum usui destinabatur, elementa facile ducebatur; & *Teutonicæ* quidem *Gallicæque* linguæ, quibus postea & *Anglicanam* adjecit, nativam elegantemque loquendi facultatem brevi assecutus; *Italis* quoque, civilis sapientiæ opinione laudatis, hactenus se applicuit, ut nihil temere audientem legentemque falleret; quin & *Romanos* civilium bellicarumque rerum scriptores sine interprete tractare, & cum delectu præcipuaque observatione legere consueverat. Nimirum recenter meminerat, quam memorabili cum fructu, *Guilielmus Ludovicus* (aa) quem unice imitandum sibi & describendum proposuerat, utriusque linguæ vetustos scriptores eruditorum quorundam sagacitate adjutus tractasset, æmulatus esset, ac inde nobilem & antiquariam militaris disciplinæ novitatem, quæ in dirigenda, vertenda, promovendaque acie, certaminum simulacris urbiumque oppugnandarum compendio frequentatur, gloriose eruisset. Sed hæc accuratius, ut ætas subinde increscens ferebat, ad graviora ac maturiora traductus postea docebatur; interim alia primum, quæ Ecclesiæ *Patrono*, Reipublicæ *Præfecto*, & bellorum *Duci* olim futuro propius conveniebant, sensim instillabantur. Ita religionis sacris capitibus civilibusque præceptis, maxime Belgarum moribus publicisque institutis studiose imbuebatur, tum & facta celebriora veterum Heroum & recentioris historiæ memorabilia paulatim avido talium exponebantur, ut puerilis animus per se generosus præsumptione quantumvis tenella gloriæ ad magnarum rerum desideria inflammaretur. Observatum à prudentioribus jam tum ex primis egregiæ indolis incrementis fuerat, eum omnia quidem summa, sed nihil immoderate, nihil luxuriose aut insolenter, nihil denique præcociter polliceri. Facile, quæ inculcabantur accipiebat, ut sequeretur tamen magis quam præcurreret, conspectiore semper verecundia præ audacia, sed ita ut

(aa) Vide sis Orationem Panegyricam *Sibrandi Tetardi Siccama*, editam Leovardiae anno 1610. in 4.

ut nec temere efferretur nec inutili pudore intempestive tardaretur. Scilicet, vera suberat naturæ vis & efficacia, quæ penitus animo immissa altioribus quam ut convelli posset radicibus innitebatur. Proinde à minimis lente progressus consistentem profectum annis comparabat, atque tunc fidentior & elatior factus ad difficiliora liberius provehebatur. Non, ut summo solo sparsa semina celerius effusa, inanibus aristis ante messem flavescunt, ita & noster Adolescens parva facile præstabat, ut ad veram frugem nunquam perveniret; sed adeo moderate ad sublimiora consurgebat, ut continuis incrementis admirationem sui intenderet semperque appareret, eum plura & majora secuturis experimentis reservare. Inter *Romanos Scriptores*, quibus maxime gaudebat, *Cornelium Tacitum* & moralia *Senecæ* non otium modo diurnum sed nocturnas *sæpe* vigilias Ejus occupasse totumque sibi mancipavisse accepimus. Et supersunt rerum argumenta, Codices quibus usus est squalidi, ita lineaturis insigniti, & observatricis manus vestigiis referti, ut quantopere ad hortamenta virtutis & penetranda civilis doctrinæ arcana profecerit, clarius ex oculari documento quam laudantis asseveratione intelligi possit. O pulchram vereque admirabilem in adolescente Principe sapientiam? Qui dulcedine honesti commotus, quod tempus Nobilior juventus intempestivis tribuit conviviis, quod pilæ, quod aleæ, tantum Ille sibi ad studia virtutis & prudentiæ excolenda inter tot circumfusas voluptatum illecebras, in tanta fortunæ licentia sumpserit, ut nec otium, nec ludus, nec commodum, nec ipsa prope requies animi & corporis eum unquam retardaret. Atque illud mihi imprimis, quam exactæ prudentiæ argumentum contineat, attendite *Auditores*, quod tantopere duobus illis *Scriptoribus* non præceptorum instinctu, sed peculiari judicio fuerit delectatus, cum & *Reipublicæ* jam admotus pari tamen ardore eos legere perseverarit; quorum alterum virtutis ac honestatis, scientiæ regnandi alterum, ex omni antiquitate magistros consummatissimos, nemo paulo humanior ignorat esse. At quo pacto luculentius testari potuisset, sese ita existimare, in bono Reipublicæ moderatore *duas* hasce *res* inesse oportere, curam honesti, *&* notitiam imperandi; *quæ* singulæ sejunctæque aut calliditate vetera-

ratoria aut simplicitate exitiosa, sub falsâ virtutum umbra, Rempublicam perdere vel dehonestare solent. At *Ille* quam perfectam salutaris ac optimi *Principis* imaginem ex tam præclara continuaque meditatione animo intimisque sensibus impresserit, non verborum inani ostentatione, sed vivis *Patriæ* experimentis creberrime repræsentavit. Evagabar longius in admirationem præstantissimi Scriptorum delectus, sed in ordinem maturior *Herois* Nostri educatio me vocat. Igitur initiis, quæ memoravimus, supra quam fert captus adolescentiæ, in aula paterna tam eximio cum successu peractis, *Lugdunum Batavorum* ad uberiorem ingenii artiumque nobiliorum culturam se contulit, illa maxime opportunitate invitatus, quod Serenissimi *Bohemiæ* Principes tunc ea in urbe potissimum rudimenta juventutis absolvebant. Prætextatus adhuc, ingenio provectior quam annis, è penatibus dimittebatur, cum mox equorum armorumque tractandorum exercitiis, artibusque præsertim, quæ pugnandi, muniendi, omnisque architecturæ militaris rationem docent, accurate excolebatur. Neque enim ea carere laude *Nassovium* Juvenem consentaneum erat, quæ *Nassoviorum* familiæ suffragio sæculi propria, & artium decus & *Ipsorum* gloriam in immensum propagavit. In his integro biennio apud *Lugdunum* exacto, *Groningæ* aliquandiu haud minore cum fructu commoratus est, mittendus inde ex voluntate Illustrium Parentum in *Angliam Galliamque*, decreto jam, quis itineris dux, qui comitarentur. Quippe in tam læto animi ingeniique *Principe*, cui ratio confirmatioque doctrinæ aderat, ex politiorum gentium convictu plurimum cultus elegantiæque summis naturæ disciplinæque dotibus accessurum videbatur. Sed hoc propositum gravissimis de causis maturior consultatio discussit. Nec sine Deo variatum fuisse res atque brevi postea docuit insigniter eventus. Nam si peregrinationi eâ tempestate se *Fratres* commisissent (neque enim à *Guilielmo Henricus*, Alter à se Ipso, divelli poterat) anno scilicet illo memorabili, præsentis sæculi *vigesimo nono*, absentia in id tempus incidisset, quo *Illustrissimus Parens* fato pro *Patria* occubuit (bb) pulcherrimæque suc-

(bb) Anno scil. 1632. in obsidione *Ruræmundana*, uti supra dictum est, initio huj. Orat.

succeſſioni *Filiorum* Primus debuit admoveri; quod comparatum erat, ut præpoſtere ac infeliciter cederet, eoſque vi potentiſſimæ æmulationis, ſpe forte an & re ampliſſima, quas in *Friſiorum* animis opibusque fixerant, evolvere potuiſſet. Igitur *Parens* in tempore *Juvenem* è ludo atque pueritiæ diſciplina *Reipublicæ* belloque adhibiturus, proxima expeditione in caſtra *Eum* & obſidionem *Buſcoducenſem* (cc) ad ordienda tyrocinia contubernalem adſcivit. Quod equidem & omine auſpicii & magnitudine rudimenti memorabile fuit: eo potiſſimum anno, quo nullus poſt homines natos celebrior in *Belgio*, vi *Hiſpanica*, periculo noſtro, & illa admirabili obſidione, monumentis annalium eſt proditus. Sed *Guilielmus* per ætatem res gerere prohibitus, minime tamen otioſum tantarum rerum ſpectatorem egit, verum judicio bellicæque rei ſcientiæ firmandis, quicquid inſignitum hac æſtate, ad *Sylvam Ducis* præſertim occurrebat, non contentus animo infigere mox in diaria curioſe referebat; ut non momentaneæ utilitati, ſed in perpetuum erudiendo ſibi rerumque militarium uſui inſerviret. Haſta Generoſiſſimus *Puer* ſcutoque nondum poterat, igitur quod proximum fuit, ſtylo & pugillaribus militem repræſentat. Valla firmare, cuniculos, munitiones inſtituere voto dudum & ſpe jam propinqua ordiebatur, interim quod in terra & in pulvere cuperet, in tabulis chartaque lineas ducebat & juxta foſſores verba fodiebat. Quin nec manibus armisque diuturnam aut *Ipſe* ſibi, aut fortuna Patriæque neceſſitudo moram conceſſit. Quippe *Hiſpanis* ingenti cum ſucceſſu & terrore hominum in *Velaviam* incumbentibus. (dd) Illuſtris *Erneſtus* cum parte copiarum, finibus earum partium tutandis, animisque civium confirmandis, ab *Arauſionenſi* Principe legabatur. Ivit ſocius periculorum & laudis GUILIELMUS, qui difficillimo tempore videns eo prope deventum, ut nec ætas hominum neque dignitas à militandi munere excuſaretur, juxta *Fratrem* ultra ab armis & laborum ſocietate cohiberi non ſuſtinuit. Igitur cum

(cc) Anno 1629. Vid. Auctor in *Hiſt. Civ. part. II. lib. II. ſect. III. cap.* 18. *p.* 436. *ſeqq.* Profeſſa opera hanc obſidionem illuſtrarunt Dan. Heinſius, & Lambertus Barlæus.

(dd) Auctor noſter in *Hiſt. Civ.* d. l.

cum expedita equitum manu explorandi carpendique hostis caussa alacriter egressi, continuo in *Hispaniensem* turmam prosperis suorum rebus ferocem inciderunt. Quam læti discriminis novitate *Juvenes* tam acriter & opportune invasere, ut plerisque deturbatis atque cæsis, ipse ductor cum superstitibus captivi à victoribus in castra raperentur. Cum hoc pulcherrimi ominis specimine haud degeneres ad pericula, sed generosorum instar catulorum indagandi hostis & pugnandi avidos validosque se probassent, laus quidem & ovatio communes utriusque honori, præmia *Henrico* nascendi privilegio prima & præcipua cesserunt. Nam ut Germanicæ legionis imperio à Senatu *Ordinum Generalium* honoratum hunc prætercam, *Frisiæ* PATRES incerta belli metuentes, & si quid de Magno *Parente* fieret, ne de successione laboraretur solliciti, hæreditatem omnium paternarum dignitatum, quarum *Ipsi* potestatem habebant, *Henrico* decreverunt. Quippe non spe saltem vel augurio quantus ille futurus esset præsumebatur; sed adulta *Juvenis* ætate domi jam tum humanitatis, in bello tam conspicua fortitudinis documenta ediderat, ut de virilibus experimentis nihil humile nihil vulgare sibi Patria spondered. Cui quam præclaræ expectationi responderit, fatoque in medio cursu sit destitutus, alii tradiderunt, & nos ubi ad hunc articulum communis Fratrum fortuna *Guilielmi* historiam perduxerit, in loco memorabimus. Cæterum, cum tricesimo primo sæculi anno anticipatus *Procerum* favor Illustrissimum *Patrem* de *Filii* spe securum reddidisset, sequenti vere, inopino casu, si quid in bello inexpectatum dici potest, sane quam immaturo paternæ imitationis copia multorum instar præceptorum futura *Novo Gubernatori* subtracta est. Quod utcunque atrociter Rempublicam percelleret, adeo tamen à pænitentia festinatæ electionis *Frisii* abfuere, ut *Groningani* mox *Drentique* suis suffragiis illorum judicium enixe confirmaverint. Si hoc loco virtutes *Herois* nostri ad communes humani ingenii characteres æstimandas exigendasque censerem, quibus laudibus magnanimitatem *Ejus* in toleranda carissimi *Parentis* flebili jactura, & gratulatione fraternæ prosperitatis, non vultus & verborum fictis imitamentis, sed intimo sensu gaudioque exprimenda celebrarem!

Quan-

Quanquam luctus impotentia fortissimos sæpe animos emolliat atque frangat, *Guilielmus* tamen quanto altius dolorem animo sentiebat demissum, tanto fortiora non ex dissimulatione, qua crescit quem profiteri nolis mœror, sed è bello publicisque occupationibus solatia captabat. Jam de vulgatissimis *fratrum* & quidem *Principum fratrum* æmulationibus dicere quid attinet; Quis populus ab ultima antiquitate, quae civitas tam modica traditur, cujus non primae origines aut secuta incrementa pluribus feralium contentionum exemplis fœdissima inclaruerunt? Sed nihil opus est à *Cadmeis* usque temporibus, repetitis ad rem testimoniis, quæ & nostra & omnium seculorum licentia tantum in juris opinionem forte nondum invaluit, ignosci sane & excusari tanquam merito postulat. At contumeliam *Herois* nostri virtutibus impingi existimarem, si hac parte incredibilis *Ejus* animi moderatio velut imputanda sollicite laudaretur: cum nulla re *Fratri* quam brevissimo nascendi minor intervallo, *Eum* & Familiæ Principatu summisque jurisdictionibus ac imperiis ornatum, *Sese* in equestri relictum fortuna, non modo sine morsu invidiaque, sed maxima quoque lætitia & exultatione videret. Quam sermone, vultu rerumque demonstratione palam præ se ferre non contentus, ut candidissimum pectus, velo quasi detecto renudaret, etiam publice præclaram ex *Cornelio* suo sententiam pro symbolo & velut icone ingenii aperto adoptavit; statum domus & suum tempus adumbrante GLORIA PARENDI. *Macte* Gloriose Princeps *hoc sapientissimo inanis gloriæ contemptu, ut veram merearis, spargasque in posteritatis memoriam sempiternam. Tu bello & laboribus Rempublicam humilis attollere, quam de magnitudine potentiaque laborare. Tu* Parendo *dignus imperio haberi, vel aptus ad imperandum fieri, quam intempestive imperium affectare maluisti. Poteras æque prosperis* Germani *rebus* Te *socium ingerere, quam in adversis, si incumberent, aliquando eras futurus; sed nihil tibi ex fortuna* Ejus *quam gaudium & quietis honorem vindicasti. Tu calcata ambitione, & mediocritate Tua multo quàm conveniret altius* Te *involvens, tantum de armis, laude, gloria cogitabas. Hic stimulus nobilem animum noctes diesque agitabat, ob hunc neque laboribus frangi, neque curis & vigiliis angi, neque de vita ipsa periclitari, si* Triplici Patriæ *cum* Fratre *communi expediret, re-*

cusabas. *Macte iterum* Magnanime Princeps *& dum licet inter equites tuos, nihil cæteris quam valore præstans, media turma delitesce; at brevi erit cum mutatam sortem, licet non plane ex voto, & cum virtute Tua fortunam videbimus adæquatam*. Sed revertamur ad ordinem, & fortitudinis specimina, unde nos modestiæ admiratio abduxerat, denuo percurramus. Prima post hæc militiæ palæstra celebris *Mosæ Trajectus* fuit (ee) quo, nondum justis *Parenti* factis, belli & honoris necessitas *Generosum Juvenem* vocabat. In hac post *Buscoducensem* clarissima obsidione, qua spectante *Imperiali Regioque* exercitu ad deditionem munitissima civitas compulsa est, ingens statim belli decus, partem uti castrorum tutaretur, novo Gubernatori delatum est, *Henrico*, inquam, *fratri*; verum ita, ut laus GUILIELMI non minus quam labor & opera ab incorruptis rerum æstimatoribus ex æquo celebrarentur. Peculiare id omnino fortuna *Herois Nostri* habuit, ut tyrocinia aspera & memoranda incurreret; *Buscum Ducis* ante triennium quam grande rudimentum! mox *Veluvica* expeditio rebus gerendis aditum, id est, victoriarum dedit; nunc *Mosa* recentem *Martii Juvenis* virtutem exercuit, exquisitis ubique periculis & pari fama. Sequenti anno *Berca Rheni*. (ff) Hispano milite infessa in *Ordinum* potestatem redacta est, ubi *Noster Juvenis* ita in suis partibus animo consilioque excelluit, ut nec inconsulta temeritas animadverti posset, nec prudentia supra ætatem juvenili quicquam ardori detraheret. Sed video, *Auditores Ornatissimi*, si continuam tot annorum, tot expeditionum seriem subsequamur, si cuique æstati sua decora, factorumque clarorum elogia impertiamur, ne cogitatione quidem dicendi finem præsumi posse. Compendium Orationis opus est, ne magnitudo laudum numero vilescat, ac intentio admirationis audientium fatigatione remittatur. Tu clade tua & miserrimæ captivitatis malis inclyta *Thena* (gg) testis esto, quam promptus ille quam ferox ferro tuos, licet extra sortem nec jussus, in prima corona muros invaserit, tuos-

(ee) Ibidem *loc. cit.*
(ff) Illustris Auctor in *Hist. Civ. part. III. lib. I. sect. VII. cap. I. p.* 567. *init.* & post alios Clericus *lib. X. Hist. Fœd. Belg. ad ann.* 1633. *pag.* 545. *seqq. edit. in* 4.
(gg) Auctor. *d. l. Sect. V. cap. I. p.* 509. *sub. fin.*

tuosque propugnatores, qui nec vim ferre poterant nec pacem in tempore voluerant, acerrime deturbarit. Iterum testare, cum oppressa hostilibus armis sanguine tuo redundares, quanto *Ille* majorem ac tui defensores, qui pars & causa exitii fuerunt, salutis curam gesserit, quam incredibili studio laborarit, ne crudelitas & insolentia victoriæ, omnem sibi fructum laudis eriperet, neu pudorem atque pœnitentiam pro gloria relinqueret. Tam adverso indignoque animo, voce, manu, corpore, sævientium se furori, cum *Fratre*, cujus proprium agebatur imperium, interponebat. Sed necesse erat, hunc formidabilem in *Brabantinos* motum tam inauspicata victoria terminari, ut interceptum ab hoste tutissimum veteris *Bataviæ* castrum omnes conatus & ingentium rerum molimina ad domesticas curas limitesque *Patriæ* vindicandos revocaret. Nihil attinet his immorari, cum majus specimen *Breda* recuperata exhibeat, quam Magni *Arausionensis* arbitrio nostri *Fratres*, profligatis impedimentis, cingere occupaverant. Nunquam alias dignior *Illis* explicandæ virtuti campus scientiæque bellicæ major palæstra evenerat. Ideoque incredibili cum studio muniendis vallo fossaque castris, inundandis agris jaciendisque castellis audacissime celerrimeque incubuerunt, ut omnia *Magno Principi* post triduum toto cum exercitu affluenti integra & opportuna præstarent; frendente licet *Infante Cardinali* è proximo turbandis munitionum initiis intento, atque pati coacto, ut totidem hebdomadibus *Breda Arausionensi* cederet, quot mensibus Egregium *Spinolam* sustinuerat. (hh) Ab hoc tempore prosperrimum victoriarum *Auriacarum* cursum aliquot annorum irritis expeditionibus, fortuna velut fatigata interrupit, licet nostrorum *Fratrum* plurima virtute eorum dignissima memorari possent. Sed ordo nos trahit ad fatalem *Henrico*, & quantulum absuit *Guilielmo*, quem animus horret ingredi annum, quo ut gemini *Soles* alter ad occasum vergens, alter pulsa nocte exoriens pulcherrime resplenduerunt. (ii) Annus erat *quadragesimus* sæculi, & biennium, ex quo nullum hostis notabile

(hh) Idem *loc. cit. sect. VII. cap. II. p.* 573.

(ii) Ibidem *cap. IV. p* 581. copiose Clericus *d l. lib. XII. ad ann.* 1640. *p.* 671. *seq.* praeeunte Livio ab Aitzema *tom. II. lib. XX. p.* 703. *seqq.*

tabile damnum præter morem superiorum temporum acceperat. Igitur majoribus *Princeps* intentus *Henricum* Comitem, intellige & *Guilielmum*, primo ad Liviæ amnem, mox in *Namense* promontorium, *Hulstam* obsessurus præmisit. *Henricus* cum *Alterivium* Gallorum Tribunum ad *Nassovicum*, sic nomen erat, munimentum ab hoste infessum dimisisset, Ipse ad *Moerense* castellum privilegio noctis rapiendum contendit. Et *Gallus*, cui prona cuncta evenerant, facile inrupit, parvo celeriter excusso superatoque præsidio; Sed noster *Gubernator* detectus ab hoste, cum minime incustoditæ tenebræ, & inopina quædam majora quam essent offunderentur, res adeo infestas reperit, ut in exitium dare militem temerarium existimaret. At *Galli*, ut est gens immodica & ventosa, jactatione postea & importunis tribuni laudibus generosum & prope nimis avidum gloriæ pectus tam acriter pupugerunt, ut quasi non dudum inusitata imperterriti animi specimina præbuisset, etiamnum recentem probandæ fortitudinis occasionem duceret expetendam. Aditus erat invadendæ urbi necessarius vallo præsidioque munitus, quem expugnandum ex impetu magis Heroico insolentiaque contemptus quam officii necessitate à *Principe* impetravit. *Guilielmus* frater, Ejus lateri perpetuo junctus, omniumque hactenus laborum & discriminum socius, crudum quidem hoc calidumque nimis judicabat, cæterum paratior in interitum ruisset voluntarium, quam à *Fratris* honore suum periculum distingui toleravisset. Nocte intempesta fortissimi *Juvenes*, digni æquiore virtutis palæstra, cum selectis cohortibus ad feralem pugnam exibant. Sed præmoniti hostes auxerant numerum, instructisque ordinibus nostros excipiebant, qui flagrantissima cohortatione, multoque *Ducum* acriori exemplo & amore eorum inflammati fortissime & prope furiose dimicabant, adeo ut hostem licet vigilantem paratumque retro cum ingenti strage compellerent; sed cum ad ipsum quod præcipue impetebatur Vallum felici impetu penetrassent, hic demum rapidissimus sistebatur audaciæ cursus. Nam cum numero par *Hispanus*, equitatu modo, qui nostris deerat, auctus, se loci fiducia tutaretur, fratres aggerem impugnantes, ut si murum succederent, certis & gravibus superne telis proturbabant, donec impar & iniquum cer-

certamen *Heroes* eaque manu post acerrimam contentionem victoria se nunquam potituros agnoverunt. Igitur intentatum nihil relinquentes & ultimam vim experti, tandem signo receptui dato, sensim, ne pro victis fugere crederentur, retro cesserunt. Quod conspicatus hostis non modo postremos ac latera impulit, sed mox terga circumgressus equitatum illis violenter & ex transverso immisit; qui cum in tenebris nocte illuni parum discerneretur, evitari non potuit, quin fessis peditibus integri equites immiscerentur, & quicquid *Dux* uterque increpando universos, retinendo singulos obsisteret, nec virtute nec pudore sufficiente, tandem nostros turbarent, scinderent atque dissiparent. Priusquam tamen solverentur violentissime & heroice certabatur. In fronte omnium cum *Fratre Guilielmus* non tam verbis, quorum tempus effluxerat, quam factis & audacia admirabili conspiciendos se præbebant, manu, voce, valore pugnam sustentantes. Cincti erant fortissimis fidissimisque viris, qui non strenue tantum sed præsertim amanter pugnabant. Nec aliunde, quanti fuerint hi *Duces*, quantaque virtute prædití, rectius colligas; quam, ut de *Cyro* veteres prodiderunt, è delectu & præstantia amicorum, qui propter eos honestis vulneribus prostrati, mortem tali amicitia dignam oppetere, quam fuga saluti consulere maluerunt. Dum pro se quisque laboraret, *Noster* æterna laude dignus *Guilielmus*, per totum agmen oculis, manibus, clamore volitabat. Quo flagrantius periculum tanto præsentiori animo, circumfusis à fronte ac à tergo hostibus, in omnes partes, *Fratrem* respiciens, *Fratri* tantum metuens, velut sibimet vilis audacissime se vertebat. Donec circulo armatorum undique conclusus, & quocunque faciem verteret in ferrum & ignem offendens, tandem constantia incredibili, impetu equi & nisu corporis viam sibi honorificam per medias hostium catervas, madens eorum sanguine fecit; de *Henrico*, quem frustra respiciebat, unice anxius, unice sollicitus, cujus miserabilem exitum patrato demum prælio cognovit. (*) Quam parum hic vitæ *Guiel.*

(*) Quae a praelio mortem *Henrici* proxime antecesserunt, videsis apud Aitzema, *d. l. p.* 704. *tom. II.*

lielmus præ honoris sui cura pepercerit, tertius in fervore conflictus, duobus confossis, equus aliaque hostilium ictuum decora in æternum testabuntur. O si & *Fratris* spiritum, quem supremum excipere coactus est, servare & meliore sui sanguinis parte redimere licuisset! Quanto lætior currum triumphantis eques subsequeretur, quam mœstus exsequiarum officium debito pietatis obsequio implevit; *Fratrem* non potentiam ejus amaverat, & hanc igitur diuturnam & longam *Ei* vitam, longam ex animo gloriam precabatur. Sentio me difficulter hoc aliis probaturum, qui ambitionem supra omnes affectus hominum mentibus irradicatam, præbitamque hoc inopino cladis eventu magnarum rerum occasionem recordabuntur. Sed nihil hic adulationis ludibrio, nihil amori & blanditiis tribui, facile qui præterita cum præsentibus secutisque rerum momentis utraque contulerit, existimabit. Qui nascentem *Fratris* dignitatem non modo æquis adspexerat oculis, sed gaudio & gratulatione prosecutus erat, qui & indies augescentem intentioribus officiis coluerat, proque ejus incolumitate salutis propriæ curam abjecerat, quid ni exquisiti mœroris & sine exceptione fidem reperiret? Utcunque secuta essent tempora, quæ citra adversitatum nebulas continua serenitate recentissimi luctus & tot periculorum tempestatem mitigassent! Sed procul ipsi tanta fortunæ indulgentia, cujus magnitudini quanto propius admovebatur, tanto jucundiorem sibi vitæ fructum, tranquillitatem animi & invidiæ securitatem ereptam sentiebat. Vixerat hactenus decora mediocritate *Parendique Gloria* contentus, laudatus, amatus ab summis, ab infimis, cultus & honoratus non pro hoc saltem quod erat, sed velut esset quod merebatur. Nunc, cum divina providentia majori fastigio viam aperuisset, per homines ei, quo virtutes vocabant contendere non licebat, atque tandem experimento contrario didicit, quam verè dictum sit illud *O quantum bonum est obstare nulli!* Nolo gravis esse attentioni vestræ, *Ornatissimi Auditores*, commemorandis æmulationibus & injuriis horum temporum contra honestissimos *Principis* & *Frisiæ* nunquam pœnitendos conatus. Sed quanto fuerit opus prudentia, quanta moderatione, quam incredibili sit usus patientia in sustinenda potentiorum iracundia,

dia, inferiorum calumniis omniumque adversantium machinationibus, eorum tacitæ æstimationi, quibus perversitas hujus anni memoriæ constat, relinquam. Ignoscent mihi dotes tuæ *Gloriose Princeps*, quæ nunquam clarius enituerunt, nunquam carius tibi constiterunt, pulcherrimum laudandi illas campum prætervehenti, ne sanatam dudum plagam & obductas vetustate rerumque mutatione cicatrices convellere videamur. Tu interim licet animo inconcussus & hac parte invictus, corpore tamen, cujus non idem erat vigor, infracto & gravi valetudine seu vehementiam doloris ex funeris vulnere, sive importunam difficultatem in tam inique comparato certamine testabaris. Hoc primum felicitatis novæ blandimentum, hoc osculum fuit, quo in ipso exorientis potentiæ limine fortuna salutavit. Retinuit illa consuetudinem suam & cum hominum opinione se totam largiri videretur, læsit atque momordit Te, non utique fefellit. Quin forte an rectius, consuluisse tibi dixerim, mature experimentum levitatis exhibentem & quatenus vel suo vel hominum lubrico favore subniterere in antecessum erudivisse, ne toties laudata modestia, & frenator ambitionis animus, quem natura tibi inserat & Parendi assuetudo firmarat, vi prosperitatis & potentiæ labefactarentur; sed quæ *Obsequii* artes privato hactenus gloriæ fuerant, imperiis nunc admoto præsidia & instrumenta novæ auctoritatis forent. Sed quid moramur expectationem *Auditorum*? Illustres *Frisiæ* Ordines inde à primis rerum suarum incunabulis ad securitatem pacis atque belli, provinciam suam peculiari egere cura, foris armorum Præfecto, domi moderatore assiduo clavoque velut affixo crediderunt. Cui Majorum instituto vetustate salutaris experientiæ roborato insistens modo posteritas, GUILIELMUM FREDERICUM hæreditate fraterna auctum dignitatibus quoque & imperiis iisdem præfectum ornatumque voluerunt. Ad quem enim potius recurrerent, quam qui juventute in oculis *Frisiæ* lætissima spe exacta, dein *Republica* fortissime & amantissime cum *Fratre* adserta & administrata, tantum non manu monstrabatur ac populo velut communi *Patriæ* voce votoque inculcabatur. *Hic est, quem si mea salus cordi vobis & curæ, optimum rebus seu compositis sive turbatis* Moderatorem *imponetis. Hic est, si bene-*

ficii gratia quæritur, *quem merita* Patrum, *sua virtus*, *denique* Reipublicæ *utilitas unice commendant. Agnoscite in hoc redivivam maximi* Patrui *prudentiam*, *fortissimi* Parentis *industriam*, *Generosi* Henrici *alacritatem. Quæ singula experti estis salutaria*, *hæc universa unoque contracta ingenio suscipere*, *amplecti*, *fovere dubitabitis? Si amantem*, *si conjunctum*, *si innexum* mihi præsidem *optatis*, *cujus æque spes ac fortunas* Frisiæ *obstrictas & affixas reperietis? Qui ita semper habitus*, *ita ab infantia institutus & imbutus*, *eo domus suæ fato redactus est*, *ut omnia se in vobis habere*, *omnia se à vobis expectare fateatur. Alius ne affectu*, *cura*, *fide pari*, *vestræ securitati invigilabit*, *aut possit feliciter*, *qui vix norit* Rempublicam, *cui hic est innutritus? Frustra foris quæritur quod domi & in sinu tenetur.* Sed vix opus erat tam accuratâ commendatione. Merita *Guilielmi* & necessitudo publica sic omnium oculis animisque obversabantur, ut prima die *Patres* in curiam vocarentur, postera de successione referretur, tertia luce *Noster Princeps*, reluctantibus in cassum intercessoribus (kk) *Gubernator Frisiæ* & *Imperator supremus* declararetur. Sic tandem cum juventutis omne spatium glorioso *Obsequio* transegisset, satis diu varieque *Parendo* exercitatus ad maturas imperandi vices traductus est. Medius inter militem hactenus & *Imperatorem* egerat, & ad militem similior, ut imperio admotus, esse statim *Dux* posset, nihilque discendum haberet tempore docendi. Equidem susceptum laudationis officium civilibus magis quam bellicarum rerum elogiis impendendum videbatur, *cum frequentius magnos viros arte qua civem regant & pacem ferre doceant*, *quam qua hostilem vim propellant &* Patriæ *fines suamque gloriam*

(kk) Obnitente in primis *Frederico Henrico* Principe Arausionensi, universalem omnium Provinciarum Drenthiaeque praefecturam sibi Filioque suo *Wilhelmo II.* propalam acriterque ambiente. Et quanquam a *Frisiae* Ordinibus Henrici Fratris successor *Fridericus* noster *Guilielmus* designaretur, *Groninganam* tamen, *Drenthinamque* Gubernationem Arausionensis, cum spe successionis in filium propagandae, tum quidem *Nostro* praeripuit, demum post mortem *Wilhelmi II.* cum *Frisica* iterum conjungendas. Vid. Auctor in *Hist. Civ. dict. sect. VII. cap. IV. p.* 381. *seq.* juncto Aitzema *tom. II. dict. lib. XX. p.* 704. *& plur. seqq.* Conf. Auctor. *d. l. part. III. lib. II. sub fin.* Neque sane alia Frisios ratio subegisse videtur, ut praefecturam suae Provinciae hereditariam in *Henricum Casimirum*, Nostri filium adhuc annis minorem, matrisque Albertinae regimini tutelaeque subjectum, conferrent, quam excludendi *Wilhelmi III.* gratia; anno 1673.

gloriam provehant, *destitui videamus*. Sed armorum strepitus & tubarum clangor foras ad *Magni Arausionensis* tabernacula nos revocat. Tu *Gennepense Castrum* mœnibus tuis tutum, ingenio loci & munitionum artificio vix ulli secundum: (ll) Tu quoque *Gandavensis Cataracta* multarum fortium animarum tumulis funestata, victricem *Nostri Herois* dextram inter primas & strenuissimas sensisti, nec simplicis laureæ laudisque materiam dicenti suppeditabas: (mm) Sed *Hulsta*, *Hulsta*, & *Fraternæ* cædis gloriosa vindicta, nos totos sibi vendicat. (nn) Insedit tristes, visuque & recenti cladis memoria deformes campos infesto cum exercitu *Arausionensis Princeps*, quadriennio postquam *Nassovium* sanguinem inultum *Ibero* & tantum nobis defletum reliquissent. Movebatur ad miserationem omnis qui aderat exercitus, maxime *Frisiorum* legio & auxiliaria manus, ob propinquos, amicos, denique ob propria pericula, quibus æque se admotos, quam quos sors & belli casus perculerat, recordabantur. Erat interim voluptati referre commilitonibus, hic primo impetu fusum *Hispanum*, illinc hostilem equitatum irruisse, ubi potissimum circumventus cum suis *Henricus*, ubi equo excussus non una morte implicitus jacuisset; quibus locis reliqui *Proceres* occubuissent; tum loca monstrabant, quibus cruore & flammis opertus *Guilielmus*, trucidatis jumentis, in nova transilierat. *Ipse* alta mente dolorem premens se neutiquam sensu gloriæ, qua invidendis elogiis coram frueretur, lætari ostendebat, sed renovatum super cruenta *Fratris* vestigia dolorem, in ultionis impetum & iram contra *Hispanum* convertit. Igitur cum tertia castrorum & obsidionis pars ac præfectura *Illi* obtigisset, incredibile dictu est, quantam *Ducis* exemplo milites tacitis ex ira animis alacritatem conceperint, quantam in excursionibus, in oppugnandis & subvertendis hostium operibus audaciam ostenderint, quamque totis castris excelluerint, quos propius urebat luctus memoria. Quod si major fuisset

(Ii) con-

(ll) De obsidione Gennepensi, ab Arausionensi *Frid. Henrico*, nostroque *Wilhelmô* feliciter suscepta, vid. Aitzema *tom. II. lib. XXI. p.* 782. *ad ann.* 1641.

(mm) Confer sis eundem *d. l. lib. XXIV. p.* 1006. *ad ann.* 1644.

(nn) Ibidem *tom. III. lib. XXV. p.* 82. *ad ann.* 1645 juncto Hubero nostro in *Hist. Civ. part. III. lib. I. sect. VII. cap.* 6. *p.* 587.

contumacia obsessorum, quam re putatio periculi, ac ultimam essent ausi vim præstolari; næ cruoris *Nassovici* tam gratanter fusi pœnas dedissent acerbas, & hæc cædes multo atrociori clade expiata fuisset. At non minus humanitatis suæ *Guilielmus* recipere supplices & positis armis ignoscere existimavit, quam ut modo iracundiæ, ferro flammisque in exitium eorum grassari. Malebat novis conatibus veterem comparandæ gloriæ viam insistere, & hanc cum omni posteritate adæquare, quam momentaneæ licet debitæ, piacularem hostem ultioni mactare. Quippe non unam Ei palmam, non simplex decus, hæc æstas parabat. Supererat *Munimentum* vallo, fossis, commeatu, præsidio cunctisque ad defensionem necessariis rebus abunde instructum, *Moerspuiam* vocabant. (oo) Hoc redigi in potestatem è Republica firmandæque victoriæ censebatur, ut motu exercitus universo vix dignum, ita manu non modica, duce constanti peritoque indigebat. Nec dubitabatur, quin *Noster* ex omni copia *Gubernator*, exercitatissimus atque expediendæ audacter cauteque obsidioni aptissimus foret. Agnovit *Ille* pulcherrimam, avideque arripuit laudis occasionem. Sine mora succinctus, ad hostem tanta, licet gravi tormentis agmine, velocitate est usus, ut prima qua appulerat nocte obsidionales accessus moliri cœperit, postridie suggestus tormentarios locaverit, & sequenti luce hostilia mœnia quassarit. *Ipse* multus ubique *Princeps*, cætera legatis permittens, ardua quæque sibi vindicabat, & Invictus operis ac laboris, militum & imperatoriæ artis officia pariter implebat. Donec quinto jam die longioris impatiens moræ, & vehementius urgendum ratus, exteriora munimenta firmis ab hoste cohortibus insessa, cunctis viribus justi more prælii, summoque impetu & constantia invasit: Tantaque impressionem vi & ardore continuavit, et omnia Hispanus deserere & confuse intra vallum se proripere cogeretur. Quin tanto hujus assultus terrore sunt correpti, ut cætera quoque castella, priusquam impeterentur, ipsi rebus desperatis & injectis facibus everterint. Sic ad aggerem *Præfectus noster* mœnibus adversum victrici manu indefessus & æque violentus penetravit, ut jam faucibus hostium & jugulo penitus immineret; nisi id quod res e-

rat

(oo) Huberus *d. l. p.* 587. *b.* & Aitzema *ibid. p.* 84.

rat conspicati, extrema quæ formidabant obsessi, voluntaria deditione prævenissent. Multis *Guilielmus* luculentis facinoribus pridem inclaruerat, sed plerisque auspicium *Arausionensis Principis*, aut majus *Fratris* imperium splendoris aliquam partem decerpserat, verum hujus gloriæ, quam modo est adeptus, socium habebat neminem. Totum hoc quantumcunque erat, quod sine dubio maximum fuit, *Ipsi* non modo ab oculatis testibus, qui nunquam *Ejus* virtuti defuerant, sed rumore quoque publicaque fama tribuebatur. Illustre fuit hoc operæ pretium, & imponenda rebus bellicis colophone dignissimum, etsi juventus *Herois nostri* tum demum matura, & accensus generosa ambitione animus, plura pericula & ampliorem honoris palæstram quasi jure suo desideraret. Sed Pax, *Hispanorum* adversis, *Belgarum* prosperis rebus, necessaria ipsis, honorifica nobis, vetustissimo, quod unquam ab ultima orbis memoria fuerit, bello finem, ut speravimus, auspicatum imposuit. (pp) Et *Princeps Noster* castrensi gloriæ innutritus, etsi togam subinde sago mutare maluisset, publicæ tamen necessitati lubenter obsecutus, totum se pacis artibus & procurandæ civium felicitati addixit, ut illi opibus ampli, copiis locupletes, virtute ac religione apud Deum hominesque potissimum eminerent. Quanto autem majoribus ad hoc arduum onus naturæ & institutionis dotibus erat instructus, tanto exploratius difficultates & abrupta imperii perpendens, in id omni contentione incumbebat, ut incredibili de se expectationi non satisfaceret modo, sed eam, ni supra humanam esset potentiam, exsuperaret. Quod totis viginti-quatuor annis tam præclare præstitit, ut cum ingens eum opinio sapientiæ præcessisset, longe tamen major secuta sit admiratio. Non erat metuendum, ne qui bello tam magnifice Dux & privatus effulserat, is in pace obsolesceret, cum media inter arma quantopere pacem amaret, toties ornanda pacis operibus Republica ostendisset. Sentiebam, *Auditores*, jam portum subiturus, in medium me denuo quasi profundum impelli, aditumque ad æquor immensum se pandere, si pacis curas & civilium rerum laudes, ut dignum erat *Herois nostri*

(pp) *Pax* nempe *Westphalica* cum Hispanis, anno 1648. d. 30 Jan., cujus historiam dedit Aitzema. Praecipua capita illustratum ivit Auctor in *Hist. Civ. d. l. p.* 593.

merito, explicandas ingrederer. Sed multum, opinor, præstabit, eas integras & illibatas cogitationibus vestris reservari, quam carptim breviterque tam illustrem tam diffusam rerum memoriam perstringi & obscurari. Meministis, quantas ab initio difficultates, quam prona tamen, quam cedentia virtutibus suis cuncta sit expertus; quantoque postea meliorem, prudentiorem, firmandisque concordiæ bonis tempus & dies intentiorem eum fecerint. Laboriosam nactus erat & exercitam stationem, in qua libertas & eminentior unius potestas habile ingenium ad *Parendum* juxta & *Imperandum* requirebat. Duas res difficillimas *Obsequium* & *Imperium* solo dudum *Obsequio*, per quod ad *Imperium* pervenerat, sibi confirmarat, easque tam salubri prudentia conjunxerat, ut cum *Parendo* tantum, Reipublicæ non satisfaceret, nec imperium sine *Obsequio* civibus probaret, utriusque vim fructumque, non jubendi potestate, sed suadendi autoritate obtineret. A Patruo *Guilielmo*, cujus operum & consiliorum exemplis delectabatur, moderandi hosce populos vetere & exercito, præceptum instar omnium acceperat, pluribus à semet experimentis comprobatum; *Nihil abrupte agendum, absque evidenti utilitate nihil innovandum, ferendumque potius, licet minime probes, quod emendari nequeat, quam vana incassum irritamenta tentare & palam, quibus flagitiis impar sis facere. Tutius mala publicâ ratione & beneficiis quam imperio ac remediis compesci & emendari. Malos homines non pœnis sed bonis negotiis detinere, cavere ne timeantur, ut timeant non affectare.* Hinc *Princeps* statu rerum præsenti plerumque contentus, omni studio curaque dabat operam, ut singulis ordinibus collegiisque sua constaret dignitas & fundata legibus potestas, omniaque in melius at *sensim* proveherentur, populus in otio & affluentia omnium rerum, fructibus beatæ pacis indies augeretur. Ita æquabili moderatoque consiliorum tenore felicissime assecutus est, ut cum amore popularium citra motus nostræ quidem *Frisiæ* supraque exempla *Antecessorum* perpetuam *Patriæ* & optatam tranquillitatem vitæ suæ terminis adæquatam præstaret. Quod si obsidione quis *Amstelodamensi* (qq) aut nuperis *Groningen-*

(qq) Anno 1650. Julio exeunte, & ineunte Augusto. Rem omnem, praeeunte cum

gensium turbis, (rr) quibus validiora coactus est publicæ dignitati præsidia comparare, eum à consueto moderationis & cunctandi instituto deflexisse arbitretur; nec is parum, quid vel commoda Reipublicæ contra paucorum utilitatem, vel officii necessitudo & GLORIA PARENDI expresserint, æqua æstimatione animadvertit. Sane quam laudata & populariter accepta gubernandi *Illius* ratio fuerit, quis clarius aliunde probari postulet, quam quod toties componendis nationum dissidiis arbiter, & à vicinis bis terve novis provinciarum jurisdictionibus sit auctus. Post immaturum quippe *Guilielmi Arausionensis Secundi Principis* excessum (ſſ) Illustres *Groningæ Omlandiaque Ordines*, reputatione valoris & prudentiæ nostri *Principis*, nec diverso affectu fiduciaque *Drentini* Proceres, supremum civilis & militaris rei moderamen ad *Ipsum* detulerunt, (tt) ut quæ ditiones olim situ, moribus ac vetustissima libertate conjunctæ fuerant, denuo tanquam una corpus anima unius imperii vinculo connecterentur. At cur invidioso hic silentio prætereamus, Ordinum *Transisalaniæ* nomine (uu) ab *uno* discordantis Patriæ medela quæreretur, *Arausionensem* quidem *Principem* Gubertatorem destinatum, nostro autem *Heroi*, cum serum in *Infantis* expectatione auxilium videretur, *Legati* titulo rerum administrationem decretam atque delatam? Quam *Ille* non sui commodi sed pacis causa susceptam, ne postea quidem utilitatis suæ respectu pacisque studio spernere detrectavit. Majus omni imperio potentiaque, spretum im-

(Ii) 3 perium

cum aliis Aitzema in *Leone Restituto*, persequutus est Auctor in *Hist. Civ. part. III. lib. II. p.* 652 *seqq.* Quae vero convicia vitarum Auctores hodierni, mercenario vel factioso calamo, in vulgus spargere, apud cordatiores omnes publico contemptu cum maxime vindicantur.

(rr) Qua de re Aitzema *tom. IV. lib. XXXVII. p.* 130. *seqq. ad ann.* 1657.

(ſſ) Anno 1650. d. 6. Novembris, ex villa Dierana, Hagam paullo ante cymba delatus. Wicquefort *Hist. p.* 202. aetatis 24.

(tt) *Groningani* dicto anno 1650. invitantibus Frisiis, Hollandisque invitis, auctore Aitzema, *tom. III. p.* 460. *Drenthini* exemplo Groningensium, & avito maiorum instituto. Aitzema *d. l.*

(uu) Vrgentibus cum maxime *Frisiis*, vicitatis caussa; Quia vero Arausionensis familiae ista ad huc fuerat praefectura, ea se abstinere *Wilhelmus* maluit, ne scilicet novas prioribus offensas addere, suamque potentiam damno Arausionensium extendere videretur. Aitzema *d. l.* & Wicquefort, *Hist. ter Prov. Vn. p.* 212.

perium depositamque potestatem arbitratus; quo fortuna se majorem non inani jactatione sed vivis rerum documentis præstaret, seque non alieni momentis animi, non aura circumagi sed consilio regi, palam testaretur. Verum ut hæc aliquando mittantur, *vidimus te hactenus*, Celsissime Princeps, *totum Reipublicæ curandisque populi commodis addictum, patriam foris, patriam domi propugnantem, legibus & magistratibus curatissime ordinantem, nullum pro nobis tempus vacuum curis laboribusque transigentem. Num privatas ad res tuas aliquando respicies? Si Te* Ipsum *pro populo negligere non recusas, Illustrissimam tamen domum &* Nassovicæ *gentis statum fac revoces ad animum. Vides atque sentis eminentissimam ejus partem, conspirantibus velut fatis, & civium ingratitudine afflictam vehementer, & in* Infantis *unius sperata felecitate prope unici defixam. Tu lumen quidem & columen tuorum, ingens verum si quid de Te factum fuerit, ut homines sumus omnes in quo spes suas reponent, in cujus autoritate fiduciam collocabunt? Ipsa quoque Respublica, cui totum Te & omnia Tua consecras, vide ne à Tua solius mortali anima pendere debeat; sed ut illa, quantum in nobis, æternitati adæquanda est, sic Tu pariter hanc suscipe curam, ne salubre temperamentum, quo pax & salus omnium stetit hactenus immota, in stirpe Tua deficiat. Consule* Patriæ, *Consule* Domui, *dum posteritati* Tuæ *Consulis, & utique nostræ, ad quam æque pertinebit, ex Te amplecti posteros, quam* Tua *incolumitas facit ad nostram securitatem.* Sic tandem Inclyto *Heroi* veternus aliquando diuturni cœlibatus feliciter excussus; cœpitque lætus in populum rumor, incertis primo auctoribus, mox crebrescente opinione constantius & liberius spargi; affectari, expetere & tandem impetrasse *Eum* amores *Illustrissimæ Principis* ALBERTINÆ AGNETIS, Gloriosissimi *Imperatoris* Nostri HENRICI FRIDERICI *Arausionensis*, *Filiæ* Secundogenitæ. (xx) Sentio equidem, *Auditores*, quid merito expectetis, quale sit hujus loci & oratoris officium: Sed ignoscet conscientiæ meæ genius *Celsissimæ Principis*, & permittet, ut qui optaverat publica voce exornare, quas in *Ipsa* vel natura expressit corporis animique dotes, vel

(xx) Vid. Aitzema *d. tom. III. p.* 650. *ad ann.* 1651. Primogenitam *Ludovicam* anno 1646. duxerat Hagae Comitum *Frid. Wilhelmus*, El. Brand. Vid. Aitzema *d. tom. III. p.* 144. *seqq.*

vel maturior industria in immensum cumulavit, huic ingenua imbecillitatis confessione defungi liceat. Poterat se oratio ad modestiam *Dominæ* verecundiamque submittere, nec tam proponere quid virtutibus deberetur, quam quid aures possent pati: Sed præstat, *Auditores*, divinas hasce dotes vestræ admirationis secreto relinqui, ut tantæ, illibata æstimatione, quantæ sunt, videantur. Illam magnitudinem animi, illam moderationem, illam generositatem & continentiam carptim & succinctè perstringere, nec ausim neque expediat. Tutius eas silentio venerabimur, & honori æterno annalium reservabimus, quam brevi interitura prædicatione excipiemus. Quod si hac parte mihi damnum expectationis vestræ condonetis, *Auditores*, ne de festivitate solenni & nuptialis pompæ apparatu pari verborum lætitia celebrando vocis nostræ ministerium sollicitetis, haudquaquam metuo. Conari nescio quid, & eluctari oratio videbatur, sed gravissima luctus recordatio & recens horror sic intimas cogitationes meas, sic vultus quoque vestros insedit, ut nec mihi verborum facultas, nec vobis auditionis constantia

diversissimæ recitationi suffectura videatur. Poteram repræsentare, cum per ora Belgicarum urbium *Principalis Sponsa* domum duceretur, incredibilem undequaque confluxum, referta exultanti multitudine, & laborantia spectatoribus tecta, effusam omnium ordinum gratulationem, incomparabilem munerum & spectaculorum magnificentiam; quantoque *Principes ipsos* affectu, quanto nuptias *Gubernatoris* sui, quas nunquam *Frisia* viderat, gaudio prosequeretur: Sed hoc suggestum, hoc templum, ipsi quos videmus parietes ferali habitu ac publici mœroris imitatione induti, absterrere nos & veniam recusare videntur. GUILIELMUS *Princeps* his nuptiis potitus eo felicitatis profectum se credebat, ut nihil voto addi, vix à fortuna quicquam consummari posset, quod non Deus hominesque, modo his muneribus perpetuitas accederet, copiose præstitissent. quin postea felicitatem suam prope ipsam vicisse videbatur, cum paucis post annis pulcherrima sobole *geminâ sequiores*, *una virilis sexus* auspicatissima nativitate bearetur, *Filii*, inquam, unius HENRICI CASIMIRI. (*) Hoc est depositum, quod Palladii instar

Fri-

(*) Anno 1657. d. 17. Januarii.

Frisia nunc servat, & paternæ successioni pridem destinatum, modo etiam admotum, ab *Ejusdem* virtutibus & majorum laude nequaquam sperat degeneraturum. Quod si ex vultu & ore haud vanum præsagii argumentum ducatur, descripsisse in *Eo* nobilitatem animi artifex natura, notisque corporis inusitatas mentis dotes designasse videtur, ut ipso vultu præ se ferat *Principem* & protinus quantus futurus sit ex solo adspectu sperari possit. Quin ea nunc est *Celsissimi Principis* ætatula, tam moderata ingenii lætitia, ruptis infantiæ involucris elucet, ut non minus virtutes *Maximi Parentis*, quas aliquando in usum Reipublicæ promat, quam honores & fortunam præsumpsisse videatur. Quod si *Heroica progenies* hortamentis ad studium laudis sit excitanda, non erit necesse peregrina decora, *Græcos* & ex ultima vetustate *Romanos* proponere ad imitandum; quin potius paterna, vel si excurrere lubet, avita *Illi* cuncta sane domestica facta demonstrentur, hæc identidem & semper ostendantur, paratæ & è medio desumptæ Principalis institutionis autoritates. *Incidisti in tempora*, Generosissime Puer, *quibus non secundæ res felicem, sed adversæ, si fortiter annitaris, Te Magnum probare possint.* Erige *contra fortunam animum, & cogita nullum luculentius eximiæ indoli signum esse quam sperare semper. Facilis Tibi & & promptus apud Cives tuos amor succedenti tanta charitate Patriæ ipsaque ætate & afflictæ domus miseratione favorabili. Exhibe duntaxat populo & redde nobis in tempore* GUILIELMUM *atque* HENRICUM, *quorum nomen sanguinemque refers; nec modo vultus similitudine, sed quod omni consanguinitate certius est, moribus agnatum, ingenio Te filium & virtutibus ostende.* Hæc vota, hæ divinationes sunt nostræ, quas longe infra eventum futuras cùm *illustrissimæ* MATRIS sapientia & accuratissima disciplinæ instituta, tum indoles ad honestissima quæque omnibus ingenii bonis formata pollicentur. Sed revertamur ad *nostrum* GUILIELMUM & paulisper rebus adhuc prosperis, dum per fragilitatis humanæ vices licebit, immoremur. *Tredecim* omnino *annos* in illo felici ex omni parte matrimonio concorditer atque jucunde exegit; publicam pacifice & prudentissime administravit; à belli occupationibus fortuna temporum, quibus à terrestribus armis quies perpetua contigit, non voluntas

eum

cum sua revocavit, cujus tamen dispendio publicæ utilitatis respectum sine exceptione præponebat. Cæterum non est quod in marcido deliciisque corrupto credamus otio tot annos trivisse Principem. Quicunque immortalitati se parat, stare nescit, motuque sempiterno à posteritatis oblivione se vindicat. Qui nati & instituti sunt ad infatigabilem laboris & patientiæ consuetudinem, nunquam maximorum operum occupationibus destituuntur. Nisi quis putet, admittere in animum suum totius Reipublicæ curam, oblitum quodammodo sui, populis vivere, omnium saluti invigilare, & noctes diesque perpeti sollicitudine pro tot urbibus & provinciis transigere, persunctorium esse & vulgari privataque comparatione censeat æstimandum. Noster sane *Princeps* nunquam fortunæ suæ fructum in commodo & voluptatibus, sed in vigiliis ac laboribus sensit & collocavit. Proinde accinctus & intentus in omnia, non minus curarum mole quam principatu excellebat, adeo laxamenti omnis & remissionum negligens, ut refici ac reparari sola fatigationum varietate videretur. Novimus, *Auditores*, nullas eum voluptuarias per *Frisiam* possessiones, nullum rus urbanum, ubi otio acquiesceret ac pacis delectamenta sectaretur, habuisse. Sed in urbe, in sede *Reipublicæ* perpetim agens totum gravissimis se negotiis immergebat, assiduus in Senatu, frequens in comitio; nec minus domestica facilitate copiam sui adeuntibus largiebatur. Quis nostrum aut infimus civium non crebro expertus est, quam ipsi prona in audiendo liberalitas, in respondendo benignitas, & sine corruptione gravitatis, humanitas fuerit? quam sollicite caverit, ne commodi sui expectatione cuiquam aut moræ tædium aut arrogantiæ offensionem præberet. Æque comis & modestus, cum in publicum procederet, civilis incessu, modicus comitatu, in quo plus dignitatis quam fulgoris appareret. Nec auctus est apparatus, postquam *Cæsaris* auctoritate, *Imperiali* decreto, ex *Comite* PRINCEPS, augustiore jam titulo salutari cœpit. (yy) Manebat, quæ prius erat, simplicitas in cultu, humanitas in ore, nulla superbiæ accessio-

(yy) Anno 1653. Admissus deinde cum reliquis Agnatis ad votum & sessionem in collegio Principum anno sequenti, die III. Martii. Vid. Limnæus in *Jure Publico, tom. V. p.* 430.

cessione, nec majore officiorum vel stipationum fastu, quando verum honorem non in splendore titulorum & venerantium obsequiis, sed hominum judiciis & civium amore affectabat. Quin eodem tempore, quo decus *Principale* FERDINANDUS III. Ei transmisit, in modestiæ argumentum *Curatoris Academici* simplicem & literarium honorem † noluit adspernari: Ut qui nullam judicaret tam in excelso fortunam, quam non ornet, non augeat plurimum, gloriosa doctrinarum notitia. Cedere nolebat clarissimis *Imperatoribus*, quos subselliis Eruditorum laureatos sæpe fasces & sceptra augusta submisisse audiverat; quemadmodum nec affectu studioque in literas & literatos ulli se concedere perpetuis beneficiorum documentis testabatur. Inter quæ meum quoque immerentis nomen haud simplici vinculo munificentiæ *Celsissimi Herois* obstrictum lubens & devotus agnosco. (zz) Sic *Patriam* principali industria ornabat GUILIELMUS, ita pacem tuebatur, ut belli interim militiæque non oblivisceretur; sed quoties per ardua *Reipublicæ* vacabat, sæpe toga thorace mutata, è curuli in equum, è curia sese in campum transferens exercitio ac meditatione Imperatoria delectabatur. Eruditis quippè discursibus & simulacris præliorum aptissime legiones in officio peritiaque rei militaris & parendi consuetudine contineri existimabat. Hanc providam sollicitudinem supremus, quem *Frisia* in æternum aversabitur, annus magnifice approbavit, quo vicini *Antistitis* insolentia præclaram renovandæ militaris famæ, disciplinæque prope intermortuæ occasionem suppeditavit. (1) Injuria fœderati *Principis*, nostræque tam dignitatis quam commodi reputatio, decretum Senatui Belgarum de repetendo vi armata *Dylensi* munimento justissima ratione expresserat; nec hæsitatum est, quin *Guilielmus Princeps* & viciniæ & meritorum jure ad universum obsessionis imperium

† Primus omnium Praefectorum; ceterum in haereditaria hodie Praefectura titulus *Curatoris Magnificentissimi* electitius permansit. Vid. *Fasti Academiae ad ann.* 1653.

(zz) Designatus enim fuit Auctor anno 1657. Eloquentiae & Historiarum Professor, in locum Dominici Acronii. Vid. *Fasti Academici ad h. a.*

(1) Rem omnem persecutus est laudatus Aitzema *tom. V. Hist. lib. XLIV. ad ann.* 1664. Praecipua vero capita illustratum ivit Ampl. Auctor noster in *Hist. Civ.* p. 593.

perium legaretur. Tunc iterum quid clara *Nassaviorum* virtus, & toto orbe laudata belli industria posset, nobili documento patuit. Quantis hic iterum elogiis patientia *Herois nostri* in laboribus, audacia in periculis, celeritas in conficiendo, vigilantia in providendo, omnesque imperatoriæ virtutes extolli poterant, ni singula expeditionis momenta cum vestris, *Auditores*, è re præsenti testimoniis, tum memorialibus dudum publicatis accuratius recenserentur; quam nostra brevis & pudenda prædicatio repræsentare posset: proin rectius annalium monumentis & posteritatis admirationi reservabuntur. Una vox est, à *Principe nostro* emissa, quam tacite nullo modo præterire possum. Namque cum cœli adversitate, aut ministrantium incuria, tormentorum & machinarum inopia laboraretur, satis constat fuisse, qui consilium suggereret, operamque suam & ductum offerret, corona munimentum aperta cingendi, scalisque admotis manu armata expugnandi, quod paucorum, vix quinquaginta forte militum jactura constiturum esset. Tum *Princeps*, cui displiceret ultra negotii modum animosa virtus; *Præstare* ait, *quinquaginta aureorum millia fossoribus impendi, quam quinquaginta milites exitio dari.* O sempiterna dignam memoria, plenam salutis, plenam gravitatis & prudentiæ vocem! Cui nulla sit tam importuna victoriæ occasio, quam militis amissi damno penset, qui clariorem nullam quam *servati civis coronam* (2) censeat, qui solum id judicet gloriosum quod sit tutissimum, & ante conscientiæ quam famæ velit consultum. Non piguit præstolari *Principem*, & cum desiderio suo transigere, donec & ventos & homines tarditatis suæ pœniteret, omniaque patrandæ oppugnationi congesta & adornata, promovendi decretorios conatus facultatem præberet. Nos eventum signabimus, quo ante *Junias Nonas*, intra secundam institutæ obsidionis hebdomadem,

(K k) 2 muni-

(2) De *corona civica*, ob cives servatos, plena manu egerunt alii. Unum moneo, notissimo Taciti loco in *Annal. lib. XV. cap.* 12. vulgatae, & Mediceae lectionis defensionem, Cupero & Ryckio praeeuntibus, temere nimis Jac. Gronovium videri probasse. Retento enim τῷ *adipisceretur*, vel *apisceretur*, nihil novi Corbulo pollicitus fuisset; siquidem & libera republica, servatus quilibet suo servatori coronam imponebat; ut adeo semper par numerus utrorumque fuerit; *novam* vero *gloriam* hanc militibus suis Corbulo ostendit, ut singulis manipularibus praecipua, rariorque semper, corona ista ab Imperatore tribuatur.

munimentum nec situ nec arte spernendum ad extrema pactionis insitata celeritate compulsum est, quanquam induciis milite, quem contenti erant arguisse Nostri, refoto ac confirmato. Ad diem repræsentandæ exequendæque deditionis incredibilis hominum multitudo tanquam ad meritissimum HEROIS *Nostri* triumphum ex omni Belgica confluxerat. Terrestris belli motum ab annis prope viginti (3) intermissum juniores nullum cognoverant, & quotusquisque civium his præsertim locis reperiebatur, qui *Arausionensia* castra vidisset? Quapropter ut insolentia armati tumultus vulgo antea terrorem incusserat; ita nunc lætitia & gratulatio ad insitatæ rei spectaculum cupiditatem omnium mirifice excitabat. Repetebantur gratis passim commemorationibus antiqua *Nassaviorum* decora, & revirescere *Illorum* stirpem, novoque enitescere splendore, optimus quisque faustis acclamationibus ominabatur. Sed ô tristem & insperatam fati vicissitudinem! ô acerbam blandientis sortis fallaciam! *Ergo hucusque Tuam ratem,* Gloriosissime Princeps, *secundus à puppi flatus provexit, ut in altum subdole compulsam improviso turbine percelleret? Ideone hoc ultimum Tibi decus fortuna parabat, ut tanto mox funestius humanæ fragilitatis documentum extares? Ideone Tuis encomiis & victoriæ gratulationibus modo cuncta personabant, ut effusiore mox planctu & ejulatu omnia complerentur? Scilicet è medio periculorum æstu modo evasisti, ut insidiosa tranquillitate obrueriere? Ideone provisa Tibi tela cum intrepide hostili vallo succederes, pepercere, ut domi inexpectata & infestiora reperires?* Devolvimur, *Auditores*, ad miserrimam, nec sine fletu multo & lacrymis tradendam posteris historiam, in qua si longiorem, si stabilem voce vultuque & æquabilem orationis vigorem expectetis, cogitate, quo pacto humanos primo affectus exuere oporteret. Celeritate atque transcursu opus est, ne in ipso dicendi portu naufragio & fluctibus hauriamur. Mane erat diei ante tertiam *Iduum Octobris*, media nona, vel non multo secus, cum ad iter se accingens *Beatissimus Princeps* duas jussit bellicas & habi-

(3) Ab anno nempe saeculi supra quadragesimum octavo, octoginta annorum bello tandem *Monasterii* composito: intra quod temporis spatium *mari* potius quam *terra* virtus Belgarum enituit; donec perfida Gallorum ambitio necopino fragore Leoni nostro soporem excuteret. *Dii talem patria depellite pestem!*

habiles proficiscendo fistulas proferri, quas ipse, si quid deesset, experiretur. Foco assidebat & immissum fornaci sclopum exonerare frustra conabatur. Verso igitur tubo, prævalente jam & præstringente judicium fato, caussam scrutabatur. Sed tum (horresco referens) excussus globulus (heu divinam manum!) os totum partemque faciei dexteram convulsit ac laceravit. Accurrentibus ad strepitum famulis, conclave fumo, *Princeps* sanguine plenus horrificum præbuere spectaculum. Quis tuum, *Illustris Albertina*, stuporem, cum velut fulmine tacta, aut saxi instar obriguisti, quis planctus tuos, ubi lacrymæ viam invenerunt, describat? Contrahat se merito stylus noster, & quod assequi nequit affectare vereatur. Non patitur, *Auditores*, institutæ orationis modus, ut totius hic mali historiam ex arte deducamus, licet imperitiam nostram abunde instruxerit Celeberrimus Collega noster *D. Joachimus Frenzelius*, qui indefessa sollicitudine vigilantiaque totum morbi decursum, quantum humano fieri potuit consilio, ad spem salutis direxit & gubernavit. Principio, cum spes felicis restitutionis affulgere crederetur, dici non potest, quam lætis id per *Frisiam* nuntiis divulgatum, quanto omnis ætatis, omnis sexus gaudio & *Principalis* domus & *Reipublicæ* caussa fuerit exceptum. Sed à sexto potissimum die, collapsis viribus nec obscurâ desperatione medicorum, supremam ratus necessitatem imminere minime fracto ad eam humilique animo, sed ut dignum sapiente, ut dignum antea-acta vita erat, etiam lætus se comparavit, sine ullo impatientiæ ex tam acerbo mortis vulnere perculsæve mentis argumento. Ante omnia suscipiendæ divinarum rerum meditationi intentus, vocatis Sacrorum ministris, cœlestibus colloquiis instrui animum propinquitate æterni gaudii multo erectiorem desideravit. Cumque vulneris violentia vocem spiritumque colligere non permisisset, arrepto calamo ad ingenuam delictorum, quibus in hac mortali vita omnes sumus obnoxii, confessionem suppliciter se demisit; Sed & plenam sibi salutis fiduciam in propitiabili sanguine salutaris Hostiæ constare affirmabat; *Vivit*, inquit, *Servator meus & faciem ejus intuebor*, aliaque præclara Scripturæ loca tam prompte apteque subjecit, ut non leviter tinctus, sed penitus sensu pietatis imbutus, veraque fidei efficacia ad ex-

ſpectationem æternitatis abunde inſtructus appareret. Ita cum domeſticis rebus pari conſtantia prudentiaque proſpexiſſet, tandem fatiſcente natura, inter preces ac ſuſpiria & ardentiſſimos geſtus magnam animam, paulo ante ſeptimam veſpertinam *a. d.* XII. *Kal. Novembris* creatori ſuo redhibuit. Compendio, *Auditores*, & quaſi ſaltu hic utimur, nec planctus aulæ, nec fletus aſſiſtentium, nec parvulorum amplexus, nec Illuſtris *Albertinæ* ſuprema pietatis officia commemoramus. Quæ ſi ex decoro & magnitudine ſua perſequerer, nec lacrymis modum, nec orationi finem reperirem. Sed quanta per omnem *Belgicam*, maximeque *Friſiam*, ubi omnium vota in Ejus ſalutem erant collata, conſternatio, quam perculſi habitus animorum fuerint, qui gemitus, quæ miſeratio, incaſſum verbis repræſentare conabor, cum vix animo & cogitatione magnitudinem doloris complecti potuerimus. Quem enim omnes immortalem aut ſibi utique ſuperſtitem optaſſent, & cujus neceſſariæ quoque morti indoluiſſent; quomodo non graviſſime hanc inopinam & calamitoſam ferrent! Neque tantum ipſa fatali caſus atrocitate movebantur, ſed privato mœrori publicæ fortunæ querelas miſcebant, quaſi non *Ipſum* amiſiſſe ſed cum *Ipſo* periiſſe viderentur. Illius prudentiæ vigilantiæque tribuebant, quod hactenus liberorum Parentibus, viris conjugiorum, dominis patrimonii; cunctis hominibus ſalutis, quietis, pacis, tranquillitatis ratio certa conſtitiſſet; & cum neque ſperari plus potuiſſet, nec ſpei reſponderi felicius, *Illo* ſublato, omnia in contrarium ceſſura augurabantur. Quæ trepida populi opinio vehementer aucta, & religioſa quadam formidine animis eſt altius impreſſa, quod ipſo temporis articulo, quo *Princeps* glorioſam vitam beatiſſimo exitu clauſit, miraculum haud ſpernendum & ominoſæ interpretationis obſervatum diceretur. Rem memoramus, *Auditores*, non vago plebis rumore, vel obſcura paucorum ſuſurratione ſparſam, ſed oculata graviſſimorum teſtium auctoritate ſubnixam. Viſum eo quo dixi momento ingens lumen, facis aut ſtellæ inſtar, tranſverſo & ſcintillante motu *Leovardiam* prætervolans ſupra *Principis* aulam ſubſiſtere, tum auctiori quoque luce in tecta palatii delapſum evanuiſſe. Detrahere aut adſeverare fidem rei necopinæ & conſtanter traditæ, utrumque ab Orato-

ratoris officio alienum existimamus. Sed rei gestæ opinionem ingenio cujusque & omen ac judicium latentibus fatorum causis tutius relinquemus. Id sane ut cogitantibus ultro sese ingerit, ita vanitatis superstitiosæ facile absolvetur; magnum utique Reipublicæ, magnum Ecclesiæ, magnum domus Nassovicæ, magnum denique Academiæ nostræ lumen fatali isthac hora extinctum & velut è cœlo delapsum. Quantum Respublica sidus amiserit, quid attinet, *Auditores*, tædio attentionis vestræ repetitis rerum documentis approbare? Sed in privatis *Maximi Herois* virtutibus ô quanto voluntatis meæ detrimento, non quicquid spiritus & vocis adhuc superest, occupatur, & absumitur? Undique temperantiæ, frugalitatis, castimoniæ, liberalitatis cum ratione, majestatis cum jucunditate, severitatis cum gratia & hilaritate, magnanimitatis sine jactantia, æquitatis, industriæ, integritatis præconia & exempla cumulabantur. Sed quid attinet plura? Omnium *Pietas* compendium reliquis præfulgebat, *Hæc Eum* sola totum subegerat, omniumque sibi laudes soli vindicabat, & ad se referebat. Amisit lucidissimam *Ecclesia stellam* quotidie in medio sui fulgentem, aliisque salutis iter velut Cynosuram suæ venerationis exemplo monstrantem; Amisit *Academia* Patronum semper benevolnm, semper paratum, contraque imperitorum invidiam amantissimum *Assertorem*. Quid *Illustrissima Conjux*, Quid suavissima utriusque sexus pignora, quid domus & familia non luminis amisere! quæ squalore, tenebris & solitudine miserationem sui tanto latius spargunt, quanto nuper radios suos illud salutare sidus, quod occidit, in omnes partes clariore luce diffuderat. Sed cur tantum hujus *stellæ* occasum lamentamur? Cur tantum irritis votis & inani terrestris jacturæ desiderio fatigamur? Quin potius oculos animosque sursum attollimus, & numquid cœlo novæ lucis accesserit, contemplemur. Illud *Patriæ & Ecclesiæ* grande columen jam nunc cœlestis Patriæ, si divinis fides oraculis, multo splendidius est lumen: Nec dubitandum, si ad aliquam partem felicium animarum res humanæ pertineant, quin ita *Rempublicam* Beatissimus *Heros* sit allocuturus. *De me, ô cives, deponite curam, sistite mœrorem, qui ex temporali & calamitosa beatitudine in puram & sempiternam, ex terreno Principatu in thronum Regalis Sacerdotii sum* *trans-*

translatus, *pro vestro amore gaudium æternitatis*; *pro amplexu necessitudinum*, *Servatoris mei vultum* & *choros Angelorum assecutus. Abii*, *excessi æquo à vobis animo. Estote florentes*, & *sine me*, *modo per me*, *ut ego sine vobis*, *in perpetuum beati. Satis naturæ vixeram*, *satis mihi*, *satis etiam gloriæ. Vos nunc curate*, *ne parum vobis*, *parum familiæ vixisse videar. Tranquillam vobis Rempublicam usque ad supremum vitæ exitum bonis artibus præstiti*, *tranquillam reliqui. Vos hanc*, *ut accepistis*, *stabilite* & *conservate. Ambitum coërcete*, *Religionem defendite*: *Sed ut omnes utilitates verbo complectar*, Concordiam, Concordiam, *rerum omnium in cœlis* & *in terris optimam religiose colite. Hæc vobis tessera divinitus esto data*, *quam si negligatis*, *certius vos scitote vestris manibus perituros*, *quam mea vobis dextera modo me subtraxit. Quod si meorum nondum beneficiorum intermortua est memoria*, *felicitatis*, *quam ego feci*, *aliquam partem* & *fructum* Conjugi Liberisque (4) *meis impertimini*, *nec committite*, *ut majoris ingratitudo vobis mali* & *supplicii fiat omen. Ita*, *ô cives*, *ô Conjux*, & *carissima pignora*, *valete.* Sed Tua, *Gloriosissime Princeps*, laus & memoria vigeat in æternum!

(4) *Henrico Casimiro*, de quo supra, & *Amalia*, nupta deinde *Io. Guilielmo*, Duci Saxoniae, Isenacensis familiae.



ULRI-

ULRICI HUBERI
DE
NATALIBUS, VITA, STUDIIS ET EXITU
Viri Clarissimi,
GUILIELMI CUP
Antecessoris & Collegæ sui,
ORATIO,
HABITA.
A. D. IV. Kal. Febr. CIϽ IϽC LXV.



Rgo, cum tot & tam graves causæ, hoc biennio, ad coartandam & prope exhauriendam Academiam conspirassent, adhuc restabat, ut & tertii principium anni novam ad cumulum tot malorum calamitatem adferret! ut quem felicioribus auspiciis eluxisse sperabamus, hic, nescio quod infaustum futuri temporis (omen averte Deus!) præsagium inculcaret! Primo omnium belli terra marique tempestas hinc inde tam sævo turbine detonuit, ut nullas non pacis artes, nedum Musas, tranquillitatis & florentium unice amantes rerum, auditu solo & fragore deterruerit. (1) Postea vero quàm terrestri populo præter

(1) *Lites* notantur *Ostfrisicæ*, occasione debiti Lichtensteinensis, executore sententiæ Imperialis Episcopo Monasteriensi, brevi tamen post, interventu Ordinum Generalium, utcunque sopitæ, memorante Leone ab Aitzema *lib. XLIV. sub init. tom. V.*

præter spem repræsentatum est otium, ne vana nobis innocentiæ opinione blandiremur, manifestior ira numinis & clarius auctorem laudans incubuit, missoque hactenus improborum hominum ministerio, nos suis atque cœlestibus armis invasit. (2) Quorum cum multo major quàm humanæ violentiæ terror juventutis percellat animos; qui nullis necessitudinum vinculis ad mansionis constantiam adiguntur; non potuit impediri, quin denuo magna parte quasi divino flatu dissipata, modicæ tantum pulcherrimi confluxus reliquiæ servarentur. Sed utinam timore solo miseris defungi licuisset, vagæque duntaxat ac affluentis frequentiæ reparabili jacturâ mulctati fuissemus: At primo lumen illud Scholæ, decus & gloria Themidos, cujus non excidet in æternum memoria, illud, inquam, lumen extinctum quantas offudit tenebras! (3) Nec absolvisse vindictam suam fata videbantur, nisi & alterum Jurisprudentiæ columen, quod non minus roboris, quam illa fax lucis, huic Musarum templo contulerat, derepente subvertissent. Ac ita quidem utrumque, ut fortuna securitati nostræ propemodum insultasse videatur: Cum unum adhuc pene strepenti subtraxit Hymenæo (4), alterum, post depulsam divinæ bonitatis sole pestis atram nubem, & transacta pridem superatâque gravi valetudine lætum, insidiose oppressit. Ideone tuum *Wissenbachium* tam brevi secutus es, *Beate* CUPI, ut quocum in terris amantissime vixeras, huic iterum in cœlo te cupidissimè jungeres! ut quem Collegam in vitâ conjunctissimum habueras, ab hoc ne quidem morte longinquâ divellereris! Ita quidem *Tibi* expediebat; sed quanto domui tuæ, quantò Academiæ præstitisset, tuarum potius virtutum præsidio, quam memoria frui! Te potius successorem in vivis quam in morte socium magni habuisse Collegæ! ut tua post illum sapientia, tua fama publico prodesset, quam communes cum illo laudes & merita lessu prædicarentur: Quæ facilius equidem admirari quàm ex-

pri-

(2) Grassantis in Frisia malum *pestilentia* indicatur, paullo inferius iterum attingendum.

(3) De *Io. Iac. Wissenbachio* tum recens extincto, videsis auctorem in *praef. ad Wissenb. Institt.* Add. *sup. Orat. V. p.* 101.

(4) De festinata Wissenbachii senis per iuvenculae nuptias morte Auct. *cit. loc. praef.* meminit.

primere vel imitari posteritas poterit. *Quæretur posthac in Academiis, exemplum Collegarum annis & dignitate parium, qui magno mortalis ævi spatio, non dicam sine rixa & contentione, nec quidem sine obtrectatione, sed procul invidia, procul simultate, procul ab utriusque suspicione vixerunt.* O incomparabilis, quanto rarior virtus! O maximum vitæ humanæ atque jucundissimum concordia & animorum consensio bonum! Neque dixerim, an non Tibi, Felix CUPI, ampliorem hac parte laudem æqui æstimatores tribuerent, cui paulò forte promptior ex inæquali hominum studio, invidendi occasio oblata videbatur. Sed candidum ac vere generosum pectus, mansuetudine meritorumque suorum conscientia tam bene instructum atque munitum erat, ut omnes æmulationum invidiæque illecebras, velut multo inferiores, sperneret atque proculcaret. Convenientia morum, simplicitas atque sinceritas vestra fecit, ne vel alia sentiretis, alia loqueremini, vel si diversa sentiretis, tamen non loqueremini. *Iterum O beatum par Collegarum, qui nunquam sibi mutuo satisfecerunt, nunquam excusarunt, quibus deprecatione nunquam pudenda fuit opus, nec quibus ingratiam reducendis amici ullo tempore sunt fatigati!* Adeo mihi non temperabam, *Ornatissimi Auditores*, quin antequam laudare inciperem, præsumptione tam eximiæ virtutis & copulæ talium virorum occuparem laudationis locum, atque dicendi prope vices confunderem. Tam arcta tàm constans animorum conspiratio non potuit, inquam, nisi ex paritate affectionum, & mirifica morum conventione nasci, ut adeo qui virtutes unius cognoverit huic utriusque dotes animi exploratæ videantur. Proinde characterem ingenii sui pulchre exprimebat, cùm non toto abhinc biennio *Wissenbachianas* laudes CUPIUS ex hac sede memoraret; nec alienum fuerit, vos nunc, *Auditores*, meæ sic orationi aures animosque dedere, ut dum *Cupiano* defungitur elogio, quasi speculum mentis Egregii illius *Antecessoris* exhiberi vobis persuadeatis. Nam quod tunc Isti *Animæ* recens ad sidera vocatæ supremum amicitiæ munus, ex *Amplissimi Senatus* consulto CUPIUS persolvit, id nunc mihi CUPIO, beatorum modo choris adscripto, ex eadem autoritate reddendum. *Ita volvuntur humanæ vices! Laudas hunc tu, & te laudabit alius. Modo qui succedis alteri, fac cogites, quam mox tibi succedat alter, ac ita tibi gratulare,*

sic animum inter metum lætitiamque attemperato, ut non magis esse Te successorem, quam expectare memineris. Poteram, *Auditores*, defuncti nostri laudes continua virtutum enarratione persequi, ut pariter effigiem *Illius*, quem non minus vitæ ductu quam novissimâ CUPIUS oratione descripserat, audientiæ vestræ exponerem. Sed voluntas *Amplissimi Senatus*, & expectatio Auditorii, pro more & quasi jure postulat, ut non tantum de animo, sed etiam de fortuna, non modo de virtutibus, sed de natalibus quoque, de studiis, honoribus ac institutis *Viri Clarissimi*, cujus exequias celebramus, referam, adeoque totius vitæ breve aliquod instar historiæ complectar. Quo dum persungor id mihi patientia vestra, *Humanissimi Auditores*, cupiam indulgeri, ut ubi res ita tulerint, modicis digressionibus animum allevare, & paulisper à mœroris contemplatione deflectere liceat; tamen ut omnia præcisione rerum atque compendio verborum unam intra horam & quotidianæ auditionis modum cohibeantur. Non insidiabor attentioni vestræ, pollicendo inexpectatas grandium rerum mutationes, vel tragicas casuum varietates, non exilia, nec vagas per mare per terras peregrinationes; sed quietam & æquabilem hominis studiosi, plenam innocentiæ, plenam gravitatis, dignamque exemplo vitam, pari quam est acta simplicitate reddam; initio quidem uti par est à natalibus patriaque ducto; quanquam vereor, ne nescio quorsum hæc orationem ab ipso statim limine seducat. *Bommelia* civitas in ejusdem nominis insula, situ ingenioque loci & arte Mauritiana (5) inter tutissimas Belgarum munitiones, & elaboratæ in his finibus Reipublicæ claustra celebratur. Firmitatem locorum crebri magnorum amnium confluentes, & brevissimis intervallis, quasi tædio confusionis, divortia fluviorum efficiunt, dum vel mutuis augmentis Rhenus atque Mosa gaudent, vel propriâ singuli gloriâ fluere contendunt. Quæ aquarum inconstantia cum multis aliis tum *Bommeliensi* agro formam insulæ & hostilis accessus securitatem moramque insidiarum conciliat. Cujus fiduciâ non alibi temere suspectas potentium Captivorum custodias quam

(5) Eam describit Em. van Meteren *lib. XXI. ad ann.* 1599. *fol.* 11. artemque muniendi tunc recens inventam Grotius, *Hist. lib. VIII. ad cit. ann. p.* 336. *ed. in* 8.

quam posito ad ipsum insulæ finem *Loevesteinio* Proceres committunt. (6) Quod auspicii caussâ vel ideo sit appellatum, quia bis præcipue concredita sibi invidiosa discordiæ pignora continere non sustinuit, sed clam vel palam, jussu an injussu restituere festinavit. *Aboleat posteritas & abolebit pœnitendum factionis ab hoc carcere titulum*, sed propter unum Hospitem genius loci perpetuum esto memorabilis: Quod diuturna licet ingratâ mansione Magnum Illum ad divinas de *Jure belli & pacis* meditationes compulerit, suoque tempore, ne proles, tantum lucis datura mundo, luci negaretur, pulcherrimas adspexerit, neque prodiderit insidias, & quem vir fœtum conceperat atque genuerat, hunc animosam conjugem, ne hujus tantum mater non videretur, eniti ac educere sit passus. *Fruere proditionis, non tam in Patriam admissæ, quam in civem recusatæ gloria Lœvestenium*, sed adversus hostes apud Te depositos serva fidem Reipubl. cujus sæpe fecisti fidem, & parem nobis ex Britanno, si potes, *Ascuvio* da fructum (7) atque olim ex Hispano *Mendoza* præbuisti; quem ita reddebas suis, ut quicunque Belgarum captivi sub Philippo tenebantur, unus ille pro sua exsolvi libertate curaret. (8) Si tantum vel hujus, vel futurorum ducum apud *Anglos* respectus valeat, næ tibi magnificum, *Triumphalis Custodia*, nomen inscribetur. Sed ignoscite *Auditores*, quod præsentem mœroris sensum publicâ recordatione paulisper adumbrarim, & hoc leve expectationis dispendium cum anticipatâ modo luctus præfatione pensate. *Bommeliæ* igitur, quam me-

(6) Vtinam vero famosum castellum istoc, ab anno primum 1619. atque iterum 1650. funestae in patria *factioni* caussam nomenque haut addidisset. Vid. Auctor in *Hist. Civ. part. III. lib. II. pag.* 650. *seq.* ubi de obsidione Amstelaedamensi, & sexvirali arresto Lupaesteinensi plenius disserit.

(7) Archithalassus M. Britanniae *Ascue* a Michaële de Ruiter captus praelio navali d. xi. Iun. 1666. Hagamque primum, mox Lupaestenium deductus, ab Auctore intelligitur. Vid. Aitzema *tom. V. lib. XLVI. ad d. ann. pag.* 698. *seqq.*

(8) Franciscum *Mendozam*, Arragoniae Admirantem, praelio Neoportensi captum anno 1600. & Hollandiæ per arces, modo arctiore, modo laxiore custodia detentum, tandem memorata conditione, anno 1602. rursus dimissum, auctores tradunt. Ev. Reidanus *lib. XVII. Ann. p.* 523. *& lib. XVIII. p.* 541. Grotius *Hist. lib. IX. p.* 399. *& lib. XI. p.* 419. Huberus item noster in *Hist. Civ. part. II. lib. II. sect. II. cap. XIII. p.* 370. Singularia nonnulla apud Meteranum *lib. XXII. fol.* 32. *b. seqq. & lib. XXIII. fol.* 41. *b.* & Io. Clericum *tom. I. lib. VII. p.* 499. *sqq. & p.* 517. *seq.*

medio sui *Rhenus* adlabitur, ubi post salutatum *Mosam* quasi pœnitens, exuto nomine *Vahalis* appellatur, editus est in lucem, anno sæculi nostri quarto GUILIELMUS CUPIUS, quem modo luci subtractum publice privatimque lugemus. Familiam utrinque vetustam, & honoribus domi gestis, continuaque dignatione claram fuisse cognovimus. Ex quâ paternum proavum consulem Bommeliensem, atque ad pacis transactionem inter *Carolum V.* & *Guilielmum* Cliviæ ducem, qua Burgundicæ domus Gelria cum cæteris portio facta, Delegatum numerat. Et tanquam provida quædam fortuna, venturæque affinitatis præsaga, id ordinasset, maternum eidem concilio proavum interfuisse annales loquuntur. Secundum hos paternus Avus *Henricus Cup*, maternus *Johannes à Wely* suis quique locis floruerunt; hic quidem ex equestri ordine ad comitia Patriæ conscriptus, eadem continuo frequentavit, donec uterque calumniis periculisque Albanorum temporum absterritus, pietatisque & libertatis amore accensus utriusque Instauratorum se partibus aggregarunt, & consilia Bommeliensium, qui inter primos Belgarum servitutem exuerant, ad constantiam exitumque felicem auctoritate sua prudentiaque sunt moderati. Sed *Henricus Cup* ex *Agnete Ter-Heida* filium reliquit, non fortunâ nec virtute majoribus imparem, *Petrum Cup*, qui uxorem nactus *Elisabetham*, *Johanni à Wely* ex *Gertrude Bylaria* natam, exinde filium auspicatissimis votis CUPIUM nostrum suscepit. Nomen infanti dare visum proavi; forte quod superstes avus, quæ senilis quasi propter omen instantis fati religio est, suo non magis nomine, quam vita cedere voluerit; nomen, inquam, majoris Avi placuit propagare *Guilielmi*. Natus est igitur GUILIELMUS CUP anno quem dixi supra CIↃ IↃ C quarto, pridie Nonar. Julii: Quo tempore duabus totâ non dicam Belgica, vel hoc sæculo, sed orbe, ut ausim dicere, toto, & ab omni antiquitatis memoria celeberrimis in Flandria obsidionibus certabatur; Exitu quidem pari sed conatu gloriâque dispari, Fœderatis Mauritioque ad *Clusam*, Hispanis atque Spinolâ post triennii pertinaciam adhuc apud *Ostendam* laborantibus. (9) Et nostri quidem

(9) Vid. Grotius *Hist. lib. XIII. sub init.* & *p.* 452. & plenissime omnium Mete-

dem modicâ unius æstatis impensâ urbe sunt potiti, in quâ copiose repererunt quod *Albertus & Elisabeth* tot irritis supplicationibus, tam immensa sanguinis utrique jactura quæsitum in Ostendâ vix tandem sunt adepti; quando nihil præter inanem informibus tumulis aut obliquis specubus aream, nihil quàm aggeres humanis ossibus compactos & cruore maceratos invenerunt. Gratulemur CUPIO nostro, quod meliores mitioresque natales, quod parentes non ad feritatem & ambitionem, sed factos ad mansuetudinem pietatemque sortitus sit. Qui non armis, non fundendo sanguini natum, sed humanitati & literis studiorum, quæ molliunt mores nec feros esse sinunt, addictum voluerunt. Est equidem in hac imperiorum & humani generis confusione, militaris rei scientia & fortitudo præclara virtus, animosque ad vulnera, cædes, ferrum flammamque obfirmatos gerere, pro patria & religione magnificum, occumbere etiam pulchrum; sed feliciores multò quis non fateatur eos, quibus procul a tubarum strepitu & horrore Martis, Arti amœnissimæ vacare, divinasque & humanas res otiose contemplari licet! Ad hanc felicitatem ut ingenium *Guilielmi* sui Parentes amantissimi pararent, omnium primo legitimos proficiendi gradus accurate servandos, nec ulla parte egrediendum ætatis modum existimarunt. Quæ pestis multò pessima quantopere disciplinam educationis corruperit, ac prope jam perdiderit nostræ, facilius querelis quam remediis probabimus. Atque utinam aliquando cogitet juventus, vel quibus in eam potestas, quantam festinatio moram, quam peremptorium studiis exitium importet. (9) *Cupiani* parentes ne quidem simplici trivialis exercitii rudimento satisfactum filio crediderunt, quin postquam per omnes *Bommeliensis* Scholæ classes ultimâque Rectoris *à Galen*, hominis eruditi, manu egregie ductus atque exactus esset, *Lugdunum* etiam *Batavorum* adolescentem ablegarent. Lugdunum, inquam, ex triviali Schola; nec dubitatis, *Ornatissimi Juvenes*,

teranus *lib. XXV. fol. 91. b. sqq.* Erat vero obsidio haec *Ostendana* velut publica Martis Schola, itidem atque *Pragensis* hodierna, serae memoranda plorandaque & Germanorum, & Gallorum posteritati.

(10) Vid. Oratio *Emundi Merillii* de tempore in Studio Iuris prorogando, quam notulis auctam Append. ci Repetitionis Institutionum olim adieci.

vestes, quin more vestro in Academiam & Auditoria publica intelligam, sed velim aliter opinionem instituatis. Ingenio quidem & profectu altioris erat capax promotionis GUILIELMUS, sed de die parentes non laborabant, confisi, tarditate institutionis, fructuque moræ, dispendium temporis abunde pensatum iri, præsertim cum indoles filii quàm ætas provectior esset, ac coërcenda præcocitas videretur, ne ut summo solo sparsa semina lætis sed inanibus aristis flavescunt, ita tenelli vis ingenii ante annos exhausta, cum maturitate flaccesceret, nec multum secuturis incrementis reservaret. Quapropter denuo filium in scholam, & viri doctissimi *Jacobi Lettingii* Rectoris disciplinam, dedere non dubitaverunt; Ex ipso limine Auditorii, attendite *Juvenes*, ex conspectu Academiæ, jam gustu fere percepto Studiosæ libertatis, ad quam mirifice aliàs gestiunt atque pruriunt inexperti. Hæc est severa proficiendi lex, hi sunt studiorum gradus, per quos ad excelsam doctrinæ arcem eniti & conscendere datur. Non est rogandum, an CUPIUS operæ pretium dimissus in Academiam fecerit, an illotis, quod ajunt, manibus ab sublimiores Artium Professores audiendos tractandosque se contulerit; postquam bis rude missus pileoque donatus ex umbra in lucem, è ludo tanquam in forum, non illud Mercurii, sed Minervæ atque Musarum prodiit. Nec de eo quidem dubitandum, quin is, qui tàm exacte justos discendi ordines per inferiora gymnasia servaverat, æque lentam solicitamque in difficiliori institutione normam sit consecutus. Hunc animum, industriamque Juvenis egregie tempus atque fortuna promovit; quando non alias *Leida* magis virorum insignium delectu per omnes doctrinæ professiones quàm eo tempore floruit, quo CUPIUS ob altiorem ingenii cultum auditoria frequentavit. *Gilberti Jachæi* inter veteris sapientiæ magistros, obscurum est nomen; sed *Franconis Burgersdicii* fama latius & validius inclaruit, qui adtemperato inter antiqua dogmata & novas præceptiones ingenio, aptisque docendi compendiis eò dignationis pervenit, ut, quod nec ipsum voluisse, nedum sperasse credo, notabili antiquorum honori sit adæquatus, cum jam publicis per Academias lectionibus doctorumque commentariis dignus habeatur. Tantis viris, ut sciamus quam solertem CUPIUS navarit ope-

operam, quamque non frustrà eos sectatus sit, argumento haut opus est alio, quam quod morali postea philosophiæ in *Hardervicено* Gymnasio (12) docendæ publice est admotus, atque suffecit. Sed literas humaniorum duo præcipue viri, toto sæculo & orbe maximi, *Lugduni* tunc propagabant, *Daniel Heinsius*, & *Gerhardus Johannes Vossius*. Quorum hic non dispar *Burgersdiciano* institutum (13) ad eas Artes transtulit, quæ Literaturæ & Humanitatis appellatione noscuntur, ut hoc genus doctrinarum, quæ per omnem vetustatis scripturam diffusæ, ac penitus immersæ sunt, etiam terminis, si posset, circumscriberet; ne Studiosi harum rerum, qui nunquam vident quid discendum habeant, confusionem verterent in desperationem; neve has artes omni fine modoque carere, mortalique ingenio impenetrabiles & inaccessas putarent: tum vero, ut ne vagâ tantum & infinita lectione, Generosi Juvenes, (sic merito, qui hæc student, appellantur,) memoriam implerent; sed, ut auditores aliarum artium, certis quoque regulis, universisque præceptis, rectitudinem judicii formarent firmarentque, ne nullis innixa fundamentis variarum rerum notitia diffueret, suaque semet ipsam intentione frustraretur. De *Heinsio* (14) tacere omnino quam pauca dicere præstat, ne laus hominis omni laude major minutiis laudum infracta videatur. Nec id quidem persequemur, quam recte prudenterque CUPIUS consuluerit, quod horum Auditoriis indefessum obeundis se dederit, nec ante ad Jurisprudentiam animum applicuerit, quàm Historiam, Eloquentiam, omnesque eruditas amœnitates præcepisset. Meministis, *Ornatissimi*

(12) In Academiam post annos 44. converso, anno 1647. quamque ab anno 1675. ex publico decreto ruinae proximam, auctore Wilhelmo III. Rege, Ordines instaurarunt anno 1692. Vid. Recessus Provinciales dd. annis in *Volumine Placitorum Gelriae*.

(13) Editis in usum Scholarum, ex decreto Ordinum Hollandiae, tot *Rudimentis*, cum *linguarum* Graecae & Latinae, tum *Rhetorices* & *Oratoriae*, suae nec hodie utilitatis laude frustrandis. Ecquis vero in Criticis maiorem *Heinsio*; in Grammaticis, id est, omni literatura, *Vossio* alium reperiat?

(14) *Scaligero* tamen hunc nemo sanus parem, & nisi furiosus superiorem dicet. Nota Grotium inter & Danielem simultas, a Synodo in primis Dordracena usque. Non aequum magis Cunaeo cum Collega, ut solet, commercium. Vid. *Epistola Cunaei XXVIII. p. 48. seq.* & *Epistola CXVIII. p. 182. ed. Burm.* Lites cum Balzaco enarrat Menagius in *Ana, tom. I. p. 26.*

tissimi Juvenes, cum pro concione Inaugurali (15) necessitatem conjungendi utriusque studii argumento Historiæ Juridicæ continuo atque diffuso probavimus, nec dubitabitis, quin etiamnum requiratur in Jureconsulti supellectile, quod ab omni antiquitate illis ratio & usus adesse oportere approbavit. Cæterum, quæ tum dicta sunt repetere nihil attinet. Sed *Leidæ* Juris scientiam CUPIUS docentes audivit, doctissimos & Celebres Viros, *Everardum Bronchorst*, *Cornelium Swanenburg*, *Johannem Linderhusium*, *Nicolaum Dedelium*, *Petrum* denique *Cunæum*, omnes quidem singulosque laudibus suis conspicuos, sed primum ac novissimum scriptis famâque notiores. *Bronchorstius* præcipuis Legum commissionibus, & controversiarum momentis in compendium redactis, operam satis expromptam juventuti ad velitationes cathedrarias impendit; quique hoc genere scriptionis dissoluto, & pene dixeram, quæstionario delectantur, iis exempli auctoritatem præbuit. *Cunæus* Juris Romani notitiæ omnigenam humanitatis doctrinam, & quod rarum in JCto, ac pene supervacuum, Hebraicæ antiquitatis, sacræque literaturæ scientiam, ut cum peritissimis comparari posset, adjunxerat. (16) Horum ductu præsidioque CUPIUS ita sese exercuit, ut consuetudinem suam ordinis graduumque servandorum constanter retineret, nec tamen vulgata *Studentium* exempla, viamque tritam usquequaque insisteret. Initium quidem à Cæsareo Institutionum manuali faciendum non dubitabat, sed cum in earum tractatione *duo* sint extrema consilii, unum quod ipse *Justinianus*, alterum quod mos receptus commendat, CUPIUS medio tutissimum iturum se speravit. (17) Nam cum Cæsar vix ultra *semestre spatium* institutionibus immorari præcipiat, vulgus proram quasi ac puppim studiorum in his collocare videatur; *Cupius* neque nimis coartari se passus est, nec omnes suos labores hic ordiri atque consumere

(15) Oratio est V. *sup. p.* 101.

(16) Magni Viri vitam *Adolphus Vorstius* in laudatione funebri compendio exhibet, Orationibus Cunaei a Cellario subiecta. Conferenda etiam, quae Celeberrimus *Burmannus* novae Epistolarum Cunaei editioni adiecit.

(17) Huc facit ab Illustri Auctore editus postea, *de ratione docendi & discendi Juris* Dialogus.

sumere voluit. Primo levi ac simplici via compendiariam Juris scientiam ex *Justiniani* libello comparavit, quasi per transennam adyta justitiæ spectans, neque mox intimis se penetralibus ingessit, sed contentus in vestibulum admitti, *Institutionum* auditorio se continuit, quarum exacta cognitione ut certissimo fundamento universam disciplinam niti arbitrabatur. Proinde semel eas iterumque sed plenius repetebat, ut causas ubique & rationes, ipsosque legum fontes, ex quibus derivatæ Institutiones, indagaret, quibus initio explorandis supersedendum judicaverat. Non vexavit, opinor, memoriam ediscendis *Regularum* Juris, & de *Verborum Significatione* libris, quod multi perperam novis Justinianeis suadent, quia ex diversissimis rerum capitibus præcisi textus, quæsitaque brevitate obscuri ignaris terminorum Artis præpostere obtruduntur, sed in progressu discendi eximio cum fructu applicari possunt. (18) Ita jacto diligenter, (minus tamen operose quàm mos est quorundam) validoque satis fundamento, nequaquam se absolutum putabat; quod suaviter multi somniant; sed inchoato tantum labore, quasi ad exstruendum educendumque à solo ædificium ex integro se comparabat. *Pandectas* igitur adiit, hoc est Oceanum Juris intravit, non ut plenis statim velis medio se profundo committeret, verùm ut solent qui ad ignota maria devehuntur, primum littora legit, priusquam se daret in altum; hoc, inquàm, primò dedit operam, ut cujusque tituli sententiam, usum, ac fundamenta rerum, quæ minus difficiles haberent explicatus, perciperet memoriæque mandaret. Quod repetitis lectionibus non modo firmare non piguit, sed & semper plus ultrà tendens tunc maxime solvendis perplexis, conciliandis contrariis, penetrandis obscuris, & omnibus exquisitis intentus omnia subigere ingenio & JCtum perficere satagebat. Si quis expectet quam mox *Codicem* & *Novellas* peculiari post *Pandectas* studio CUPIUM tractasse referam; is sciat neque id factum, nec necessarium videri, cum absque doctrinæ damno eximio-

(18) Quod maximi viri, *Petrus Faber* & *Jac. Gothofredus*, ad tit. de Reg. Jur. item *Jo. Goeddaeus* post Alciatum, Fornerium, Brechaeum, ad tit. de Verb. Signif. data opera ostenderunt. Et egregia sunt, quae Jac. Labittus in *Usu Indicis* sui hac de re commentatus est, *cap. II. §. 14. seqq.*

que temporis compendio repetitæ Pandectarum lectioni præcipua sequentium librorum capita facile jungantur. De methodica nimirum & titulari, *sic loquar*, doctrina sentimus, ad quam veteres Auctores Pandectarum (19) videntur esse aptiores; alioqui legendos quam maxime & perdiscendos Constitutionum libros, dubitare nefas erat; sed in Pandectis quasi Theoriam, praxeos similitudinem quandam in Codice, tradi existimamus. In his quanquam ingenio excitatissimo, diligentiaque memorabili privatim CUPIUS utebatur, semper tamen proprias curas viva Professorum voce gubernavit; *quando, qui semet docere, & ipsi studia sua regere vellent vix unquam ad frugem pervenire, & eos quibus nulli fuerant, semper habuisse malos Præceptores animadverterat*. Ipsi & a publicis prælectionibus abesse erat religio, atque operam assiduo dabat, ut in domesticis Professorum Collegiis audiendo, rogitando, respondendo, disputandoque se cum æqualibus exerceret. Nam & hoc ad compendium proficiendi efficacissimum sentiebat, & quæ in publicum Doctores proferrent magis præcipua & elaborata deprehendebat; ut adeo multos vestrum, *Præstantissimi Juvenes*, vehementer falli oporteat, qui vel publicis contenti collegia aspernantur, vel his ita se dedunt, ut Academicas prælectiones, quasi ad pompam magis, quàm ad utilitatem fructumque comparatas, adire magno suo damno graventur. Sed CUPIUS publice privatimque partibus suis præclare defunctus, animum ad supremos tandem honores adjecit, quos magna meriti sui fama, omniumque applausu in eadem *Lugdunensi* Academia, *ante diem* XVI. *Kal. Febr.* anno sæculi XXVI. ætatis secundo & vicesimo impetravit. Equidem, si quàm difficile docendi munus (20) & quam arduum *Doctoris* nomen est, tam grave censeamus onus iis impositum, qui hoc titulo salutantur, quotusquisque eorum, quos torquis & annulus honorat, reperietur, qui re ipsa Doctorem exhibeat, & meriti valore dignitatis professioni respondeat? At CUPIUS

Doctor

(19) Alia vero mens Bononiensibus, Codicem una cum Pandectis, cum publice praelegentibus, tum commentis suis illustrantibus. Vid. Guido Pancirolus, *de Claris LL. Interpretibus, lib. II. cap. 6. seqq.*

(20) Peculiari hoc ipsum Oratione ostendit Vir Ampl. Ev. Otto, *de arduo Antecessoris munere.*

Doctor appellari non sustinuit, priusquam & suâ, quæ sæpe blanditur; & aliorum opinione doctoralem fiduciam comparasset. Quapropter etsi adolescentiæ annos vix dum excesserat, officium tamen docendi non ambitiose petere, sed præstare cum gloria instituit. Hauddubie enim multo majus fuit, desiderio & flagitatione juventutis, quæ adulari nescit, ab ipso Professorum ordine, rigidis in sua re doctrinæ æstimatoribus, quam favore Magnatum ad profitendi honorem extolli. Quanquam igitur in foro nomen professus, auxisset non tam numerum quam dignitatem Advocatorum, Studiosi tamen clientes, rusticos atque cives prævenerunt, eumque concursu facto ad aperiendum quasi ludum, copiamque institutionis suæ faciendam compulerunt. Macte generoso CUPI proposito, qui spreto genere vitæ, quod ambitionem & lucri spem præferebat ampliorem, Scholasticum, quo quidem honestius & innocentius nullum, sed apparatu & splendore minus speciosum prætulisti. Dedit tibi luculentum hujus consilii fortuna fructum, ut quod Consul Romanus (21) in amico suo beatum prædicabat, postquam sexagesimum annum excesseras, adhuc *Scholasticus* tantum moreretis. Placeat sibi quantum profana plebs volet, cum Artium Professores velut convitii causa *Scholasticos* vocitare gaudent, quando Consul idem non modo nihil sincerius, sed nec felicius, nec gloriosius quicquam Scholasticâ dignitate censet, istos vero contemptores pulchris saxeorum nominibus ornat. Non fuit hac populari inflatus arrogantiâ, vir summæ Nobilitatis *Johannes Gordonius*, Strenuissimus vigilum in Castris *Arausiacis* Præfectus, quem de matrimonio CUPIUS stabilem meditatus vitam, compellavit. Editus erat ex vetustissimo in Scotia *Gordoniorum* & *Huntilæorum* familiis, de quorum stirpe rebusque gestis annales Gentis copiose memorant; argumentoque potentiæ esse potest, quod ante CUPII natales vix quadraginta annis *Gordonii*, principe familiæ *Georgio Sutherlandiæ* Comite, cum *Huntilæis* fœdere ac, ut videtur, affinitate conjunctis adversus Proregem *Jacobum Moraviæ* Comitem bellum civile suo nomine administraverint. (22) Ex his *Alexander Gordonius* Legioni Scoticæ Bel-

(21) C. Plinius minor, *lib. II. Epist. III.* §. 5. De *Scholasticis* quaedam memini, *sup. ad Orat.* X. *p.* 185. *not* (7)

(22) Vid. Buchananus *lib.* XVII. *ad ann.* 1561. *seq.*

Belgarum ſtipendiis, juxta *Guilielmum Stuartum*, regiæ ſtirpis virum, legatus præfuit, ejuſque neptim ex *Johanne filio Gertrudim Gordoniam*, thori vitæque ſociam CUPIUS cupivit ac inpetravit; conſcio ſatis Parente, majorum ſuorum imagines affinitate Scholaſtica minime dehoneſtatum iri; nec ullum eſſe tam illuſtrem fortunam, quam non ornet, non augeat literarum glorioſa notitia. Nos illam, *Auditores*, omnibus quæ matronam ornare poſſent, virtutibus eminentem, piam, ſedulam, modeſtam, viri, quod ipſe expertus, amantiſſimam, rerumque ſuarum contentiſſime ſatagentem cognovimus. Lugduni Batavorum CUPIUS jucundam cum ea vitam, uſque ad annum ſeculi XXXIV. egit, quo ab ampliſſimis Gymnaſii *Velavici* Curatoribus in publicam Juris Profeſſionem Viro Celeberrimo *Antonio Matthæo* (23) cujus memoriam, ut Præceptoris noſtri, honoris cauſa citamus, tunc *Trajectum Rheni* vocato eſt ſurrogatus. Non immerito prudentiores, ipſæque Leges Almæ Noſtræ præcipiunt, ne quis temere ad profitendi honorem admittatur, niſi qui publicis primum documentis, & probe ſe didiciſſe, quam docere affectet artem, & valere ad docendum probaverit. Quod ubi negligitur, ſi aliquando eventus temeritatem abſolvit; at non rarò ſeram pœnitentiam cum publico nec reparabili detrimento apportat. De CUPIO *Harderwiceni* non metuebant, ne qui privatus frequentiâ diſcipulorum Doctor floruerat, jam publica ſubnixus autoritate Profeſſor obſoleſceret. Quam abunde expectationem implenti, ſubinde & moralem Philoſophiam (24) quod ipſum narrare memini, alternis prælectionibus

(23) Hic *Antonii Matthaei*, apud Groninganos Anteceſſoris filius, & *Antonii Matthaei* Leidam poſtea vocati pater, primus in Illuſtri Athenaeo, & mox in Academia Traiectina, Anteceſſor; cuius & vitae, & gentis, & meritorum praecipua in *Traiecto Erudito* recenſet Ampliſſimus Senator Vrbanus Caſpar Burmannus.

(24) Quam & antea civis noſter *Bern. Sutholdus*, in eodem Athenaeo, una cum Iure profeſſus fuerat, ipſomet memorante in Orat. Inaug. Ao. 1622. Diſſertationibus eiusdem ad Inſtitutiones ſubiecta. Invidendum vero elogium eſt, quo iſtum Bachovii diſcipulum, & Cunaei clientem, Huberus noſter exornavit, *Eun. Rom. ad l. 1. de inoff. teſtam.* De apoſtaſia denique noſtratis, & in aula Duſſeldorpienſi novo Conſiliarii munere, videſis notata Cl. Burmanno *ad Cunaei Epiſt.* CXLI. p. 210. ubi e Miſcellaneis Leibnitianis error eximitur de profeſſione *Daventrienſi*, quam Sutholdus nunquam obiit, e procinctu itineris in Angliam Hardervicum evoca-

nibus illustrandam commiserunt; ut Auditores suos non tantum leges, vel nudum earum corticem, sed nucleum ipsum & radicem, hoc est, causas rationesque doceret, ac ita non modo corpus, sed & animam Juris sibi propositam intelligerent. Sane Gelris suis atque vicinis quantopere satisfecerit, clarius patere non potuit, quam cum publicis literis eum pridem ad nos delatum honorificis conditionibus postea revocarunt. Proceres enim *Frisiæ* percepta viri famâ meritorum, cum hic mortalitatem *Martinus Wybinga*, *Frisius*, & Juris Ordinarius Professor explevisset, neminem ante CUPIUM qui succederet optaverunt, eumque æternæ memoriæ *Wissenbachio*, qui Clarissimo Viro *Henrico Rhala* perinde *Frisio* successerat, conjunxerunt, inauguratione *a. d.* XI. *Kal. Mart.* auspicatissime celebrata. (25) *Non potest non ægre ferri, tunc eam per* Frisiam *ingeniorum fuisse penuriam, ut tertio mox à Suecia Juris Doctore vocato* (26) *nullus popularium; quod à fundata Academiâ non contigerat; Jurisprudentiam doceret. Tametsi enim plus quam fateri, nedum exsolvere possimus, magnis viris Exteris hæc Academia debeat, nunquam tamen Juridicæ Facultati omnino ita defuerant, quos Patriæ producere auderet, quique pariter saltem cum Exteris, & profitendi partibus sufficerent, & Academiæ splendorem tuerentur. Henricus* Schotanus, *Julius* à Beima, *Marcus* à Lyklama, *Timæus* Faber, *Hector* Bouricius, *Bernardus* Schotanus, *nequaquam pœnitenda nomina*, Frisii *omnes & scriptis famaque inclyti homines, tam suum quam Academiæ nomen gloriose propagarunt.* (27) *Causa tàm enormis hoc tempore deliquii non fuit alia (vos alloquor* Frisii *adolescentes) ac ea quam modo abominabar, improspera studiorum festinatio, per quam accidit, ut qui commeatum ab Academiâ petunt, ad docendum nec peritia nec annis idonei, mox foro mancipati, cultuque Academico destituti, paulo post ad*

vocatus, patrocinio Cunaei sui. Vid. Dedicatio Orat. Inaug. *de Ratione Interpret. Juris, & Philosophiae Activae cum Juris studio coniunctione.* Addesis Epistolas Cunaei *CXXXVII. & seqq.*

(25) Anno istius Saeculi XLVII. d. xv. Martii, uti est in Fastis Academiae.

(26) *Laurentio Banck*, ut extra ordinem Iura interpretaretur, qui una cum *Cupio* ICto, *Acronio* Literatore, *Holwarda* Logico, & cum *Petro Moll*, Graecae Linguae Professore, simul introductus est. Vid. Fasti *ad cit. ann.*

(27) Vid. superius Oratio VI. *de Claris Frisiae ICtis*, p. 124.

ad quidvis potius, quàm ad cathedras nati factique videantur. Sic igitur gratulandum erat Frisiæ, quod jam pridem nacta *Wissenbachium*, etiam CUPII corroboratâ tempore dignitate doctrinâque potiretur; à quo satis constat, nullum perfecti Doctoris officium, quod non abunde præstiterit, desiderari potuisse; qua de re priusquam loquamur, paulisper ad alia deflectendum. Quamdiu Franekeræ CUPIUS egit, successu rerum suarum, ut animi vere moderati, nec ultra fortunam adsurgentis fuit, pro voto satis prospero & æquabili usus videtur. Quem tamen nec ambitu affectato, nec adulatione adversus potentes, (28) nedum obtrectatione aliorum, augere vel attollere conabatur. Qua frontis teneritudine, & generositate factum, ut aliquandiu minus lautis, quam pares Collegarum meruerant, vel nota virtus & labor ejus exigebant, annuis frueretur. Quo, ni fallor, respiciens candidissimum pectus, crebro illis temporibus, amicorum albis & nomini subscribere vidi illud, *Probitas laudatur & alget.* Laudata semper tua probitas, ô CUPI, mansit atque manebit, algere semper eam nec vis virtutis, nec liberalitas Dominorum, nec æqua meritorum æstimatio sunt passæ. Interim animo cuncta ferebat æquo, ut ingenium viro tranquillum, &, si unquam alii, mite natura dederat, quod nec aliena felicitate, nec offensionibus temere vel fraude objectis, nec quovis statim fortunæ transversario torqueretur. Quanquam aliquoties non evitavit, quin vis major fati, ut copiam exhibendæ virtutis haberet, eum gravissimè percelleret. Vir bonus non optat enervatam felicitatem, qua hominum animi velut perpetua ebrietate sopiti permadescunt, nec horret difficiliorum casuum experimenta, quibus fortitudinem palam ostendat. Sic animatus erat CUPIUS, cum non dudum, postquam in hanc civitatem appulisset, diuturna vehementique afflictus est valetudine, quæ in importunam & contumacissimam mutata quartanam, *totis*, exemplo terribili, *triginta mensibus*, exhaustas tantum non oppressit vires. At animus semper manebat erectus, virtutisque alias in obscurum ituræ specimine, per quod enitesceret, gaudere videbatur. Tandem etiam corpus vigore naturæ pristinam firmitatem

(28) Quod vitium vere caninum, & generosis incognitum animabus, etiam a Wissenbachio suo longe abfuisse, Auctor in *Praefatione ad Wissenb. Inst.* nos docet.

tem recepit, si non purior ac subtilior ejus pars, & ad divinæ particulam auræ propius accedens, aliquid irreparabile amiserit. Ipsum utique recordor conquestum & res ipsa docuit, memoriæ facultatem non parum imminutam, & cathedrariis recitationibus haud perinde sufficere visam, quando vix quicquam ex eo in quotidianis prope exercitiis absque subsidio *memorialis libelli* (29) Virum doctissimum præstare vidimus. Quod licet vim gratiamque docendi frangere & debilitare videatur, *Cupianis* tamen lectionibus nemo nisi doctior abundeque contentus exivit. Sed non multo post alia virum optimum major & decretoria calamitas invasit: Ut semper optimum quemque, ait ille, Deus, aut malâ valetudine, aut aliis incommodis afficit; quos probat, quos amat, hos indurat, recognoscit, exercet; calamitas virtutis occasio est; eoque se CUPIUS solatio allevare debuit, cum *Gertrudem Gordoniam* conjugem amantissimam, *a. d.* v. *Kal. Jan.* anno sæculi LIII. non sine gravi familiæ incommodo, & vulnere mentis ereptam, acerbissimo luctu prosecutus est, septem omnino, filiâ una, liberis ex ea superstitibus. Quorum tres ad virilem provectos ætatem, uno Juris Doctore pridem renunciato, immaturis mortibus amisit. Reliqui paternæ scientiæ Doctores, *Johannes* apud Gelros, *Alexander*, & *Vinandus* coram Suprema Frisiorum Curiâ solertissimi Advocati, servato mortalitatis ordine, supersunt, ut & *Elisabetha*, *Johanni Buiningio* Enchusano, Juris itidem Doctori, honestissime collocata. Non secutus est in producendis filiis nostratia Parens numerosarum domum exempla, partiendi operas, nec iisdem omnes professionibus adhibendi: veteres imitari maluit, quos non minus Artium suarum, cum poterant, quam divitiarum liberos heredes instituisse accepimus; an juvenum spectavit indolem, quos domestica potius disciplina delectatos, nec quod penes se haberent foris quærere voluisse consentaneum est. Cæterum, post desiderium carissimæ conjugis, transactoque lugendi tempore, quid optimo viro supererat tot liberis obsepto consilii, quam ut vulneri tam alte impresso efficaci fo-

(29) Ita vero docere adsuetos Professores haud ineleganter studiosi nostri *Dictatores Perpetuos* adpellitant. Ridet eosdem Cuiacius in *praef. Paratitl. ad π*. Alia quoque omnia inculcat Illustris ICtus, Ev. Otto in *cit. Orat. de ard. Antec. mun. p.* 68.

fomento mederetur? *Debemus ita nos præbere fortunæ, ut non modo contra sævitiam ejus patientia duremus; sed adversitates etiam in voluptatem prudentiâ convertamus.* CUPIO sarciendæ jacturæ non aliunde spes quam ex reparatione boni, quod perdiderat, ostendebatur: Ut mœrorem atque damnum amissæ conjugis novi conjugii auxilio lætitiaque tolleret ac instauraret. Cujus propositi eventus non minus eum divina bonitate recreavit, quam gravissimus superioris anni casus familiam ipsumque perculerat. Incidit in lectissimam virginem suoque mori & naturæ simillimam, id est, candido liberalique ingenio præditam, *Catharinam à Reneman*, Viri Amplissimi Johannis *Renemanni*, Amiralitati *Harlinganæ* à Consiliis & fiscalis Advocati, filiam. Quæ dici non potest quam officiosam conjugem, quàm benignam, quod rarius, novercam se præstiterit, quam concorditer atque jucunde hos duodecim annos cum facillimo quidem marito, sed tot liberorum parente traduxerit; quibus postea tres ex ipsa parvuli, præsentis sui vix intelligentes dispendii accesserunt; *quatenus semper juveniles senum nuptiæ pupillorum vel Patrum orbitate finiuntur.* Verum hi quidem omnibus bonis non tantum ob annos, sed & Paterni nominis memoriam, favorabiles habebuntur. Nam cui non laudatus, non amatus, cui non per omnia CUPIUS satisfecisse visus? quem juventus Præceptorem, populus civem, Senatus Collegam, Academia tota Professorem consummatissimum agnovit. Jam primum eruditionis diligentiæque specimina dedit tam luculenta, ut non immeritò per omnem vitam nihil egisse, nihil audivisse, nihil locutus esse quam Jura videatur. Testes erunt tot discipuli, quibus forum & Rempubl. complevit, testes sunt ingenii monumenta, libri quos publicavit. *Disputationes ad Instituta Imperialia*, lectione multâ, solido acumine, singularique judicii acrimonia perscriptæ. *Notæ* verò *ad Institutiones*, si quid ego recte judicem, brevitate concinna, & perspicuitate acuta, tyronum manibus perpetuo versari merebantur, nisi fatum, nescio quod, etiam in libellis potens obstitisset, vel serius noster CUPIUS occupatum ab Elegantissimo *Leidensi* notatore (30) tentasset institutum. Dedit & speciales

(30) *Arn. Vinnio*, quem reliquis omnibus in hoc genere palmam dubiam reddidisse, sibique ipsi iam scripturienti calamum excussisse de manu, in epistola ad *Vinnium* ingenue profitetur *Bern. Schotanus*, inter primicerios nulli secundus; de quo *sup. in Orat. VI. p. 137.*

ciales de *obligationum* atque *successionum* utilissimis in foro doctrinis succinctos facilesque commentarios. Nunquam enim dissimulabat, eorum minime se probare difficilem industriam, qui majorem obsoletis Romani Juris capitibus, quam quæ vigent usu operam impendunt. Id officii à vero Juris Magistro expectari, ut Auditores in ipsam legum arcem, id est, principia actionum civilium planâ viâ deducat, neu commissam juventutem supervacuis oneret. Quo scopo novissime *breviarium Institutionum* fasciculo complexus ad disputandum proposuit & cum publico in usum *Discipulorum* communicavit. Quibus ita se dabat totum, ea dexteritate, promptitudine, facilitate inserviebat, ut cum magni merito illum facerent colerentque, tamen magis amaretur, atque ut fautor studiosorum, incorrupto disciplinæ honore, laudaretur. Quam juventutis reputationem, Rectura quoque bis administratâ, temperatoque inter gravitatem ac indulgentiam moderamine ad extremum usque servavit. Nec suos tantum apud cives, sed omnes etiam oppidanos pari existimatione florebat. Sic erat ingenium, *Auditores*, insolentiam habitus, arrogantiam sermonis, inanemque procul habere fastum: Nemini ineptiis, nemini jactantiâ, vel scurrilitate esse gravem, nulli lædere os, blande dicere, benignius facere; Comitatem, modestiam, simplicitatem ubique præferre, nec usquam aliter uti; hoc agere semper, ut quam plurimis, quibus in rebus posset, ope consilioque adesset; Atque his moribus nemo mirabitur, cum & facile collegisse, & ad senectutem usque sine offensione, summam omnium retinuisse benevolentiam. Quid hic prolixe memorem, *Clarissimi Collegæ*, quam nobis grata defuncti consuetudo, quam jucunda fuerit nullis interrupta querimoniis amicitia. Utinam ut bis experti sumus Rectorem sapientissimum, sic tertia vice, quod proxime erat futurum, ejus gravitate, prudentiâ, moderatione sceptrorum uti, & Academiam ipsi reflorescentem conspicere licuisset. Sed o res mortalium inanes! O insidiosas fortunæ blanditias! Nuperrime loco professionis, & stipendii honore, aliisque familiæ commodis auctus spes novas & quasi novam ætatem ordiebatur, cum vergente superiori æstate, annum agens ominosum senibus, tertium & sexagesimum, febris cum populariter grassata conflictare cœpit, (dictata jam sequor

Celeberrimi Collegæ JOACHIMI FRENCELII) varias postea per autumnum conversiones morborum cum variâ reciprocatione passus. Ex quibus ægre eluctatus, instauratis utcumque viribus, & in speciem validus ad ordinarias quidem functiones digressus est, verùm non obscuris febrium & vacillantis interdum valetudinis indiciis erumpentibus. Die demum x. *Januar.* prævio rigori æstu vehementi succedente, novos morbi insultus cum siti fere inextinguibili, insueta linguæ intumescentiâ, dolore capitis, somno interrupto ac turbulento, sensuque per artus molesto expertus est. Quibus ad exhibita auxilia levari quidem visus, verum noctu xvi. Januarii, exacerbata repente febri, superveniente delirio, patuit augeri periculum, languidis ex frequenti morborum reversione viribus. Quin post auroram, solutâ invalescente æstu natura, collectoque sensim intra thoracem sputo, ac omnibus subito actionibus interceptis, hora ante meridiem octavâ, aut non multo secus fatalem horam implevit. Hoccene, Beate *Collega*, sperabamus, cum juxta socrum, uxorem, filiumque, pridie lectulo tuo adsisterem, ac ita colloquiis nostris uterere, quasi nihil præ-grave sentiens, nihil lethale reformidans? Quamvis ad vocem quidem nutumque Redemptoris tui paratum te sistere, non ut extrahendus, sed exiturus de vita testabaris; multum iis dissimilis, qui fata surda fatigant & exigui temporis accessionem pudendis votis mendicant. Tu recenti superioris morbi desperatione contritum adhuc, & infirmitatum conscientia dejectum humilemque gerebas animum; ultima verò nec sperans nec pavens certo gradu ad Servatorem tuum ibas, vitamque & mortem, utrumque in conspicuo habebas. Delirasse Te, cum multa novissimis horis Latino sermone proferres, qui non intellexere volunt; sed piam animam credere fas est, totam precibus suppliciisque occupatam nihil interpellantium verba morari, hoc agere, nihil aliud curare potuisse; vel propinquitate cælestium rerum, ac meditatione æternitatis raptam extra se, falsam per tenebras speciem præbuisse delirantis. *Sed næ Tu jam nos*, Beate Spiritus, *vere delirantes ex alto despicis, cum de rebus vanissimis laborare, cursitare, totosque, o stultitiam! homines tanquam de gravibus arduisque occupatos cernis; cum noxia perniciemque allatura tanquam vera bona in sinu gestare, mi-*

sferosque

ferosque mortales immortali cupiditate flagrantes labore magno, quod majore possideant, ire quæsitum vides. Hos insatiabilem tenere avaritiam, alios madere luxuria, multos torpere inertiâ, plures suspensâ semper ambitione fatigari, neminem se sibi vendicare, cunctis aut nihil aut aliena curantibus. Delirant Reges, delirant populi, quando cuncta sursum deorsum ferri agique, cœlum & terram ipsumque Acheruntem moveri, quàm irarum avaritiæque causas æquo juri submittere malunt, & ambitiosas opes, quibus potiri quam carere tanti non erat, Christiano sanguine redimunt, fortunamque tam diu lacessunt, donec in se ipsam ruat. O *te beatum nunc potius* CUPI, *cum spectas hanc insaniam, quam modo cum sentires! Antehac in terris fuisti duntaxat, & tempus magis quam vitam egisti. Nunc demum in cœlo vivis & pridem aliis consumptus tibi tandem soli vacas. Humana omnia supergressum extraque regnum fortunæ subductum, non tristitia, non metus, non morborum incursus exagitat. Tuæ jam perpetua & intrepida vitæ possessio est, quæ nec eripi neque turbari potest, dum nos irrequieta semper agitatio præcipitat, eodemque nunquam vestigio relinquit. Adeone acerbum videbitur, à complexu necessitudinum, à carissimis modo pignoribus, Te repente fuisse abreptum, quem nunc brachia Servatoris tui complectuntur? Uxorem liberosque non adspicere, qui gloriosissimam Christi faciem intueris? Professoriam amisisse cathedram, qui sacerdotalem, qui regiam sis nactus? Tene quis subductum terris & carcere liberatum doleat, quem scimus ineffabili cœlorum gaudio ferri? Ereptum hominibus lugeat, qui cœlesti choro, qui Angelorum consortio potiris?* Quin *Tu Vive, Tu gaude, Tu luce divina & pleno Numine,* O CUPI, *fruere, atque dum nobis insultatur, Tu in æternum exulta, donec omnes* Christo *tibique conjungamur.*

DISSERTATIO XIII.
SIVE
COLLATIO JURIS
FRISICI
Cum Jure Romano II.

Habita Franekeræ, apud ædes

ULRICI HUBERI

Supremæ Frisiorum Curiæ Ex Senatoris.

D. 26. Maji CIↃ IↃC LXXXII. horâ primâ pomeridianâ.

VIRO ILLUSTRI

WILHELMO AB HAIREN,

Legationibus ad Reges Angliæ, Daniæ, Seciæ, Congressusque Orbis Christiani apud Coloniam, & Neomagum, gloriose defuncto: Domaniorum Frisiæ Quæstori Generali, Biltanorum Prætori, ad Comitia Reipubl. ex Nobilium ordine Conscripto, & Octo-Viro: Acad. Curatori, &c. (1)

S. D.



Ccasionem Te publice appellandi, Vir Excellentissime, *Tu ipse mihi nuper, si memineris, præbere voluisti: idque in primâ nostra Juris Frisici cum Romano Collatione, cui juxta Celsissimum* PRINCIPEM,

(1) Tanti Viri, cuius patrocinio & Cl. Noodtius Franequeranam cathedram se de-

PEM, *Tu quoque*, & *aliquot è primis Proceribus interesse dignati estis. Nam, eâ finitâ, Tu mihi arridens illo tuo blando ore, vultuque humanitatem spirante, quem tibi natura proprium fecit*, omnium judicio, *inquis*, causa cadis in illo quæsito, quod Advocatus *Vander Sluis* impugnavit, (2) etsi disputando ei cedere nolueris. *Ego vero*, cedam igitur omnium judicio, *inquam*, *quid enim facerem*, *cum* & BINHERDUS HERINGA DE GROVESTINS & THEOTARDUS AB AYLVA, & FRANCISCUS à BURUM, *at quanti Viri! à me dissentire viderentur; etiamverò* Procurator Generalis *contra me tenderet; ego, qui minime omnium singularis esse gaudeo, multumque præjudicii in communibus judiciis collocare soleo, cepi tamen impetum postea, paulo latius exponere causam istius & adhuc alterius sententiæ, quæ similiter tanquam paradoxa notabatur, ut existimes Ipse, numquid prorsus sine remedio provocationis vadimonium mihi deserendum sit; quod, ut professus sum inde ab Initio, melius edoctus semper & sine difficultate faciam; nec enim ex eorum numero esse volo, quos* τὸ ὀρθῶσθαι γνώμαν ὀδυνᾷ, quos dolet emendari sententiam; *quæ imbecillitas maxime nunc aliena debet à me esse, versante in genere scribendi novo, nec ante me in universum tentato. Sed quia propositum mihi est, veras & certas Juris sententias erroneis usurpationibus præferre, nec obtentu* praxeos, *has admittere sine lege vel Statuto, frequenter oportet eveniat, ut primo auditu positiones meæ præcisius collocatæ aures hominum offendant. Sententia mea, quam vos pene sensui communi adversam putabatis, ita est scripta in Instit. Iur. Fris. lib. I. cap.* 8. *de socie-*

debuisse profitetur, *Orat. de Civ. Prud.* laudationem funebrem huic libello subiecimus.

(2) Vid. *Sup. Collatio I. p.* 23. *seqq.*

cietate conjugali, *n.* 11. Annui reditus, qui ad vitam habentur, finito matrimonio, restituuntur alteri conjugum, cujus fuerunt; idemque est in usufructu, quem alter conjugum intulit in matrimonium. *Loquimur de illatione simplici & generali, sicut thesis est generalis, non de illatione speciali, qua dictum sit, usumfructum annuosve reditus inter conjuges fore communes; nam eo casu non puto dubitandum esse, quin fieri debeat id quod convenit, & expressum est. Ratio positionis nostræ, Lector, hæc est.* Statuto Frisiæ *lib.* 1. *tit.* 3. *art.* 1. *cau-* „ *tum est*, ut quæstus & dis- „ pendia, durante conju- „ gio, communicentur, ipsa „ vero sors cuique salva ma- „ neat; *quatenus scilicet cujusque rei natura fert; Ideo si res, quæ servando servari nequeunt, ut oleum, vinum, frumentum, butyrum & similes, notabili copia in societatem conjugalem ab altero conjugum inferantur, fit earum rerum descriptio, vel æstimatio, caveturque, ut tantundem, vel pretium, ei qui res tales intulit restituatur. Idem fit in animalibus & supellectilibus, quarum omnium rerum licet pereuntium Sors consistit in æstimatione vel descriptione factâ, reditus in usu vel in usuris pecuniæ quâ res æstimatæ sunt, nihilo secus ac in ipsa pecunia numeratâ. Sors, finito matrimonio, restituitur ei cujus fuit, usus usuræque cedunt societati: scilicet, ne ipso usu redituque sors periret, quod naturæ societatis, cujus fundamentum est æqualitas, contrariatur, quodque tamen fieri deberet, si rerum earum usus abususque simpliciter & absolute communis esset. Perge, conjux alter habet in bonis terram ustilem aut argillosam, quæ fodiendo exhauritur, quis mihi negabit, eam terram vel æstimandam esse prius, vel pecunias e cespitibus argillave redactas ei cedere, cujus terra fuit, usuras autem pecuniæ durante matri-*

monio

monio esse communes? si in dotem marito dentur, manifestum est, eum plus juris in eas res habere, quam si in matrimonium tacite inferantur; quia priore casu Vir fit dominus, l. 1. §. 1. l. 13 §. 2. D. de fund. dot. altero, dominium manet intactum & inmutatum, Tamen ipsi cespites & argilla non sunt in fructu mariti jus dotis habentis, sed commodum inde redundans, ut Ulpianus docet exemplo marmoris è lapidicinis excisi, quando lapides non renascuntur (ut sane terris ustilibus & argillosis apud nos minimè contingit) l. 7. §. 13. ff Solut. matrim. Hoc ergo bonum & æquum & planum est, ut quando res, quæ ab altero conjugum inferuntur, ejus sunt naturæ, ut sors usu redituve minuatur & evanescat, tum eæ res vel æstimentur ab initio, ut pretium pro sorte habeatur; vel reditus, ita ut proveniunt, accumulentur pro eo cui decurrunt, eorumque usuræ societati cedant; consequenter finito matrimonio, corpus illud redituum perceptorum restituatur ei cujus fuerunt. Hoc ita in frumentis, in suppellectilibus, in terris fossilibus, omni die servari servandumque esse, nemo, sat scio, negabit. Non duco vel necto consequentiam, sed repeto quæ dixi, quæque nullo modo negari possunt. Reditus vitales & usufructuarii sunt ejus naturæ, ut sors earum usu redituque minuatur & evanescat, ideoque si inferantur in matrimonium, vel ab initio æstimanda sunt ea jura quanti sint aut vendi queant, si actu non vendantur; vel quod liquidius, ipsi reditus coacervandi restituendi que sunt ei cujus fuerunt, usuræ verò aliusve quæstus ex eis pecuniis factus erit communis. Hæc clara mens Statuti, hæc etiam æquitas manifesta est. Pone puellam, mille aureos habentem in reditibus ad vitam Titii constitutis, nupsisse; vendi posset hoc jus decem millibus, adeoque decem aureorum millia vere realiter-

 que

que infert in matrimonium: moritur Titius, solvitur matrimonium; Tu vis puellam nihil habituram & fore indotatam, contra l. 1. D. Solut. matrim. ego vero, nihil justius, nihil rectius, quam reditus sine usuris esse restituendos. Recognosce priora; quæ recusari non possunt, & aude negare, parem hujus exempli reliquorumque esse rationem. Quid autem? ais; pater habet usumfructum in bonis filii; Transit ad secunda vota, nunquid hosce reditus pro sorte habebit, & ab uxore novâ pro parte recuperabit? absonum, inauditum hoc. In promptu sunt exempla procerum, civium, qui nihil unquam tale somniarunt. Credo, cum postea monstrabo, agricolam qui habet usumfructum ab uxore, posse equis & vaccis ad usque mortem bestiarum uti, & lintea laneaque vestimenta finito usufructu reddere detrita, sine ulla restitutione pretii, me non minus explosum iri, utcunque nihil certius sit; aliaque id genus multa usu venient & venire necessum est. Desvetudo & ignoratio juris loco praxeos *in forum invasit, & Statuta legesque subigere parat; quod si majores nostri tulissent, jam æque corruptam haberemus Jurisprudentiam, ac vicini passim; & si porro huic morbo indulgebimus, Sapientia civilis brevi ad* cerebrinam æquitatem *dejicietur.* (3) *Nescio alioqui, an non Patres minus huic rei adverterint, ex eo quod filius ac Pater una persona sint & filius ipse, qui domi alitur, per patrem fructus percipere, ipsoque sortem habente, Pater eandem habere salvam videatur. Sive igitur hæc sit exceptio, cum vel sine ratione introducta; sive etiamnum Pater, deductis filii alimentis, si jure suo velit uti, suum usumfructum vel æstimatum inferre vel præcipuum retinere possit, usuris redituum in*

(3) Vid. Ampl. Bynkershoekius in *præf. prioris voluminis Observatt.* Item in *Quæst. Jur. Publ. lib. II, cap. 12.*

in communi illatis; res est clara, per hanc instantiam non infringi veritatem firmitatemque sententiæ; crebrioribus Interpretum, etiam, ut conjicio Sandii lib. II. Decis. Fris. tit. V. def. 3. sub fin. calculis approbatam, ratione verò im primis & æquitate subnixam. Ad textum, qui est in l. 7. §. 2. D. de jur. dot. jam pridem responsum est, longe plus juris esse viro in dote, quam in re conjugis illatâ in societatem: adde, quod in principio dicere occupavimus, si ususfructus specialiter in dotem sit datus, vel in communionem illatus, eum plane penitusque communem fieri; & de speciali in dotem datione textus ille non obscure loquitur; ac ita de h. l. Sarmientus in loco antehac citato sentit. Jam, Vir Excellentissime, quæstionis hujus arbitrium denuo Tibi deferre non dubitabo, & si tam aliena ab usu judiciisque vestris adhuc putetur, vestræ opinioni nec ego quidem impoſterum aggregare me gravabor.

Sed metuendum scilicet est, ne frequenti paradoxorum positione me ipsum conatusque meos ludibrio exponam, dum praxeos *esse contendo quod omnes ignorant, usurpat nemo. Quid enim est, quod in eod. lib. I. Inst. Fris. cap.* 10. *n.* 3. *à me scriptum est, eum qui tutelam impuberis gessit, post pubertatem novæ confirmationis indigere, si omnem vim Curatoriæ potestatis exercere velit? quis unquam fere ejusmodi confirmationem fieri vidit, audivit? & tamen è tutela fit transitus ad Curam tacite & omni die.* (4) *Nec me jam præjudicium Curiæ, quod laudavi, ab insolentia novi dicti potest tueri; vel quia nimis antiquum id, vel diversæ interpretationi obnoxium. Mea vero sic ratio est,* primo *Jure civili non esse dubium, quin verissimum sit, quod ego dixi, Tutelam pubertate finiri, nec eundem qui Tutor fuit, in Curâ posse continuare, sine nova petitione minoris, & confirmatione*

(4) Conf. *sup. Collatio I. p.* 48. & *seqq.* ubi & de lite Wybingana agitur.

tione Magistratus, *de hoc nemo dubitat*. Secundo, *nihil Statutis expressum esse, quod discrimen Tutelæ atque Curæ tollat, ita ut Legibus stabilitur, ut in reliquis d. cap.* 10. *positionibus demonstratum est.* Tertio, *Regulam esse Juris Frisici certissimam; quod Statutis non est mutatum, id ex sententia Juris Romani accipiendum esse; nisi tu probes, consvetudinem in contrarium invaluisse, positiveque receptam esse.* Quarto, *certum habeo, Curiam antehac plus semel ita judicasse; Tutorem, qui à Magistratu super impuberem confirmatus erat, & post pubertatem in administratione continuaverat, impedire non posse nuptias puellæ, cujus se pro Curatore gerebat. Lis, cujus decisio id intulit inter alias, fuit inter* Frans Jacobs de Fries & Doctorem Martinum. Wybinga, *Juris olim in hac Academiâ Professorem, sed tum apud Harlinganos Judices postulantem. Pellexerat in matrimonium Wybinga* Catharinam Heres, *tredecim annorum puellam; quæ ante biennium, & sic ante viripotentiam acceperat Tutorem illum* de Fries, *qui exinde manserat in administratione tempore Curæ. Hic intercedebat nuptiis, contendens se jus habere eas impediendi, ut avunculum & Curatorem datum simpliciter ut* Voormonder / *quæ vox tam Tutelæ quam Curæ conveniat. In hoc articulo* Lenzius & Nys *duo Politissimi ejus temporis Advocati unicè commorantur, nisi quod* Nys *pro Wybinga memorabat, eum habuisse consensum cognatorum virginis Harlingæ habitantium. Sed hoc factum ad juris rationem non pertinebat, si* de Fries *Curator fuisset; quia cognati non vocantur ad arbitrium matrimonii, nisi post iniquam Curatoris negationem, Stat. lib.* 1. *tit.* 1. *art.* 10. *quæ causa in hoc casu puellæ tredecennis nullam speciem habebat: & si Curia facti illius aliorumve rationem habuisset, interlocutione opus fuisset.*

fuisset. Inter partes conveniebat, confirmationem Francisci de Fries *factam esse, priusquam puella* XII. *annorum esset, ipsâ non petente, nec postea repetitam confirmationem, sponsalia quoque post eam ætatem contracta esse. Denique in eo quod dixi vertisse cardinem controversiæ palam est, cum è toto processu, tum è duabus ultimis scripturis à* partibus *commutatis: Ita* Lensius; **dat hy Appellant voor Momber over Tryntje is gekoren / volgens de Acte van Authorisatie by &c. overgelecht; welke Authorisatie soo niet wederroepen is / nochte een ander in syn Appellants plaatse gekoren / moet verstaan worden deselve te duiren** ad annum vigesimum quintum, juxta Gail. observat. 2. cap. 96. **En diensvolgens als noch / soo zy Tryntje op geender manieren tot die jaren gekomen is / om welke reden boven verhaalt sy Tryntje niet vermochte volgens deses Landtschaps Costume buiten syn Appellants wille niet** Dr. Wybinga **in Echte te treden.** Nys, *qui hoc sæpe refutaverat, postremo nihil quam judicati prioris autoritatem addit, his verbis;* **de Appelleerde tot wederlegginge van de** 3. **Articule den Appellant wysende tot de Sententie van den Hove voormaals in gelyke sake gepronuntieert tusschen** Jr. Tjalling van Botnia **in qualiteit Impetrant / en** Jr. Godschalk van Heerema **Gedaagde / hier met** liquet **vertoont / waar by gezien wort /** quod Tutelâ finitâ, Tutor pro Curatore non habeatur, sine nova petitione minoris, judicisque confirmatione; Et quod proinde consensus ejusmodi Tutoris, qui pubertate pupillæ Tutor esse desiit, in contrahendo cum puella matrimonio, necessario non requiratur. *Hæc* NIIS, *qui deinde Senator factus egregie probavit, ut è collegis ejus intellexi, duas res absolvere bonum Senatorem, adde & Advocatum, quæ sunt hæ,*

hæ, Lex & Ratio, *sine plaustris Doctorum & sine larva fictitiæ* praxeos, *legi & rationi contrariæ.* (*haud spernere me veram praxin non est quod tester*) *Senatus ad hæc sine interlocutione causam decidit in favorem* Wybingæ, *d.* 15. *Jul.* 1619. *motus ea ratione, quæ sola* Wybingam *absolvebat*, *quod* de Fries *non habebat jus Curatoris; nec aliud in toto processu reperitur, quod sine interlocutione tali sententiæ causam dare potuerit; præter quod* Johannes (*non* Suffridus, *ut male scripsi aliàs*) à Saekma, *Senator ejus temporis doctissimus, qui interfuit decisioni, hanc fuisse causam decidendi diserte testatur, in loco tum citato. Sententia prior, quò* Nyssius *provocaverat, pronuntiata erat* 19. *Februar.* 1600. *Tum temporis igitur sententia Curiæ atque praxis hujus rei sic erat, ut à me scriptum est. Jam per Themidem rogo Practicos, qui nunc in forensis gloriæ peristyliis ambulant, unde nova diversaque Juris interpretatio orta sit, nisi ex abusu socordiâque hominum, in re factu facillimâ, qualis est nova confirmatio: sed ego tam pudendum praxeos fundamentum abnuo; nec quidem ut consuetudinem agnosco, quod contra memoratur, quia ad hanc non sufficit neglectus & desuetudo, sed actus contrarii & positivi; de quibus nihil adhuc est in medio, requiruntur. Non metuo, ne hoc studium meum novitatis arguatur, quod unice eò tendit, ut novitates, quarum fertilis est multorum in foro inscitia, coërceantur & ad normam vetustatis servandam adigantur. Mirifice interest Reipubl. jus esse certum, & sapienter à majoribus nostris consultum est, quod tam paucis Statutis Jus Romanum limitaverint. Ignorantia, quæ alibi Jus Latinum adflixit, hîc exulavit, eò quòd Curia semper tersissimis JCtis referta fuit, & est*

est etiamnum. Unice cavendum, ne praxis, *ut vult, Leges & Statuta subigat, quod facile impeditu est, si identidem ad illam Juris Publici cynosuram revocetur redigaturque.*

Quia pagina necdum impleta est, addantur pauca, de eo quod scripsi d. lib. I. *cap.* 6. *n.* 9 *Dignitatem* Procuratoris ad Comitia (5) *videri inter eas referendam, quæ solvunt patriam potestatem, quâ de re fuit etiam, post actum* Collationis, *familiaris inter nos sermo. Quid enim, dicat aliquis: est è proceribus, qui filium suum mitti curet ad Comitia, numquid hoc ipso jus patrium amittet, usumfructum ejus bonorum & cætera?* τίνα δοκεῖς πείσειν τάδε; Cui hoc persuasum iri putas? *Credo, novum hoc videri, quia nimis veteri apud nos usu, vel abusu, dignitas illa Procuratoris Reipubl. seu* plenipotentiarii, *ut vulgò loquuntur, multo minori habetur reverentia, quam character illius potestatis exigeret. Qui Principem cum aliis repræsentat, num is patriæ potestati non eximetur, in Republ. ubi juris esse creditur, ut consiliarius in consistorio Principis eo jure gaudeat,* §. 4. *Inst. Quib. mod. pat. pot. solv. Scio filios fam. hoc jure contra parentes suos rarius uti, verum si talis filius de nuptiis inscio patre contractis certaret in contradictorio, tunc sapientis esset judicis hanc causam ponderare: Perinde in aliis eò pertinentibus quæsitis. Viderint Patres, an æqua postulent præficientes liberos magnæ Reipubl. volentesque nihilominus ut juri domestico subjecti maneant.*

Hæc, Vir Nobilissime, *ita scripsi, ut equidem vera esse putem, non tamen ita, quin*

(5) De annua Ordinum Frisiæ ad Comitia legatione, Auctor agit *de Iure Civit. lib.* 1. *sect.* VIII. *cap. I.* §. 37. & *cap. II.* §. 3. 29. *seqq.* Conf. supra Opusculum *de Iure Imperii, cap. ult.* §. 14. *seqq. p.* 30. & *seq.* & Institut. Reip. *Sect. I. cap.* XXI. §. 18. *seqq. p.* 5.

quin omnia tuo politissimo aliorumque juris ac moris patrii peritorum judicio submittam, quod salvo cordati Interpretis officio non modo posse, sed etiam debere me facere statuo. Nam theoreticas Juris sententias nullo modo aliter quam tu ipse sentias, adseverare potes; sed ubi de praxi, *hoc est, de consvetudinibus receptis quæstio est, quoniam hæ ab usu longo publicaque conscientiâ pendent, nemini fas est plus contendere quam civibus suis persuadere queat.* Sapientes tamen viros decet animum advertere, ne instituta speciosa, juri tamen aut rationi contraria, pro consuetudinibus imponant; *quæ res quam latè pateat, nunquam imaginari potuissem, nisi hoc elapso triennio multis modis expertus fuissem. Liber* Decisionum *à* Sandio τῶ πάνυ *publicatus Reipubl atque foro utilissimus est, vel hac causâ nominatim, quod est everriculum ejusmodi novitatum, quæ per juris imperitiam omni die in praxin irrepunt. Nam quia* Sandius *ab omnibus, qui in foro versantur, adsiduo manibus teritur, & necessario usurpandus est; hinc fit, ut magna pars limpidi Iuris a situ & desuetudine vindicetur, siquidem præter exactum judicium, ille Juris* Romani, *quod diu professus fuerat, puritatem summopere ad animum suum pertinere ubique testatur. Utinam deinde præ mollitie quâdam verecundiaque non passus fuisset à scribendo se deterreri, ut in literis quibusdam ad* Lambertum Goris *scriptis fatetur! haberemus adhuc illibatam Themidem, quacunque illius vestigia impressa relegerentur; tantâ post obitum auctoritate sententiæ ejus apud omnes jure invaluerunt. Prorsus igitur id agam, ut hanc partem meæ diligentiæ ad communem gustum accommodem; neque tamen aliter, quam* ut cynosuram juris Romani, quando

Statutis, aut moribus agnitis, positivè non est abrogatum, religiose sequar; *ita quemadmodum à majoribus natu, qui hanc nobis regulam voce scriptoque tradiderunt, accepimus esse faciendum. Nec quod hac parte singulares sumus* Frisii, *non est quod nos pigeat pœniteatve. Tantum enim abest, ut ab alienigenis scriptoribus ea res nobis vitio vertatur, ut etiam pro signo bene constitutæ Reipubl. habeant, passimque laudent, digitoque monstrent* Frisios, *ut genuinos Romanæ Themidos cultores,* (6) *quique re ipsa falsi arguant vulgus Pragmaticorum, qui temperare sibi non possunt, quin rideant & exsibilent sententias Iuris Antiqui, ab eorum sensu usuque formulario remotas. Sed mihi propositum est hac causâ positiones Juris* Frisici *ab* Romano *discrepantes censuræ eruditorum exponere, iisque miscere quæstiones rerum, quæ à censoribus Juris, ut obsoletæ de foro eliminantur. Fructum mihi non exiguum polliceor ex institutis Collationibus nostris, quantum quidem ex earum auspicio sperare liceat: imprimis si Tu,* Vir Excellentissime, *aliique Proceres & Literati aliquando se ad hæc nostra examinanda demittere non gravabuntur. Te jam,* Vir Magne, *diutius non remorabor. Ignosce libertati meæ. Deus Te, Reipubl. ingenti bono, diu servet incolumem.*

(6) Cujus argumenti *Orationem* Viri Ampl. *Zachariæ Huberi*, huic opusculo subjunximus.

EXCELLENTIAE Tuæ, maximis Ejus beneficiis, addictissimus

ULRICUS HUBER.

Franekeræ xv. Aprilis 1682.



